SANCTI BONAVENTURÆ

S.R.E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS

OPERA OMNIA

TOMUS SEPTIMUS.

SANCTI BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

S. R. E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS

EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

OPERA

SIXTI V. PONT. MAX.

JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA,

Et in hac nova Editione tres in Partes tributa; quarum una Certa; altera Dubia; Supposititia tertia complectitur.

TOMUS SEPTIMUS.

VENETIIS CIↃ·IↃ·CC·LV·

EX TYPOGRAPHIA JOAN. BAPTISTÆ ALBRITII HIER. F.

SUPERIORUM PERMISSU.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

COMPENDIUM THEOLOGICÆ VERITATIS.

JOANNES Combis ex ordine Minorum jamdiu Compendium hoc in lucem emisit, nec de ejus auctore quidquam statuit: cum in manuscriptis antiquis exemplaribus nulli forsan inscriptum invenerit. Nec propterea sine auctore est, immo eo plures ejus existimantur auctores, quo nullus est certus. Joannes enim Trithemius Ægidio Romano illud tribuit in suo de scriptoribus Ecclesiasticis catalogo: alii sanctum Thomam seu ejus magistrum Albertum magnum ejusdem auctores opinantur. Sed esse S. Bonaventuræ opus ex his persuadetur. In primis quia in antiquo manuscripto exemplari Vaticano post finem Opusculi, forma scripturæ recentiori, sic habetur exaratum: Compendium Theologicæ veritatis Bonaventuræ. *Tum etiam quia in alio pervetusto codice extra bibliothecam Vaticanam in ipso statim principio a parte superiori chartæ depictus est sanctus Bonaventura docens e suggesto, in quo duæ sunt parvulæ cruces intra duos quadratos ante suggestum expressæ, quæ insignia videntur ejusdem Sancti: a parte vero inferiori cernitur imago S. Francisci stigmata Christi suscipientis: ex quo non levis conjectura deducitur ad idem comprobandum. Præterea divisus est iste tractatus juxta divisionem Breviloquii in septem libros, & doctrina ejus conformis est valde doctrinæ S. Bonaventuræ tum in breviloquio & Centiloquio, tum etiam in libris Sententiarum, immo sæpius verba omnino sunt eadem. Hæc auctorem probant esse S. Bonaventuram. Nisi malueris existimare ab incerto aliquo recentiori ex doctrina S. Bonaventuræ, & aliorum fuisse compilatum, ut*

ex principio præfationis licet colligere. Quisquis ejus sit auctor compendium hoc studiosis Theologiæ utile valde est, & quantum patitur angustia Compendii satis copiosum, ac nunc demum ope trium Bibliothecæ Vaticanæ, & alterius extra eam manuscriptorum exemplarium sibi restitutum, necnon conquisitis, quoad fieri potuit, & citatis ad marginem sanctorum locis locupletatum.

CAPITA LIBRI PRIMI.

PRÆFATIO.

VERITATIS Theologicæ sublimitas, cum sit supernis splendoris radius illuminans intellectum, & regalium deliciarum convivium, reficiens affectum, de magnorum Theologorum scriptis breve Compendium colligere dignum duxi: quo & evitetur mater fastidii prolixitas, & tamen ad investigandum plura via detur, & occasio sapienti. Theologia certe scientiarum est Princeps omnium & regina, cui artes cæteræ tamquam pedissequæ famulantur. Nam de naturis rerum illa solum recipit a usum suum, de quibus sibi speculum fabricare valeat, in

in quo conspiciat Conditorem. Hæc A dicitur scientia scientiarum, quæ super omnem speculationem Philosophicam extollitur, & dignitate ac utilitate omnibus antefertur. Ipsa enim Philosophia cum in naturalem, & rationalem, & moralem distinguatur, Philosophia quidem naturalis, licet doceat cognoscere creaturas, non tamen Creatorem: rationalis vero, licet doceat concludere hominibus, non tamen diabolo: & moralis, licet doceat acquirere virtutes consuetudinales, non tamen docet acquirere charitatem. Nostra vero Philosophia, scilicet veritas Theologica, hæc omnia operatur. Docet enim Deum cognoscere, diabolo resistere, & charitatis exercitiis insu- B dare. Hæc est divinorum pigmentorum apotheca, delectabilis super mel

Psalm. 18 & favum. Hæc quoque thesaurus est desiderabilis, super aurum, & lapidem pretiosum multum. Hæc est fons voluptatis egrediens, Ecclesiæ

Gen. 2 militantis irrigans paradisum.

Denique præsens scriptum in septem libellos distinxi, & singullas in unoquoque materias rubricis propriis assignavi.

Primus est de natura Deitatis.
Secundus, de operibus conditoris.
Tertius, de corruptella peccati.
Quartus, de humanitate Christi.
Quintus, de sanctificatione gratiarum.
Sextus, de virtute sacramentorum.
Septimus, de ultimis temporibus, & de pœnis malorum, ac præmiis bonorum. Sicubi ergo in hoc scripto deviavi, parcatur mihi, quia ignorans feci: ubi vero recte processi, laudetur gratia Jesu Christi, ad cujus honorem, & beatissimæ matris ejus præsens Opusculum compilavi.

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER PRIMUS.

DE NATURA DEI.

CAPUT I.

Quod Deus est.

Deum esse, multis modis ostenditur. Hoc enim fides recta testatur, sacra Scriptura loquitur, comparatio rerum ad ipsum idipsum indicat, Sancti prædicant, creaturæ clamant, ratio naturalis dictat.

Primo igitur Deum esse fides testatur: quia fides Catholica credit Deum, & credit in Deum, & credit Deo. Credere vero Deum est credere ipsum esse. Credere in Deum est credendo Deum amare, & amando in eum ire, ac membris ejus incorporari. Credere autem Deo, est credere verbis ejus. Primum & tertium bonorum, & malorum est, sed secundum bonorum tantum: quia credere Deum, & credere Deo, bonis & malis est commune: sed credere in Deum, bonorum specialiter est. Deus itaque solus habet esse perfectum. Illud enim perfectum est, cujus nihil est extra ipsum: unde qui esse nostrum habet aliquid extra se imperfectum est. Deest enim no- C bis aliquid quod de nostro esse jam præteriit, vel quod futurum est. Divinum autem esse cum simul totum sit: nec quidquam de eo præteriit, aut futurum sit, perfectissimum est.

Secundo Deum esse, Scriptura lo- Psalm. 89 quitur. Ab æterno, & usque in sæculum tu es. Qui est, misit me. Exo. 3 Joannes Damascenus: Videtur omni- Damasc. bus principalius eorum, quæ de Deo li. 1 orthod. fid. dicuntur, nominibus esse, Qui est. c. 12

Tertio Deum esse, rerum comparatio ad ipsum facta indicat. Tam verum enim esse Deus habet, quod nostrum esse suo comparatum, nihil est: immo Deus suo præsentiali esse dat omnibus rebus esse, ita quod si

se rebus subtraheret, sicut de nihilo facta sunt, sic in nihilum defluerent universa. Gregorius: Omnia humana, quæ justa, quæ pulchra sunt, Dei justitiæ pulchritudini comparata, nec justa nec pulchra sunt, nec omnino sunt. *Greg. li. 35 Mor. c. 14*

Quarto sancti prædicant. Anselmus in suo Monologio: Credimus te Domine esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. Dionysius: Esse omnium est supersubstantialis divinitas, sed hoc intelligitur causaliter, non formaliter. Præterea sicut dicit Anselmus: Illud maxime habet esse, quod maxime distat a non esse: quod scilicet non habet non esse post esse, nec esse post non esse, nec potest cogitari non esse. *Ansel. hoc habet in Proslog. cap 2. Dionys. de divin. nom. cap. 8. Ansel. ubi sup. c. 3*

Quinto Deum esse creaturæ clamant. Omnia namque suo modo dicunt: Quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos: quia ipse Deus est vox naturæ, quia omnia pulchra testantur ipsum pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimia altissimum, pura purissimum, fortia fortissimum, & sic de aliis, quia sicut in patria Deus est speculum, in quo relucent creaturæ, sic in via e converso creaturæ sunt speculum, quo Creator videtur. Unde Apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate. Idem, Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Psalm. 99 Sap. 7 1 Cor. 13 Rom. 1*

Sexto Deum esse ratio naturalis dictat, quæ per effectum in cognitionem causæ pervenit. Omne namque creatum indiget alio ut sit, & illud iterum alio ut sit, & ita erit, ut in infinitum procedere, vel erit ibi circulus, vel pervenietur ad aliquid quod sit causa omnium. Circulus autem non est in rebus singulis: quoniam oporteret aliquid esse prius, & posterius seipso, nec erit processus in infinitum, quia universitas creaturarum tota causata est, sive sit finita, sive infinita: ergo indiget alio, ut sit quod erit extra universitatem causatorum: & hoc Deus est, a quo fluunt omnia.

Caput II.

Quod unus Deus est.

UNum Deum esse ostenditur auctoritate. Unde in Deuteronomio: Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Apostolus: Unus Deus, una fides, unum baptisma. Bernardus: Si dici potest, unissimus est. Idem est semper & uno modo: nihil in se, nisi se habet. Hoc vere unum est, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud est, præter id, quod est. Idem ostenditur & ratione: quia simplex forma divinitatis si non esset una, & eadem numero, sed communicabilis pluribus, ut forma humanitatis Socrati, & Platoni, jam contraheretur aliquo addito ad esse singulare, & ita componeretur alteri, nec esset simplicissima, quod falsum est: quia in summo bono nulla potest fieri adiectio, cum sit omnino simplex. *Deut. 32 Ephes. 4 Bern. lib. 5 de cons. c. 7 post. med.*

Notandum autem, quod unum sumitur prout est principium numeri, & sic Deo non convenit, alio modo prout convertitur cum ente, & sic Deo convenit potius, quam alicui creaturæ: quia cum unum sit indivisum in se, & divisum ab aliis, excepto Deo solo, nihil est in quo non intelligatur aliqua divisio, vel actualis, vel potentialis. Cum enim unitas, vel numerus aliquis de Deo dicitur, nihil ponit, ut quidam dicunt, sed tantum privat. Unde cum dicitur, Deus unus, intelligitur quod non sint plures.

Aliquid non est unum tribus modis, scilicet, vel pluralitate secundum species diversas, sicut Angeli & stellæ non sunt unum; vel mutabilitate, secundum quod unus homo plures dicitur, qui modo sanus est, modo æger, modo dives, modo pauper; vel propagatione secundum eamdem speciem, prout unus homo plures est in filiis, qui propagantur ab ipso. Sed nihil prædictorum in Deo est. De primo enim contrarium habemus in symbolo Athanasii: Hæc est fides Catholica, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate

Psalm. 101 tate veneremur. De secundo Psalmus: Ipsi peribunt, tu autem permanes. Bernardus: Non ex tempore alterationem habet Deus non in substantia alteritatem. Leo Papa: Simplicis divinitatis naturæ nihil addi, aut minui potest. De tertio. Psalmus: non erit in te Deus recens, recens, id est, recenter formatum, vel natum. Divinitatem tria genera hominum multiplicant, scilicet idololatræ. Psalmus: Omnes dii gentium dæmonia. Necromantici, qui attribuunt virtutem characteribus, & hujusmodi stultitiis. Carnales homines, ut gulosi colentes ventrem. Apostolus: Quorum Deus venter est. Et avari, qui super omnia pecuniam amant. Apostolus: Avaritia, quæ idolorum est servitus.

Bern. lib. 5 de consid. cap. 7 post med. — *Psal. 80* — *Psal. 95* — *Philip. 3* — *Ephes. 5*

Est itaque in Deo vera unitas propter simplicitatem, immutabilitatem, & singularitatem, & propter unitatis creaturæ similitudinem: quia sicut unitas a nullo descendit, & omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus a nullo, & omnia ab ipso Item sicut unitas de se gignit unitatem, ita Deus Pater de se gignit alterum se, ut dicit Augustinus, id est, alterum similem sibi, vel alterum a se scilicet Filium.

Hoc nomen Deus tripliciter accipitur, scilicet naturaliter, adoptive, & nuncupative. Primo modo soli Deo convenit. Secundo modo convenit bonis hominibus, qui divinæ bonitatis participes sunt per gratiam providentiæ, vel doctrinam, & potestatem prælationis, & potestatem miraculorum. Psalmista: Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Tertio modo dii dicuntur idola, sed solo nomine, quia res nominis, scilicet divinitas, illis non convenit. Primo modo non habet plurale hoc nomen Deus per se, cum sit unus solus verus Deus, nec divinitas recipiat distinctionem: sed secundo, & tertio modo plurale habet.

Psal. 81

CAPUT III.

Quod unum solum principium est.

SIcut unus solus Deus est, sic unum solum principium est, quod ostenditur multiplici ratione. Primo sic, quoniam si duo principia sunt, unum scilicet, summe bonum, & aliud summe malum, aut communicant in existere per se, ut Socrates, & Plato, aut non. Si non, ergo alterum illorum erit ens per aliud, & ita non erunt duo principia, Si sic, sed existere per se bonum est, malum autem plus esset malum, si non haberet illud bonum: ergo non est summe malum: quia si esse per se haberet, hoc ipsum esse quod est bonum, summe malum esse non sineret. Præterea in creaturis quatuor inveniuntur, scilicet, multitudo, ordo, imperfectio, & connexio. Secundum quodlibet istorum probatur unum tantum esse principium. B Omnis multitudo secundum Dionysium ab unitate trahit originem. Ergo necesse est omnis multitudinis unum esse principium. Item omnis ordo cum habeat prius & posterius, oportet quod unum habeat principium. Item secundum Boetium: Omne imperfectum ab aliquo simpliciter perfecto trahit originem, & hoc est Deus noster. Item omnis connexio diversorum, causam habet suæ connexionis, & conservationis ad unum, & hoc est Deus. Item si esset unum summe malum, a quo omnia mala essent, sequeretur quod secundum corpus Christus esset ab illo malo principio, cum in eo fuerit malum pœnæ, quod absurdum C est dicere.

Dionys. de divin. nom. cap. 13

Ex prædictis patet, quod Deus est principium, & summum, & unum solum principium, tum ratione dignitatis, tum ratione antecessionis, tum ratione causalitatis.

CAPUT IV.

Quod Pater est.

ÆTernum Patrem esse per hoc ostenditur, quod cum Deus sit potentissimus, sapientissimus, & optimus, potest, scit & vult se summe communicare: hoc autem est alteri majestatis suæ plenitudinem dare: ergo Deus Pater ab æterno

Filium sibi æqualem genuit: cui divinitatis suæ essentiam communicavit. Dicit enim Dominus in Isaia: Si generationem aliis tribuo ipse sterilis ero? quasi dicat, non.

Isa. 66

Pater enim multipliciter sumitur. Dicitur enim Pater æterna generatione. Isaias: Generationem ejus quis enarrabit? Prædestinatione, ad Ephesios: Gratia vobis, & pax a Deo Patre qui prædestinavit vos in adoptionem filiorum. Creatione, in Deuteronomio: Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, fecit, & creavit te? Fecit, inquam, secundum corpus, creavit secundum animam, possedit secundum utrumque. Redemptione Isaias: Tu Domine Pater noster, & redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Sacramentali regeneratione. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regeneravit nos. Fidei instructione, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Gratiæ adoptione: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Gloriæ collatione: Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius & hæres per Deum, id est, per opera Dei, opera enim nostra magis sunt per Deum vitæ æternæ meritoria, quam per nos.

Isa. 53
Ephes. 1
Isa. 63
1 Pet. 1
Joan. 1
Rom. 8
Gal. 4

Primo modo sumitur Deus Pater personaliter: & iste modus soli Patri convenit. Quarto modo, scilicet redemptione, non solum effective sumitur, sed etiam per ministerii exhibitionem. Sumitur etiam personaliter: & iste modus soli Filio convenit, secundum quod modus redemptionis fuit per mortem Filii. Omnis autem alii modi tribus personis simul conveniunt, quia indivisa sunt opera Trinitatis: nisi forte aliquis illorum modorum conveniat alicui personæ per appropriationem.

Circa generationem nota quatuor propositiones, in quibus videri poterit, utrum essentia divina generet, vel generetur. Prima est, Essentia generat essentiam, Secunda est, Essentia generat personam. Tertia est, Persona generat essentiam. Quarta

A est, Persona generat personam. Harum propositionum tres primæ falsæ sunt, quarta autem vera est. Est enim regula in Theologia, quod essentia divina non generat, nec generatur: dicendum tamen quod Pater virtute essentiæ existentis in se generat: & quod Filio per generationem communicatur essentia: sicut & Spiritui sancto per processionem.

Caput V.

Quod filius est.

Quam sint correlativa Pater, & Filius, per easdem rationes B ostenditur Filium esse, per quas & ostensum est Patrem esse. Præterea inter omnes emanationes perfectissima est generatio, qua penitus genitus assimilatur suo genitori, quod emanationes aliæ non faciunt. Cum igitur copiosissimo fonti bonitatis competat emanatio perfectissima, constat quod persona qui Pater est, fons totius bonitatis generat Filium sibi æqualem, cui communicat suæ plenitudinem majestatis.

Aliquis est Filius Dei per gratiam unionis, ut Christus homo. Aliquis per veritatem nativitatis, ut Christus inquantum Deus. Aliquis per adoptionem, ut sancti. Aliquis per creationem, ut quævis creatura. De C Filio Dei dicit Athanasius in altercatione contra Arrium, quod ipse dicitur sensus, quo omnia cogitantur: sapientia, qua cogitata dispo nuntur: virtus, qua disposita perficiuntur: Verbum, quo perfecta nuntiantur: lumen quo nuntiata clarescunt. Filius ergo Dei dicitur sapientia Patris, non quod Pater sit sapiens sapientia genita, sed quia Filium genuit, cui appropriatur sapientia. Unde Pater dicitur omnia fecisse in sapientia, id est in filio Dei, vel cum sapientia, quæ est filius: quoniam indivisa sunt opera Trinitatis. Unde hæc præpositio, In, notat subauctoritatem in filio, qui hoc ipsum habet a Patre, quod res creat. Generaliter enim verum est, quod quidquid habet persona: vel opera-

Gal. 4
Sap. 6
Heb. 1
Joan. 1
Psal. 103
Joan. 1

ratur, hoc habet ab eo, a quo est. Qualiter autem Filius sit de Patre, nota quod hæc præpositio, De, quandoque notat causam efficientem, ut cum dicitur, Christus conceptus est de Spiritu sancto. Quandoque causam materialem, ut cum dicitur: Christus natus de Maria Virgine. Quandoque identitatem essentiæ, ut cum dicitur, Filius natus de Patre. Quandoque transsubstantiationem, ut cum dicitur, corpus Christi fieri de pane. Quandoque ordinem, secundum quod creatura dicitur fieri de nihilo.

Caput VI.

Filius est imago Patris.

IMago triplex est, scilicet, æqualitatis, imitationis, & repræsentationis. Primo modo, filius est imago patris. Secundo modo homo factus est ad imaginem Dei, vel imago Dei. Faciamus hominem ad imaginem Dei. *Gen. 1* Tertio modo mundus dicitur speculum Creatoris.

Nota quod imago relative dicitur ad illud cujus similitudinem gerit, & ad quod imitandum facta est. Hoc autem contingit dupliciter: aut quantum ad speciem, & signum speciei: & sic imago hominis est in filio suo, qui ipsum in humana specie, & figura imitatur: & hæc est perfecta imago: aut quantum ad signum tantum, & non ad veritatem speciei: sicut imago hominis est statua lapidea, & hæc est imperfecta imago. Primo modo, filius est imago patris, in natura communicans. Secundo modo, imago Dei est in homine licet minus perfecte.

Sap. 7 Heb. 1 Coloss. 1 Est igitur imago, non ad imaginem, sicut filius. Nam hæc præpositio, Ad, dicit distantiam inter imaginatum & imaginantem: hoc autem non cadit in filium: unde benedicitur imago patris, sed non ad imaginem. Et est imago ad imaginem, sicut homo & Angelus. Est aliquid non imago, sed ad imaginem, ut mundus hic, qui proprie non dicitur imago, sed vestigium Creatoris: quia licet Trinitatem repræsentet, non

A tamen imitatur, nec est capax ejus, sicut homo. Est tamen mundus ad imaginem Dei factus: quia Deus aliud exemplar non habuit, ad cujus similitudinem creaturas faceret, nisi semetipsum. Est imago genita, ut filius, & est imago creata, ut homo & Angelus: & est imago facta, ut statua Herculis, quæ ipsum repræsentat. Ex his patet quod esse imaginem, convenit Creatori, & creaturæ. *Coloss. 1* Creatori quidem, quia filio, qui est imago patris, creaturæ vero convenit tam corporali, quam spirituali, quam etiam compositæ. Proprie tamen loquendo dicitur quod creatura corporalis est Creatoris vestigium. Unde Apostolus: Invisibilia *Rom. 1*

B Dei per ea, quæ facta sunt, &c. Ibi hæc propositio per, non dicit medium disponens, inquantum creatura consideratur in se, sed excitans, inquantum est similitudo creatoris: quia non disponit ad cognitionem Creatoris, immo per talem modum potius impediret cognitionem, cum inter Creatorem & creaturam major sit dissimilitudo, quam similitudo. Creatura vero spiritualis dicitur, creato-

C ris similitudo. In Ezechiele: Tu signaculum similitudinis, &c. *Ezech. 28* & hoc ideo, quia in Angelo propter naturæ simplicitatem expressior est similitudo ad Deum, quam in homine. Creatura vero composita, idest homo, dicitur imago Dei. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem, &c. *Gen. 1* & hoc ideo, quia in homine inveniuntur plures trinitates, quam in Angelo, unde quoad hoc potius dicitur imago Trinitatis.

Filius Dei possidet triplicem excellentiam, sicut innuit Apostolus: Qui *Heb. 1* cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ. Primam scilicet respectu Patris a quo producitur, & sic est splendor gloriæ paternæ. Est enim, ut ait Dionysius fontalis radius, in se *Dionys. de div. nom. cap. 2* manifestans gloriam paternam. Secundam respectu Spiritus sancti, quem producit ex se: & sic est figura, id est similituto substantiæ patris. Est enim alia persona ab ipso, sicut a patre, quod non accepit Spiritus sanctus a patre, sicut filius. Tertiam respectu

creaturarum, quæ per eum producuntur, & sic est portans omnia verbo virtutis suæ. Propter primum dicitur verbum filius patris, quoniam perfecte loquitur bonitatem, & summam patris liberalitatem, qui nihil habere voluit, quod filio suo non communicaret. Istud est Verbum essentialiter, & æternaliter genitum, temporaliter promissum, a Prophetis, & Apostolis prædicatum, ab Angelo in incarnatione nuntiatum. Propter secundum dicitur filius imago patris. Quamvis enim tres personæ sint æquales in æternitate, & majestate, ac potestate: tamen filius dicitur potius imago patris, quam Spiritus sanctus, qui non solum habet convenientiam intus cum patre in essentiæ identitate, sicut & Spiritus sanctus: sed habet etiam convenientiam extra cum patre, ex eo quod sicut a patre procedit filius, sic & a filio Spiritus sanctus: sed a Spiritu sancto nullus. Nam secundum rationem intelligendi respectus hujusmodi relationum sunt extrinsecus assistentes, quia potius ab aliquo sunt, quam in aliquo. Intelligentia enim relationum ad hoc ad quod refertur aliquid respicit: unde si patrem non habeo, filius non sum, & e converso. Propter tertium dicitur filius virtus patris, ad Corinthios: Nos autem prædicimus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. (1 Cor. 1) Invenitur etiam imago Trinitatis in nobis, videlicet in memoria, intelligentia, & voluntate, vel in mente, notitia & amore: in quibus per ordinem Patri, & Filio, & Spiritui sancto assimilamur.

Caput VII.

Quod Spiritus Sanctus est.

Emanatio duplex est in divinis Una per modum naturæ: & hæc est generatio, secundum quam filius est a patre. Alia est per modum voluntatis: & hæc est processio appropriata. Proprie vero dicitur spiratio, secundum quam Spiritus Sanctus est a Patre & Filio. Idcirco autem hæc emanatio per modum voluntatis esse dicitur, quia Spiritus sanctus amor A est. Amor autem secundum voluntatem est. Procedit autem Spiritus sanctus a patre mediate & immediate. (Joan. 15) Mediate, quia filius ipsum spirat, qui hoc habet a patre: immediate vero, quia ipse pater ipsum spirat. (Joan. 16)

Caput VIII.

Spiritus Sanctus amor Patris, & Filii est.

Spiritus sanctus amor Dei est: & hoc tripliciter, videlicet, essentialiter, personaliter, & exemplariter. Essentialiter, Spiritus sanctus dicitur amor, inquantum ipse cum patre, & B filio unus Deus est. Ipsi enim tres inquantum unum sunt in essentia, diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto. Personaliter vero dicitur Spiritus sanctus amor, in quantum ipse est nexus patris, & filii. Pater enim & filius diligunt se amore ab eis procedente, qui non est pater, nec filius, sed Spiritus sanctus. De hoc nexu dicit Augustinus: Est ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate, non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum. Exemplariter quoque dicitur Spiritus sanctus amor: quoniam amoris gratuiti qui est in nobis, Spiritus sanctus non solum causa est efficiens, sed etiam C exemplar atque finis. Amor enim qui est in nobis, est a spiritu sancto efficienter: & hoc inquantum ipse spiritus sanctus est Deus. Exemplariter autem est in nobis, inquantum ipse spiritus sanctus est procedens per modum amoris a patre & filio. Sed finaliter est in nobis noster amor, inquantum spiritus sanctus, a quo amor noster est, habet rationem primi boni, in quod tendit amor noster. Notandum quod amor qui est spiritus sanctus, ex modo procedendi est nexus, sed propter ipsam processionem est distinctus a patre, & filio: propter naturæ vero divinæ perfectionem est persona, & suppositum: propter divinam vero simplicitatem est ipse Deus, & summe bonus. Igitur Spiritus sanctus est amor, quo pater,

& fi-

& filius se diligunt. Cum autem A dicitur, pater & filius diligunt se spiritu sancto, dupliciter exponi potest. Primo sic diligunt se spiritu sancto, id est, amore, qui est spiritus sanctus: & secundum hoc propositio est vera. Secundo sic, diligunt se spiritu sancto, id est, per spiritum sanctum, vel per amorem, qui est spiritus sanctus: & sic non est concedenda, quia non est ibi aliquid respectu cujus hæc dictio, Per, dicat principium. Est enim regula, quod hæc dictio, Per, semper dicit rationem principii respectu alicujus positi in locutione: sicut quando dicitur, Pater operatur creaturas per filium, ibi enim notatur ratio principii in filio respectu operis. Similiter hæc conceditur, Filius operatur per patrem: nam ibi ratio principii in patre est, & hoc duplici respectu, scilicet respectu filii, & respectu operis.

Caput IX.

Spiritus sanctus charitas, & donum sanctorum est.

Cum inveniatur sæpe in scripturis quod spiritus sanctus charitas, & donum dicitur, diligenter notandum est, qualiter hoc debeat intelligi, & utrum spiritus sanctus sit charitas, qua nos Deum, & proximum diligimus. Unde notandum C est, quod amor, sive charitas tribus modis sumitur. Uno modo effective, & sic absque dubio verum est, quod spiritus sanctus est amor, quo diligimus Deum: quia spiritus sanctus operatur in nobis habitum, & motum charitatis. Alio modo sumitur exemplariter, sic etiam spiritus sanctus est charitas, qua diligimus Deum, & proximum. Charitas enim quæ est spiritus sanctus, est exemplar nostræ charitatis. Tertio modo sumitur charitas formaliter per modum inhærentiæ: & sic charitas dicitur virtutis habitus in anima, quo diligimus Deum, & proximum. Et secundum hunc modum spiritus sanctus non dicitur charitas: nec contrariatur dictum Augustini quod eadem est charitas qua nos diligit Deus, & nos ipsum: quia licet verum sit, tamen aliter, & aliter est, nam Deus diligit nos ea formaliter, nos vero ipsum diligimus efficienter, & exemplariter non formaliter: nam omne esse, & agere est a forma inhærente agenti, quæ est principium agendi, & forma, sicut caliditas igni. Sciendum est tamen quod spiritus sanctus datur, cum datur ejus donum: quia spiritus sanctus est amor, & primum donum, posterius autem non datur sine priori. Præterea corpus mysticum est unum per amorem. Cum ergo nihil creatum sit unum in diversis particularibus, oportet quod mem- B bra corporis mystici uniantur uno amore increato, qui est spiritus sanctus. Præterea quia secundum Augustinum, totum malum hominis est uti fruendis, & frui utendis: constat ergo quod totum oppositum est donum ejus, scilicet, frui fruendis, & uti utendis. Sed ad fruendum eo, quo fruendum est, requiritur præsentia fruibilis, & etiam dispositio debita fruentis: unde requiritur præsentia Spiritus sancti, & ejus donum, scilicet, amor, quo inhæreatur ei: verumtamen cum datur nobis Spiritus sanctus, non incipit esse in loco novo, sed novo modo per productionem novi effectus, & novi respectus, ex quo creatura se aliter habet ad Spiritum sanctum, quam prius: propter quod & ipse dicitur aliter esse in creatura quam prius: quia est in ipsa, ut in cognoscente, & amante ipsum, quod non fuit prius.

Aug. in lib. de Trinit. c.6. Diligit nos Deus.

Ex jam dictis patet quod in justificatione duplex charitas nobis datur, scilicet, creata, & increata: illa qua diligimus, & illa qua diligimur. Vel datur nobis charitas creata, qua diligimus formaliter: & increata, qua diligimus effective: quia nostrum diligere ipse causat. Ex his colligitur quod licet Deus sit in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, non tamen habetur ab omnibus hominibus per gratiam.

Missio autem Spiritus sancti duplex est, sicut & filii. Una visibilis, sicut

sicut apparuit super Christum in columba, & super Apostolos in linguis igneis. Alia invisibilis, qua mittitur in mentem ad sanctificandam creaturam: & ista missio fit ad inhabitionem creaturæ rationalis: sed prior fit ad inhabitationem demonstrandam aliis. Eodem modo missio filii duplex est, una, scilicet visibilis, ut incarnatio: & alia invisibilis, ut est interna mentis illuminatio. Notandum quod missio filii, & spiritus sancti inseparabilia sunt: sed dicitur filii, quando mens per gratiam illuminatur ad Deum cognoscendum: dicitur spiritus sancti, quando affectus accenditur ad amandum. Sciendum est quod solius patris est mittere, & non mitti. Cum enim pater a nullo procedat, nusquam mitti dicitur: quia vero filius & producit, & producitur, ideo mittit, & mittitur. Spiritus vero sanctus quia producitur æternaliter, sed non producit, nisi ex tempore: ideo ipsius est proprium mitti, & non mittere, nisi respectu creaturæ, ut ad conversionem populi dicuntur Apostoli missi a spiritu sancto. Nisi forte dicatur mittere hominem assumptum. Sed spiritus sanctus mittere dicitur, in quantum cum patre, & filio idem est in essentia Trinitatis, non in quantum persona. Sic etiam filius mittit seipsum, unde Augustin. in lib. de Trinitate. Intelligamus illam incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in qua intelligitur filius missus, una eademque operatione patris, & filii inseparabiliter esse factam, non separato etiam spiritu sancto. Ex his patet quod hæ sunt impropriæ, & exponendæ, spiritus sanctus mittit se, & mittit filium, & filius mittit seipsum: nisi intelligatur in quantum est de Virgine natus: quia filius Deus mittit se hominem: & secundum hoc vera est. Hæc autem est ratio, quia mittere dicit auctoritatem ratione productionis æternæ.

Aug. lib. 2 de Trinit. cap 5 post med. tom. 2

Act. 2

Quibus modis datus sit spiritus sanctus in signo visibili. Sciendum quod in igne apparuit spiritus sanctus, ut calefaceret frigidos. Et in linguis, ut doceret ignaros. Et in sono, ut terreret rebelles. Apparuit etiam in aliis tribus signis, scilicet in nube ipsi Moysi, ut ductor ejus in columna nubis esset: sicut legitur in Isaia: Item in columna super Christum baptizatum, ad ostendendam gratiæ plenitudinem, quæ in ipso erat. Item in flatu post resurrectionem, ad significandam vivificationem affectus: quia flatu ab interiori procedit. Datus est igitur spiritus sanctus bis post resurrectionem, scilicet in terra, propter dilectionem proximi, & de cœlo, propter dilectionem Dei. Vel datus est in terra, ad relaxanda peccata aliorum. Joannes: Insufflavit in eos, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c. Datus est de cœlo in Pentecoste ad robur, & ad operationem miraculorum: de his duobus Psalmista: Verbo Domini cœli firmati sunt, quoad primum: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, quoad secundum. Tertia fuit collatio spiritus sancti Apostolis facta ante passionem, quando fuerunt baptizati. Eorum enim baptismus innuitur ibi: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. In signum prædictorum trium ter inungitur homo, ad significandam hanc triplicem spiritus sancti inunctionem, scilicet in baptismo, in confirmatione, & in morte.

Exod. 3 — Matt. 3 — Joan. 20 — Joan. 20 — Act. 2 — Joan. 20 — Psal. 32 — Joan. 13

Quadruplicem effectum consecuti sunt Apostoli ex præsentia spiritus sancti: Primo eloquentiam in linguis. Secundo audaciam in tormentis. Tertio efficaciam in miraculis. Quarto protectionem a vitiis: quia post Pentecosten, numquam peccaverunt mortaliter. Accipiunt & modo utiliter spiritum sanctum: peccatores quidem ad purgandum, Matthæus: Ipse baptizabit vos in spiritu sancto, & igne. Item pœnitentes ad proficiendum. Psalmus. Spiritus tuus bonus deducet me. Item perfecti ad sanctificandum, ad Corinthios: Quid dedit nobis pignus spiritus sancti. Item beati ad fruendum, Psalmus: Renuit consolari anima mea, &c. Item tribulati ad consolandum: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, &c. Item ignorantes ad instruendum, Joannes: Paracletus autem spiritus

Act. 2 — Matt. 3 — Psal. 142 — 2 Cor. 5 — Psal. 76 — Rom 8 — Joan. 14

ritus sanctus, quem mittet pater, &c.

Quo tempore datus sit Spiritus S. attendendum est quod in die quinquagesima, ut ostendatur auctor esse remissionis: nam annus jubileus serviebat remissioni. Venit etiam in die Domenica, ut esset dies renovationis, qui fuit etiam creationis. Datus quoque fuit tertia hora, quia dicitur primus homo hora tertia perdidisse gratiam: unde conveniens fuit, quod eadem hora Apostolis mitteretur. Item alia ratione datus est hora tertia, scilicet, ut ostenderetur quod etiam nobis hora tertia datur gratia Dei. Sunt enim tres horæ morales, scilicet, contritio, confessio & satisfactio. De hoc nomine, Spiritus sanctus, sciendum est, quod potest esse circumlocutio unius proprii nominis, & tunc convenit tantum personæ tertiæ in Trinitate; vel possunt istæ dictiones sumi divisim, & sic quælibet trium personarum est Spiritus sanctus.

Act. 2 *Act. 2*

Spiritus sanctus multa habet nomina. Dicitur enim spiritus a spirando active eo quod spiret, Joannes: Spiritus ubi vult spirat: & secundum hunc modum, hoc nomen spiritus commune est omnibus tribus personis, sed Spiritui sancto convenit per appropriationem. Alio modo dicitur spiritus a spirando passive, eo quod spiretur, & hoc modo proprium est Spiritui sancto, qui procedit per modum spirationis. Non solum autem dicitur Spiritus, sed additur sanctus: quia sanctus idem est quod mundus, vel firmus, vel sine terra. Ista autem non solum conveniunt ei quoad se, sed etiam in comparatione quoad nos: nam per gratiam Spiritus sancti a peccatis mandamur, in bonis firmamur, a terrenis separamur. Sanctus ergo non solum est in se, sed quia nos facit ea sanctitate, de qua dicit Dionysius: Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia. Præterea Spiritus sanctus vocatur nexus, unitas, & amplexus, & hoc prout comparatur ad Patrem & Filium. Idem dicitur donum Altissimi: & hoc prout comparatur ad nos: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, &c. Item dicitur fons vivus: quia septemplici rivo donorum nobis fluit. Isaias: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis & spiritus timoris Domini. Item dicitur ignis: quia affectum nobis accendit. Item dicitur charitas, non solum quia est amor Patris & Flii, sed quia nos amantes facit. Item dicitur spiritualis unctio, quia omnes tribulationes mundanas suaves facit, & jucundas: secundum illud prosæ: In labore requies, in æstu temperies, &c. Item dicitur dextræ Dei digitus, quia sicut corporales res digito demonstrantur, ita per Spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali. Item dicitur paracletus, quia consolationes cœlestes mentibus instillat. Item magistrorum optimus, quia intellectum ad Dei cognitionem, & sui ipsius illuminat.

Joan. 3 *Dionys. de divin nom. cap. 12 cir. prin.* *Jac. 1* *Joan. 4 & 7* *Isa. 11* *Luc. 11*

Caput X.

In Trinitate personarum unitas essentiæ est.

IN unitate naturæ divinæ tres sunt personæ: quarum prima est a nulla: secunda est per generationem a sola prima, tertia est per communem spirationem a prima & secunda. Istud tamen sic est intelligendum, quod Trinitas personarum non excludit ab essentia unitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, & incommutabilitatem. Hujus ratio per hoc patet, quia qui crederet Deum non posse se summe communicare, negaret in eo potentiam. Qui vero crederet hoc eum posse, sed nescire, negaret in eo sapientiam. Qui crederet eum hoc posse, scire, sed nolle, ille negaret in eo bonitatem. Cum igitur Pater potuerit, sciverit, & voluerit se summe communicare, hoc fecit æternaliter, scilicet, habendo dilectionem & dilectum, hoc est Filium & Spiritum sanctum. Præterea omne bonum est sui diffusivum, ut dicit Dionysius, unde cum Pater sit fons bonitatis, emanatio erit

1 Joan. 5 *Dionys. de divin. nom. cap. 4 cir. prin.*

erit ab ipso perfectissima, quæ est A generatio. Erit etiam emanatio jucundissima, quæ est per modum benignitatis & liberalitatis: hæc autem emanatio, amor est, qui est Spiritus sanctus a Patre & Filio procedens. Et bene dicitur amor, emanatio liberalitatis, quia amor primum donum est, quod a liberalitate procedit, cum sit donum intrinsecum in ipso dante, in quo scilicet amore omnia alia donantur.

Hæc beata Trinitas tribus modis nobis innotescit. Ipsa enim patet in scripturis, ostenditur in figuris, relucet in creaturis. Primo, inquam, beata Trinitas patet in scripturis. Unde Leo Papa: Credimus sanctam Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis. Item Isaias audivit Seraphim ter dicentia, Sanctus, in laudem beatæ Trinitatis, subiungentia in singulari, Dominus Deus Sabaoth propter confessionem unitatis divinæ. Si ergo non essent tres personæ, non diceretur in Genesi: Faciamus hominem ad similitudinem nostram, sed meam: & tunc si essent tres personæ, & non una substantia, non diceretur ad imaginem, sed ad imagines nostras. Ad id ostendendum ponitur in Psalmo ter Deus, cum dicitur: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & tamen solum ponitur hoc pronomen eum, ubi subiungitur: Et metuant eum omnes fines terræ, Item. A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui. Vide quod, A, triplicavit & in singulari dixit: Domine Deus, quod notat Trinitatem, & unitatem. Item Apostolus: Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula. Et nota quod hæc præpositio, Ex, dicit auctoritatem, & esse a nullo, hoc autem Patri convenit: qui est principium, sine principio. Sed hæc præpositio, Per, notat operationem, sive medium, esse ab alio: unde per hoc intelligitur Filius, qui est principium de principio. Hæc autem præpositio, In, notat conservationem, & esse ab alio: & propterea competit Spiritui sancto, qui est continentia omnis boni.

Isa. 6 *Gen. 1* *Psal. 66.* *Hiere. 1* *Rom. 11*

Ostenditur etiam beata Trinitas in figuris. Significatur enim per tres amicos Job. Item per tres Angelos quos Abraham hospitio recepit: Tres vidit, & unum adoravit. Item per tres digitos, quibus appenditur moles terræ. Item per tres civitates refugii æquali spatio a se distantes. Item per tria difficilia ad investigandum. Item per tres portas civitatis, quas vidit Ezechiel.

Job. 2 *Gen. 18* *Isa. 40* *Deut. 4* *Prov. 30* *Eze. h. 48*

Relucet quoque in creaturis vestigium beatæ Trinitatis. Cognoscitur enim in magnitudine creaturarum potentia Patris, in dispositione sapientia Filii, in ornatu bonitas Spiritus Sancti. Item in quolibet individuo invenies virtutem, speciem, & utilitatem, quorum primum convenit Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Item in sole vide essentiam, splendorem, & calorem: in quibus Patrem & Filium & Spiritum sanctum cognosces. Item in anima secundum memoriam, intellectum, & voluntatem considera personarum trinitatem, & unitatem substantiæ. Item in hierarchia cœlesti superiori Deus est in thronis, ut majestas: in Cherubim, ut veritas, in Seraphim ut charitas, per quæ notatur personarum Trinitas. Item in virtutibus Theologicis, scilicet fide, spe, charitate idem intellige. Item in tribus dotibus animæ, scilicet cogitatione, comprehensione, & delectatione.

Psal. 32

B C

Notandum autem quod aliter relucet Deus in creaturis viatoribus, aliter in beatis. Exemplum de speculo, in quo alio modo videtur a nobis notus, & aliter ignotus: nam notum videtur in speculo, ignotum per speculum. Ex prædictis patet, quod licet tam in creatura corporali, quam in spirituali, quam etiam ex his composita beata Trinitas cognoscitur, tamen diversimode, prout unumquodque istorum dicitur vestigium Creatoris, quia aliud dicitur ejus similitudo, & aliud ejus imago: sicut superius est notatum in titu-

titulo, quod Filius est imago Patris.

Deinde sciendum est quod pluralitatem personarum in unitate essentiæ, & unitatem essentiæ in personarum pluralitate, secundum Bernardum, scrutari temeritas est, credere pietas est, nosse vita æterna est.

Ber. l. 5 de consid. c. 8

Caput XI.

Multiplex Trinitas est.

MUltiplex invenitur in scripturis trinitas. Est enim Trinitas increata, quæ summa & ineffabilis est. Aliæ trinitates sunt creatæ: inter has una est quæ cecidit, scilicet rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Alia est per quam homo cecidit, scilicet suggestio diaboli, delectatio sensualitatis, & consensus rationis: quæ tria significata sunt per serpentem, mulierem & virum in paradiso. Tertia est in quam cecidit, scilicet ignorantia veri, impotentia boni, & concupiscentia mali. Quarta est per quam resurgit, scilicet fides, spes, charitas. Item est trinitas, per quam ad gratiam reparamur, scilicet triplex substantia, quæ est in Christo, scilicet divinitas, anima, & caro. Est autem alia per quam regeneramur, scilicet, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus, in quam sanctificationis, aqua ablutionis, sanguis redemptionis. Hanc nobis Joannes in epistola sua recitat. Est quoque trinitas alia, per quam ad gloriam reformamur, ut sunt tres dotes animæ, scilicet, cognitio, dilectio, comprehensio. Est & multiplex trinitas in creaturis, quæ est vestigium beatæ & increatæ Trinitatis, & de hoc habes in titulo supra quod Trinitas personarum, & unitas essentiæ est.

1 Joan. 5

Caput XII.

Aequalitas personarum est.

AEqualitas personarum in tribus consistit. Unde Augustinus: Nullus alium præcedit Æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quod æqualitas secundum hæc tria sit in Deo, sic ostenditur: quia in istis inferioribus tria sunt hæc, scilicet substantia, qualitas, & quantitas: igitur unitas in substantia causat identitatem: unitas autem in qualitate causat similitudinem, sed unitas in quantitate causat æqualitatem: in divinis autem est æqualitas tantummodo secundum triplicem quantitatem, prout quantitas in Deo esse dicitur licet improprie. Primo secundum quantitatem virtutis, quæ est potentia. Alio modo secundum quantitatem durationis, quæ est æternitas. Tertio modo secundum quantitatem magnitudinis, qua ipse est intra omnia & extra omnia: quæ continet & locat omnia.

Aug. l. 1 de fid. ad Pet. c. 1 ante med. t. 3

A

B Æqualitas personarum aliter in istis tribus ostenditur: quoniam in creaturis triplex magnitudo reperitur, scilicet temporalis, dimensionis, & virtutis. Prima magnitudo est in rebus mutabilibus. Secunda in corporeis. Tertia in spiritibus creatis. Istis tribus respondent in Creatore alia tria, in quibus etiam personæ divinæ sunt æquales, scilicet æternitas in esse, magnitudo in immensitate, & virtus in posse. Hæc tamen, licet secundum rei veritatem sint in Deo, secundum differentiam rei in ipso, non habent esse; sed secundum quod nostrum respiciunt intellectum. Dicendum est ergo, quod tanta est æqualitas in Trinitate, quod secundum Augustinum,

C nec est majus aliquid, vel duo, vel omnes, quam unus, nec majus aliquid omnes quam singuli.

Aug. l. 3 cont. Maxim. c. 10 t.

Coæternæ quoque sunt personæ divinæ, quia in divinis non est ponere nisi duo genera, scilicet, substantiæ, & ad aliquid: quantitas vero, & qualitas transeunt in genus substantiæ, sicut æqualitas, & similitudo dicunt relationes, sed substantia communis est tribus personis. Relativorum autem proprium est simul esse: ergo nullo modo Pater est prior Filio, nec secundum id quod ad aliquid est, nec secundum id quod absolutum est. Idem ostenditur per exemplum in natura: quia licet splendor sit a sole, tamen esset soli coæternus, si sol esset æternus.

CA-

Caput XIII.

Inter essentiam, & personam differentia est.

Apud Græcos quatuor sunt vocabula, scilicet, usia, usiosis, hypostasis, prosopon: hæc apud Latinos æqu pollent istis quatuor, videlicet, essentia, substantia, subsistentia, persona. Inter hæc talis est differentia: quia usia, sive essentia dicit naturam ut humanitas: usiosis sive substantia dicit habens naturam, sive substans naturæ, ut homo: hypostasis dicit distinguibile, non tamen distinctum determinata proprietate, ut aliquis homo: prosopon sive persona dicit distinctum cum determinata proprietate ad dignitatem pertinente, ut Petrus, ut sicut homines particulares distincti sunt propriis qualitatibus, ita Pater & Filius, & Spiritus sanctus propriis notionibus. Sicut autem Græci dixerunt Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, scilicet tres hypostases, id est, tres res: ita & nos dicimus tres subsistentias, id est, tres res non indigentes alia re ut sint. Considerata igitur essentia divina in se, omnino indistincta est: persona vero in se distincta est suis proprietatibus. Considerata autem essentia in personis, vel persona in essentia, modum medium tenet, scilicet unitatem & distinctionem, & hoc patet in appropriatis, quæ omnibus personis conveniunt, ut potentia, sapientia, bonitas: sed ad unam magis determinantur. Nota quod semper substantia sumitur pro essentia, & quod essentia numquam transfertur ad significandam personam.

Tres sunt diffinitiones personæ: Persona est creaturæ rationalis individua substantia, hæc sumitur penes naturam rei. Secunda Hugonis de sancto Victore talis est: Persona est subsistens per se solam juxta quemdam singularem modum, hæc sumitur juxta etymologiam nominis: dicitur enim persona quasi per se una. Tertia est diffinitio magistralis sic, A Persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Nota etiam quod ista quatuor, prout supra sunt exposita, & exemplificata, scilicet essentia, substantia, subsistentia, persona differunt in creatura, re, & nomine: sed in divinis differunt ratione.

Caput XIV.

De immensitate Dei.

Non est in Deo quantitas dimensionis, sed virtutis, nec ubique est Deus mole corporis, sed præsentia majestatis, & per hunc modum dicitur immensus, sed nota quod immensitas quatuor in Deo complecti- B tur, scilicet infinitatem, incomprehensibilitatem, incircumscriptibilitatem, æternitatem. Si enim consideratur Deus in se, sic est infinitus. Psalmus: Magnitudinis ejus non est finis. (Ps. 144) Si vero consideratur in comparatione ad intellectum, sic est incomprehensibilis. Apostolus: O altitudo divitiarum; &c. (Rom. 11) Et propter hoc etiam dicitur sedere super Cherubim, (Psal. 79) id est super plenitudinem scientiæ, & super omnem intellectum. Si in comparatione ad locum, sic est incircumscriptibilis. Ambrosius: Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum Trinitas habet, non loco clauditur, non C terminatione concluditur, non ætate variatur. (Amb. l. 2 com. in Luc. c. 2 in ea verba Et ait. Angelus ei, &c.) Sed si consideratur in comparatione ad durationem, sic est æternus. Apostolus: Regi sæculorum immortali, &c. (1 Tim. 1) De his quatuor dicendum est in sequentibus per ordinem.

Tenendum est certissime quod in Deo non est proprie longitudo, nec latitudo, nec sublimitas, nec profundum. sed hæc metaphorice sunt in Deo. Est enim in Deo latitudo charitatis, qua nos ab errore revocat. Hieremias: In charitate perpetua dilexit te, ideo attraxi te miserias tui. (Hier. 31) Est & longitudo patientiæ, qua malos portat, dissimulat namque peccata hominum propter pœnitentiam. Est in eo sublimitas sapientiæ, qua omnem sensum superat. (Sap. 11)

rat. Apostolus: Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. Est etiam in eo profundum justitiæ, qua peccatores damnat. Matthæus: Item maledicti in ignem æternum.

Heb. 4
Matt. 25

Caput XV.

De infinitate Dei.

Dubitandum vero non est Deum esse infinitum quia cum in Deo idem sit potentia & essentia, patet quod essentia ejus est infinita, sicut & potentia. Unde sicut potentia Dei non ita potest in tot, quin possit in plura, sic & essentia Dei non est ita in aliquibus rebus, quin possit esse in pluribus; immo si mundi essent infiniti, omnes repleret. Præterea cum Deus sit rerum causa efficiens, formalis, & finalis, sicut non est dicere de Deo in quantum est causa efficiens, quod sit effecta, nec inquantum est causa formalis, quod sit formata: eadem ratione non est dicere cum sit causa finalis: quod sit finita. Nullo ergo modo dicendum est, Deum esse finitum secundum substantiam, nisi finitum dicatur completum & perfectum.

Sane triplex dicitur infinitum, scilicet negative, privative, contrarie, seu disparate. Infinitum negative, dicitur per abnegationem finis; & sic dicitur infinitum illud, quod non finitur: & hoc modo infinitum est, quod non est natum finiri. Infinitum privative est, quod natum est finiri, non tamen finitur. Infinitum contrarie est, quod habet contrariam dispositionem ad finiendum. Primo modo essentia divina est infinita, quia non habet finem, nec est nata finiri. Similiter si dicatur infinitum tertio modo. Si vero dicatur infinitum privative, sic non potest dici finita, quia non est nata finiri, immo est finiens omnia.

Item finis dicitur tripliciter, dicitur enim terminus, & secundum hoc quod quantitas continua est potentia infinita, quia est divisibilis in infinitum: & hoc ideo, quia in continuo non est terminus in divisione: sicut nec in numero est terminus in additione. Alio modo dicitur finis idem quod perfectio. Tertio modo dicitur finis, id propter quod unumquodque finitur. Primo modo Deus est infinitus, non secundum quantitatem dimensivam, quæ in Deo non est, sed secundum quantitatem virtualem, quæ in ipso est. Sed quia in Deo omnimoda est indivisio virtutis & essentiæ, non potest esse infinitas virtutis, quin etiam sit essentiæ. Secundo modo materia dicitur infinita, quia caret perfectione Tertio modo malum culpæ dicitur infinitum, quia non est ordinatum ad finem.

Caput XVI.

De incomprehensibilitate Dei.

Creator a creatura cognosci non potest ad plenum in via, vel etiam in patria, quia finiti nulla est proportio ad infinitum. Trinitas sibi soli nota est, & homini Christo. Unde Bernardus: Nihil Deo præsentius: & nihil incomprehensibilius: quid nempe cuilibet rei præsentius quam esse suum? Sane esse omnium dixerim Deum, non quod illa sint quod est ipse, sed quia ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Est enim intelligentia nostra ad illam lucem inaccessibilem multo minus, quam visus noctuæ, vel vespertilionis ad lucem: unde dicitur in Psalmo: Ambulavit super pennas ventorum, hoc est, super intelligentias etiam Angelicas. Verumtamen comprehenditur Deus aliquo modo per finem in via. Augustinus: Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emundetur, ad idem Bernardus: Ita Deus est in irrationalibus creaturis, ut non capiatur ab ipsis. A rationalibus tamen capi potest omnibus per fidei cognitionem, sed a bonis tantum capitur per amorem. Dicamus ergo quod de Deo scire possumus, quid non sit, non quid sit. Augustinus: Intelligimus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsiden-

Ber. in Ca. serm. 14 cir. fin.
Rom. 11
1 Tim. 6
Ps. 103
Ber. hom. 3 sup. Missus est an. med.
Aug. l. 5 de Trin. cap. 1. 8

dentem, sine habitu, vel ambitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum; sine sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.

Comprehenditur quoque Deus per speciem pro dignitate meritorum in patria. Augustinus: Videbimus tuæ majestatis essentiam, & unusquisque eo perspicacius quo hic vixerit purius. Et est exemplum in mari, quod se offert visui, & tamen secundum ambitum totum videri non potest: & hoc est tam propter maris latitudinem, quam propter ipsius nostri visus ad tantam superficiem improportionabilitatem. Hoc igitur tenendum est, quod in via Deum cognoscere possumus, quia est, & in patria, sicut est, numquam tamen, nec hic, nec ibi quid est.

Visus corporalis impeditur tripliciter, scilicet, per tenebras, per falsam lucem, per aversionem a re visibili. Eodem modo impeditur visus spiritualis circa cognitionem Dei. Primo, per tenebras peccati, vel erroris Joannes: Qui facit peccatum in tenebris est. Ad Corinthios. Adhuc cum legitur Moyses, velamen positum est super corda ipsorum. Secundo per falsam lucem: hoc autem fit, quando quis metitur æterna secundum naturalia. Exemplum habetur in ligno putrido, quod in nocte quamdam lucem videtur habere, sed cum dies venerit nihil est. Tertio, per aversionem a re visibili, sive cognoscibili; hoc est, quando quis spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhæret, talium oculis, cum sint ægri, odiosa est lux, & puris est amabilissima. Deus cognoscitur interius, & exterius. Interius dupliciter: quia quandoque per inspirationem, quod paucis datum est. Apostolus ad Corinthios: Scio hominem in Christo Jesu, &c. quandoque per ratiocinationem per quem modum plures Philosophi de Deo notitiam habuerunt. Ad Romanos: Invisibilia Dei, &c. Exterius etiam cognoscitur dupliciter: scilicet per creaturas. Apostolus: Videmus nunc per speculum, scilicet creaturarum, quæ modo sunt speculum Creatoris in

1 Joan. 2 *2 Cor. 3* *2 Cor. 12* *Rom. 1* *1 Cor. 13*

A præsenti: sic e converso ipse Deus erit speculum creaturarum in futuro, in quo omnia videbimus, quæ ad gaudium nostrum pertinebunt. Item per doctrinam Apostoli, Fides ex auditu, sicut cognoscitur vinum quandoque ex auditu, quandoque visu, quandoque gustu, sic Deus quodammodo cognoscitur auditu. Cognoscunt enim Deum qui audiunt verbum Dei, & per illud credunt: visu cognoscunt Theologi, qui legunt Deum in scripturis: & Philosophi, qui speculantur eum in creaturis: gustu cognoscunt soli boni. Psalmus: Gustate & videte, quoniam suavis, &c. Et iste ultimus modus perfectissimus est, & certissimus. Dionysius dicit, quod tribus modis cognoscitur B Deus, scilicet per remotionem, sive abnegationem: ut cum dicitur, Deus non est hoc, vel illud. Unde Dionysius: Negativæ de Deo sunt veræ: affirmativæ vero incompactæ. Item per eminentiam: ut cum in creatura inveniatur potentia, attribuenda est Deo summa potentia, & sic de aliis. Item per causam, secundum quod per effectus venitur ad cognitionem causæ, vel per cognitionem motuum ad cognitionem moventis. Item nota quod anima sensu percipit corpora, quia formam in materia tantum præsente corpore: imaginatione vero corporum similitudines, hoc est formas abstractas a materia, etiam præ- C sente corpore, vel absente: ratione autem corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia vero spiritum increatum.

Rom. 10 *Ps. 33* *Dionys. de div. nom. cap. 7 post med.*

Sciendum est etiam quod cognoscibilia quædam sunt infra rationem, quædam juxta, quædam supra. Infra rationem sunt, quæ sensu percipimus, ut alba, nigra, & hujusmodi. Juxta rationem sunt quæ ratione percipimus, ut vera, falsa, justa, vel injusta. Supra rationem sunt, quæ sola divina revelatione comprehenduntur, aut auctoritate scripturarum creduntur, ut tres esse personas: unum Deum.

1 Joan. 5

CA-

Caput XVII.

De incircumscriptibilitate Dei.

Ubique Deus est, & tamen nusquam est, quia nec abest ab ullo loco, nec ullo capitur loco. Aug. Deus est in mundo non inclusus, extra mundum non exclusus, supra mundum non elatus, infra mundum non depressus. Ex his patet quod Deus est intra omnia, & hoc quia omnia replet, & ubique præsens est. Item extra omnia est, quia omnia continet, nec usquam valet coarctari.

Sed nota quod hæc præpositio, extra, dicit ibi, non actualem præsentiam ad locum, sed potentialem, quæ est Dei immensitas, quæ infinitos mundos potest replere, si essent. Item ipse est supra omnia: quia omnibus præstat, nec aliquid ei æquatur. Item infra omnia est: quia cuncta sustinet, & sine ipso nihil subsisteret. Dicimus etiam quod ubique est, non ut indigeat rebus quod in eis sit, sed potius res sui indigeant, ut per eum subsistant. Deus enim ante mundi constitutionem fuit, ubi nunc est, scilicet, in se, quoniam ipse sufficit sibi. Sciendum est ergo, quod aliquid est in loco circumscriptive, & diffinitive, ut corpus: aliquid diffinitive, non circumscriptive, ut Angelus: aliquid nec sic, nec sic, ut Deus, & hoc ideo, quia non individuatur per materiam ut corpus, neque per suppositum, ut Angelus. Aliquid est etiam in loco, partim circumscriptive, partim diffinitive, ut corpus Christi in sacramento: quod est totum sub tota hostia, ita quod non excedit, & secundum hoc est circumscriptive; est quoque sic sub hostia quod non ubique, & sic est ibi quodammodo diffinitive. Corpus autem Christi licet non sit ubique, cum sit creatura, nec æquari possit in hujusmodi Creatori, in pluribus tamen locis est, id est, sub diversis hostiis: & hoc est propter unionem carnis ad Verbum, unde merito habet amplius, quam alia creatura: scil. quod in locis pluribus possit esse. Ex prædictis patet, quod esse ubique simpliciter soli convenit Creatori, sed in loco uno esse, convenit creaturæ. In pluribus vero locis esse, sed non ubique, convenit corpori Jesu Christi.

Nota quod Deus est multipliciter in rebus, scilicet per naturam, & sic est ubique potentialiter, præsentialiter, essentialiter. Item per gratiam, sic est in bonis; Qui manet in me, & ego in eo, hic &c. *Joan. 15* Item per gloriam, sic est in rationali virtute animæ, ut veritas: in concupiscibili, ut bonitas: in irascibili, ut potestas. Item per unionem sic fuit in utero Virginis unitus humanæ naturæ, & in sepulchro unitus carni, & in inferno unitus animæ Christi. Item Deus dicitur esse alicubi per occultorum revelationem. In Genesi. *Gen. 28* Vere Deus est in loco isto. Item per vestigiorum ejus excellentem repræsentationem: sic dicitur esse in cœlo, quia ibi maxime relucet sua potentia: sapientia, bonitas. Item per naturæ identitatem, sicut est Filius in Patre, & Pater in Filio, *Joan. 10* & Spiritus sanctus in utroque. Item per miraculorum operationem. In Exodo: Digitus Dei est hic Item, *Exod. 8* per conservationem, & gubernationem, sic est in mundo. Item Deus est in seipso ut α, & ω, secundum *Apoc. 1* illud.

Dic ubi tunc esset, cum præter eum
nihil esset?
Tunc ubi? nunc in se, quoniam sibi
sufficit ipse.

Per quod patet solutio quæstionis quorumdam simplicium, qui quærunt, Ubi Deus fuerit priusquam mundus esset, ubi tunc esset, &c. Item ipse est in mundo sicut Rex in regno. Bernardus: Deus ubique regnat, ubique imperat, ubique majestas ejus omnia replet, & complectitur universa. Item in angelo, ut *Matt. 28* decor, inquantum veritas in anima, & sicut sapor, in quantum bonitas. Item in Ecclesia est, sicut paterfamilias in domo. Unde illud: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Item in electis, ut liberator a malis, adjutor in bonis, & hoc est quod dicit Bernardus:

Bern. in hom. med. c. 1 dus: Deus est in creaturis, mirabilis: in hominibus, amabilis: in Angelis, desiderabilis: in seipso incomprehensibilis: in reprobis, intolerabilis. Item in damnatis, ut terror *Psal. 138* & horror. Augustinus: Qui te dimittit, quo it? nisi a te placato ad te iratum. Non enim manum Domini possumus effugere. Psalmus: Si ascendero in cœlum, tu, &c. Si vero dubitatur, utrum Deus sit in diabolo: Sciendum quod quædam nomina sunt, quæ important naturas, prout naturæ sunt, in his concedendum est quod Deus insit. Sunt alia per quæ intelliguntur deformitates, ut diabolus: de quibus non est dicendum quod Deus insit, nisi addatur inquantum spiritus est; vel aliquid tale. Deus est in anima fideli, ut sponsus in thalamo, rex in regno, turris in castro. Item sicut magister in scholis, fons in hortis, lux in tenebris. Item sicut thesaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro. Item sicut manna in arca, sigillum in charta, medicina in apotheca. Item sicut cithara in convivio, imago in speculo, mel in favo. Item sicut fructus in arbore, oleum in lampade, lilium in convalle.

Caput XVIII.

De Æternitate Dei.

Sicut Deus ubique est, & tamen nullo loco circumscribitur, vel continetur, sic æternus est; & tamen nullo tempore mensuratur. Non enim ei competit tempus præsens; nec præteritum, nec futurum. Nam tempus præsens manens esse non habet, quia pertransit, Deus autem semper manet idem. Unde Hilar. Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, & manens causa. Similiter tempus præteritum modo non est, nec habet esse subsistens: sed de *Ps. 101* Deo dicitur, in Psalmo: Ipsi peribunt, tu autem permanes. Similiter tempus futurum non est, sed expectatur, Deus autem semper est. Unde Mercurius: Sola monas est α, & ω, sine α, & ω, hoc est quia Deus

A est principium, sine principio, & finis sine fine. Cum enim simplex sit omnino, non habet in se principium contrarietatis, quod est causa corruptionis. Quid autem sit æternitas secundum rem, sciendum quod proprie dicitur diuturnitas sine principio, & sine fine, & mutabilitate: & secundum hoc convenit æternitas soli divinæ naturæ in qua est diuturnitas immensa. Æternitas vero secundum etymologiam dicitur quasi extra terminos, quia termino caret, tam initiali, quam finali: sed secundum diffinitionem Boetii in libro de consolatione, Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. *Boet. de consolat. l. 5 pros. 6*

B Ad hujus diffinitionis intelligentiam notandum, quod in quibusdam est determinabilitas simpliciter, quia ex parte ante, & ex parte post, ut sunt generabilia, & corruptibilia, ad quorum differentiam ponitur interminabilis. Et bene ponitur illud per negationem, quia simplicia & præcipue divina nullo modo melius manifestantur quam per remotionem, ut ait Dionysius. Et hujus ratio est, quia simplicium esse non potest intellectus perfecte comprehendere, & ideo ex negationibus eorum, quæ ab ipsis removentur, manuducitur intellectus ad ea aliqualiter cognoscenda. Item in quibusdam est interminabilitas essentiæ, sed non vitæ: *Dionys. de div. nom. c. 7 post med.*

C ut in corporibus cœlestibus, ad quorum differentiam additur, vitæ. De Deo autem dicit Apostolus quod solus habet immortalitatem. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est, ipsa mutatio: quia facit in ea aliquid non esse, quod prius erat. Unde & homo quando nascitur, quodammodo incipit mori. In quibusdam autem est interminabilitas vitæ, sed tamen cum miseria, & infelicitate, ut in dæmonibus, & damnatis: ad quorum differentiam additur possessio, in cujus intellectu est jucunditas felicitatis, quia tunc possessio alicujus rei jucunda dicitur quando ad libitum habetur. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio, sed non tota, ut in hominibus beatis ante judicium: quorum est bea- *1 Tim. 6*

beatitudo secundum partem animæ, & non corporis: ad quorum differentiam dicitur tota, quia totum est quod non est diminutum, vel cujus nihil est extra. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota, ut in Angelis beatis ante judicium, quia secundum totam sui substantiam habent felicem, & interminabilem vitam, sed non simul, cum aliqua sit in eis successio revelationum, & gaudiorum: ad quorum differentiam ponitur simul. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota simul, sed tamen non perfecta, eo modo quo dicimus perfectum nullo indigens, sicut est in Angelis, & in hominibus beatis post judicium. ad quorum differentiam additur perfecta, id est, nullo indigens ad suum beatum esse.

Patet igitur ex prædicta diffinitione, quod tres ponuntur ibi conditiones, quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata, quæ Deus est, sc. interminabilitas, ibi, *Interminabilis vitæ possessio*. Item invariabilitas, ibi, *tota simul:* nihil enim variabile est in Deo, sed totum simul. Item simplicitas, ibi, *perfecta*. Illud enim summe perfectum est, cui non est possibilis aliqua additio. Per primum separatur Deus ab omni corruptibili. Per secundum ab omni variabili. Per tertium, ab omni composito. Item nota quod illud quod caret principio & fine, dicitur eternum, ut Deus, cujus esse interminatum est. Sed quæ principium habent, & carent fine, dicuntur perpetua, ut Angelus, & homo. Quæ vero principium & finem, habent, dicuntur temporalia, ut sunt corruptibilia, sicut vegetabilia, bruta, sensibilia, & hujusmodi.

Caput XIX.

De incommutabilitate Dei.

IMmutabilis est Deus, & impermutabilis, & incommutabilis. Immutabilis quia non cadit in eo motus accidentalis, scilicet accidentium. Leo Papa: Simplici naturæ divinitatis nihil addi, vel diminui potest:

A quia semper est quod est. Item nec diminutio. Malachias: Ego Deus, Malac. 3
& non mutor. Item nec alteratio, Jac. 1
Jacobus: Apud quem non est transmutatio, &c. Item nec secundum locum mutatio, quia ubique præsens. Hieremias: Cœlum & terram Hier. 23
impleo. Impermutabilis autem est, quia non cadit in eum motus substantialis, qui est de non esse ad esse generatio, quia initium non habuit, nec ille, qui est de esse ad non esse, ut quia finem non habebit: illud enim solum in nihil est vertibile, quod est de nihilo. Incommutabilis est etiam Deus, ex eo quod non cadit in eum motus ex operatione, Nam soli Deo convenit in operatione quietum esse. Unde Boetius.
B

O qui perpetua mundum ratione gubernas. Boet. l. 3. de consol. metr. 9
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Unde quando Deus facit aliquam rem, non fit in ipso Deo aliqua mutatio, sed in re circa quam operatur. Quod autem fecit Deus prædicare subversionem Ninive, & prædicere mortem Ezechiæ, quorum neutrum accidit, in talibus non mutavit Deus consilium, quod ab æterno secum habuit, sed sententiam, quæ respectum habuit ad ipsa negotia: quia Ninive subvertenda erat secundum merita: & Ezechias moriturus erat secundum causas inferiores: sed hæc non imposuerunt necessitatem divinæ potentiæ. Jon. 3 Isa. 38
C

Item tres distinguuntur motus, scilicet naturalis, voluntarius, & violentus. Naturalis est quo naturaliter res tendunt ad locum proprium. Motus autem violentus est, quando coguntur res esse extra locum proprium: sed motus voluntarius est in hominibus, vel in Angelis: nam bruta naturaliter moventur, quando currunt, vel moventur, vel operantur: & iste motus est medius inter naturalem, & violentum: quia partim est naturalis, scilicet inquantum voluntas conjungitur suo actui, sicut causa suo effectui: & partim est vio-

lentus, inquantum scilicet moventur membra contra motum suum naturalem: propter quod etiam lassantur, quæ ex motu naturali numquam lassarentur.

Igitur primo modo motus non est in Deo, scilicet naturalis & hoc probatur per quatuor rationes. Prima est, quia omnis motus est ad quietem, & propter indigentiam, sicut dicit Philosophus: sed Deus nullius eget. Secunda est, cum sit ubique non habet necesse de loco ad locum moveri. Tertia est, quia non est in eo gravitas vel levitas, propter quam sursum & deorsum moveatur. Quarta est, quod cum Deus in seipso semper maneat, non habet necesse locum proprium, & sibi naturalem extra se quærere, sicut aliæ creaturæ. Item secundo modo non movetur, scilicet motu violento, quia non fit ei violentia. Job: Si fortitudo quæritur, robustissimus est. (Job 9) Item tertio modo non movetur, scilicet motu voluntario, quia in opere non lassatur, ut animalia. Præterea nostra mens est instabilis, quia modo proficimus, modo deficimus, modo reminiscimur, modo obliviscimur, modo volumus, modo nolumus, modo diffusis cogitationibus, atque affectionibus, & consiliis huc atque illuc vagamu. Deus autem semper se habet æqualiter, & immobiliter.

Item alius est motus circularis, alius rectus, alius obliquus. Circularis est corporum superiorum, prout firmamentum movetur secundum formam quidem, ut dicit Philosophus, non secundum substantiam. Hoc est dicere, quod non movetur ad locum, sed in loco. Motus autem rectus sursum est, vel deorsum, secundum quod corpora inferiora moventur propter levitatem, vel gravitatem. Motus obliquus compositus est ex recto & circulari: unde quod reflectitur, habet a motu circulari: quod vero linealiter procedit, habet a recto. Nullo autem istorum modorum movetur Deus, quia proprietates istorum motuum non conveniunt ei. Possumus autem dicere, quod isti motus Deo conveniunt mystice, ut dicatur moveri motu circulari, omnia

A regendo, & gubernando. Item motu recto, bonos remunerando. Item motu obliquo, perversos a peccato mundando. Eodem modo posset dici quod Deus movetur motu naturali, quo solita scilicet bonitate omnibus creaturis pro captu earum se communicat. Item motu violento quo peccatores juste damnat. Item motu voluntario, quo cuncta in esse conservat. Sic potest exponi dictum Philosophi, qui assignavit motum a centro, & ad centrum, & circa centrum, quoniam Deus movetur ad centrum in Incarnatione, & a centro in Ascensione, & circa centrum in prædicatione. Propter hæc & his similia dicitur in libro Sapientiæ, (Sap. 7)
B Spiritus sanctus est mobilis, & stabilis: mobilis, quia facit sanctos mobiles ad bene operandum, & in bono proficere. Stabilis autem, quia dat in bono perseverare: vel mobilis in via, stabilis in patria: vel mobilis in activis, stabilis in contemplativis: vel mobilis in aliis sanctis, stabilis in Christo. Isaias. Requiescet super eum spiritus Domini, &c. (Isa. 11) Sciendum quod quædam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem & essentiam, ut scire: quædam secundum causalitatem, & non essentiam, ut comedere & currere: quædam secundum essentiam, & non causalitatem, ut creare & justificare: quædam auctoritate, ut docere,
C & prædicare: quædam nec sic, nec sic, ut peccare & mentiri, & hujusmodi.

Caput XX.

De simplicitate Dei.

Simplex est Deus, & Angelus & anima, sed differenter: quia in Deo idem est quod est, & quo est: & hæc est perfecta simplicitas. Bernardus. Hæc sola increata natura hanc sibi vendicat simplicitatem, ut (Ber. in Cant. serm. 80 post med.) non aliud, & aliud alibi, & alibi, modo, & modo inveniatur in ea, nempe quod habet, & quod est, semper, & uno modo est. Sed in Angelo, & in anima differunt quod est, & quo est: & ideo est ibi quædam

al-

alteritas, & compositio quantitatis, unde Mercurius: In supercælesti est unitas, in cœlesti alteritas, in subcælesti pluralitas. Simplex est itaque Deus in essentia, quia nihil ei accidens esse potest, immo perfecta simplicitas ibi est, cum non sit ibi possibilis additio; quia quidquid est in Deo, Deus est, unde Leo Papa: Simplici divinitatis naturæ nihil addi, vel minui potest: quia semper est quod est, cui proprium est sempiternum esse, cui idem est vivere & intelligere. Verumtamen multiplex est in donis: Apostolus: Alii datur sermo sapientiæ. &c. Jacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. Non enim in Deo est compositio partium integralium ut in domo, nec partium potentialium, ut in anima: nec generis & differentiarum, ut in specie, nec materiæ & formæ, ut in corporibus: nec coacervationis unitatum, ut in numero: nec quod est, & quo est, ut in Angelo: nec substantiæ & accidentis, ut in individuo: nec corporeæ substantiæ & incorporeæ, ut in homine. De his Bernardus: Non partibus constat Deus, ut corpus: nec affectibus distat, ut anima: nec formis substat, ut omne quod factum est. Hoc etiam ostenditur ratione, quia cum omne compositum sit posterius omnibus suis componentibus, nec primo principio quidquam sit prius, oportet Deum, qui est primum principium, non esse compositum. Præterea nullum compositum est totum suum esse: Deus igitur cum sit suum esse, non erit compositus. Unde Bernardus: Non est formatus Deus, forma est: non est effectus Deus, omnium efficiens causa est: non est compositus Deus simplex est.

1 Cor. 12
Jac. 1
Bern. l. 5 de consid. c. 7 circ. med.

Caput XXI.

De excellentia Dei.

Divinæ dignitatis excellentia tanta est, quod mens de Deo cogitans deficit, cum sit incomprehensibilis. Sensus eum non percipit, cum sit invisibilis, lingua ipsum non ex-

A plicat, cum sit ineffabilis: locus eum non capit, cum sit incircumscriptibilis: scriptura eum non explicat, cum sit inæstimabilis; tempus eum non mensurat, cum sit immensurabilis, virtus eum non attingit, cum sit inaccessibilis: desideria & vota transgreditur, cum sit insuperabilis, vel incomparabilis: & breviter omnis creatura ad Deum comparata, defectum habet: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Ecce patet quod divina excellentia nullius eget, quia sibi sufficit. Non enim indiget corpore, ut sit, nec loco, ut alicubi sit: nec tempore, ut aliquando sit: nec causa, ut aliunde: nec forma, ut materia sit: nec subjecto in quo

B subsistat, vel cui assistat.

Sunt & alia quæ soli divinæ majestati conveniunt, & nulli alii creaturæ, in quibus excellentiæ suæ dignitas apparet: sicut est esse omnipotentem, omnibonum, omniscientem: quia cognoscit omnia præsentia, præterita, & futura: & omnia singularia simul actu solus cognoscit: ea quæ subsunt libero arbitrio, & cogitationes hominum solus cognoscit per seipsum. Item ad ipsum solum pertinet ubique præsentem esse, de nihilo res creare, in instanti operari, in operatione quietum esse, mirabilia facere ex auctoritate, de qualibet creatura facere quod vult, voluntatem hominis cognoscere * in *al. cogere

C ictu oculi mortuos suscitare, essentiæ animæ illabi, peccata dimittere, gratiam infundere, in igne perpetuo corpus servare.

Quando aliquid creaturæ convenit, quod competit Creatori, tamen excellentius de Deo dicitur, ut si in creatura est potentia, in Deo sit summa potentia: si sapientia, in Deo sit summa sapientia, & sic de aliis. Unde & hujusmodi dicuntur de Deo in superlativo, propter quod Deus dicitur potentissimus, sapientissimus, justissimus, optimus, pulcherrimuus, & sic de aliis Augustin. in libro de Trinitate: Oportet Deum ut est, & summe vivere, & cuncta sentire atque intelligere, nec mori, nec corrumpi, nec mutari posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium po-

Aug. l. 5 de Trinit. cap. 4 & 5

potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur. Potest etiam præter auctoritatem ratiocinari: quia bona sunt excellentius in Deo, quam in creatura, quia semper est aliquid nobilius in causa, quam in causato: videmus etiam quod aqua purior est in fonte, quam in rivo. Radii quoque solis lucidiores sunt in ipso sole, quam in aere, & dulcedo major est in melle, quam in mellito.

CAPUT XXII.

De notionibus Dei.

NOtiones Dei sunt quinque, scilicet paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, & communis spiratio. Prima est Patris, secunda Filii, tertia Spiritus sancti, quarta Patris, quinta Patris & Filii. Tres primæ notiones dicuntur personales, eo quod personas faciunt, & eas proprie distinguunt: & illæ solæ sunt tres unitates trium personarum, quibus personæ dicuntur tres: unde licet Pater plures habeat proprietates, tamen Pater paternitate tantum unus est, indivisus est in se, & divisus ab aliis. Innascibilitas autem est in Patre, & sumitur privative, eo quod Pater sit a nullo: & tamen Patrem notificat: sicut ovis non signata per hoc ipsum distinguitur a signatis. Similiter communis spiratio est una notio, & illa unitas est idem in Patre & Filio, & est distincta ab omni alia notione. Notandum igitur quod proprie loquendo, tres sunt proprietates personales, scilicet, Paternitas, Filiatio, & processio: quia personalis proprietas est, quæ uni soli personæ convenit, & eam ab omni alia re distinguit.

Relationes vero sunt quatuor: quia una est Patris ad Filium, scilicet, Paternitas: alia Filii ad Patrem, scilicet, Filiatio: tertia est Patris & Filii ad Spiritum sanctum, scilicet communis spiratio: quarta Spiritus sancti ad Patrem & Filium, scilicet processio.

Notiones autem sunt quinque: A quia quælibet relatio est notio, & præterea innascibilitas, quæ Patri convenit per privationem relationis ad aliquod principium, non est relatio. Notiones habent multa nomina: dicuntur enim notiones, quia notificant personas: dicuntur etiam distinctiones, quia personas distinguunt: dicuntur relationes, quia personæ per eas ad se invicem referuntur: dicuntur quoque proprietates, quia proprie personis insunt.

Nota regulas notionum: Nulla notio de alia prædicatur. Item quælibet notio est essentia divina, quæ Deus est. Item omnes notiones sunt una essentia. Item nulla notio inest divinæ essentiæ, distinguens eam, B quia ipsa non distinguit, nec distinguitur. Item notiones sumptæ abstractive prædicantur de essentia, sed sumptæ concretive, non: unde bene dicitur essentia est Paternitas, sed non dicitur essentia generans. Item notio semper importat dignitatem. Item supposita notione non ponitur persona: quia aliquid convenit notioni, quod non convenit personæ. Notioni enim convenit proprie distinguere: sed personæ distingui.

CAPUT XXIII.

De nominibus divinis.

C OMne nomen quod de Deo dicitur, aut essentiale, aut personale, aut notionale est. Essentialium quædam sunt substantiva, ut Deus, Creator, & similia: quædam vero adjectiva, ut bonus, æternus, immensus, & hujusmodi. Personalia, ut Pater Filius, & Spiritus sanctus. Notionalia sunt, ut Paternitas, Filiatio, innascibilitas, & hujusmodi. De his notandum, quod nomen substantiale, vel essentiale substantivum, & abstractum nullo modo potest trahi ad supponendum pro persona: unde falsæ sunt hæ: Essentia genuit essentiam, vel divinitas divinitatem. Actus enim generationis semper ponendus est in concreto. Sed concreta licet sint essentialia, trahi tamen possunt ad supponendum pro persona,

na, & hæc per verba notionalia, A vel per propositiones notionales, unde veræ sunt hæ, Deus genuit Deum, Creator Creatorem, vel Deus de Deo. Similiter de nominibus quæ media sunt, ut lumen de lumine. Item hoc nomen sapientia, licet sit abstractum, ut sapientia de sapientia, tamen potest ex usu sumi, ut non abstractum. Essentialium autem adjectivorum quædam prædicant pure divinam substantiam, ut bonus, & ens: quædam essentiam divinam connotando privationem principii, & finis, ut æternus, vel certæ mensuræ localis, ut immensus: quædam principaliter significant essentiam divinam, & connotant effectum in creatura actu, ut creat, justificat vel in B habitu, ut justus, & misericors, vel in potentia, ut, omnipotens. Sunt quædam verba, quorum nec significatio, nec modus significandi Deo convenit, ut currere & ambulare: nam modus est varia inclinatio animi varios ejus effectus demonstrans. Modus significandi nihil aliud est, quam dispositio vocis, quæ constituit intellectum sub tali modo intelligendi, & per consequens ipsam rem. Cum ergo dicitur de Deo ambulare, vel currere, & hujusmodi, significatio horum prout sunt actu, Deo non convenit. Modus autem significandi quamdam importat imperfectionem, dico quoad motum, qui quidem motus necessitatis C convenire non potest. Quædam sunt quorum significatio Deo convenit, sed non modus significandi, ut creare, facere. Quædam sunt quorum significatio, & modus significandi Deo convenit ut patet in hoc verbo Exodi: Qui est, misit me ad vos. Exod. 3

Et notandum quod omnia, quæ sunt perfectionis, de Deo vere dicuntur: quæ autem sunt imperfectionis non dicuntur, cum dicuntur, aut secundum assumptionem humanæ naturæ, aut translative dicuntur.

Item in divinis tantum sunt duo modi prædicandi, scilicet per modum substantiæ, & per modum relationis: sed substantia continet unitatem, & relatio multiplicat Trinitatem.

Quædam sunt nomina quæ de Deo dicuntur æternaliter, ut Dominus & misericors, quæ connotant effectum in creatura secundum habitum. Quædam vero temporaliter, ut dominator & miserator, quæ connotant effectum in creatura secundum actum. Quædam pluraliter, ut personæ. Quædam singulariter, ut Deus Quædam proprie, ut proprietates personarum. Quædam appropriate, ut potentia, sapientia. Quædam positive, ut justus. Quædam privative, ut immortalis, & hæc magis proprie dicuntur de Deo, quam positiva: quia melius dicitur de Deo, quid non sit quam quid sit. Quædam translative, sicut leo, quæ symbolice de Deo dicuntur, ut agnus, leo. Duplex est enim Theologia, symbolica videlicet, & mystica. Symbolica nominat Deum ab inferiori, mystica a superiori. Symbolica nominat Deum per convenientiam rerum, cum dicitur leo, agnus, & hujusmodi. Mystica vero, id est, occulta, nominat Deum per hoc, quod in occulto de ipso sentit per intellectualem visionem, sive contemplationem, ut quando nominat Deum suavem, dulcem, dilectum, & hujusmodi. Utrobique tamen per creaturas nominatur, sed in symbolica per exteriores, in mystica per interiores, & digniores affectus, quos anima supra se recipit: & ita imponit per donum sapientiæ, cujus proprium experimentum est cognoscere qualis sit Deus. Quædam dicuntur collective, ut Trinitas, trinus. Quædam relative, ut æqualis, similis. Quædam respective ad creaturas, ut Creator, refugium. Et hæc nomina non dicunt relationem Dei ad aliud: sed aliorum ad Deum. Duo sunt principalia nomina Dei, scilicet Qui est, & bonum. Per primum significatur Dei esse absolutum in se, & sic consideratur, ut infinitum, quia: Qui est, dicit substantiam infinitam, cum sit nomen infinitum. Per secundum notatur esse divinum, ut causa: fecit enim Deus omnia propter bonitatem suam. In Theologia supponitur quid, & hoc per nomina essentialia, ut Deus, divi-

nitas, potentia, essentia, natura. A Item supponitur quis, ut cum supponitur persona. Item supponitur quæ, ut cum supponitur ratio. Præterea per neutrum genus dicitur substantia divina; per masculinum persona, per fœmininum notio: & per hoc patet, quod non debet cantari in hymno, Unus Patri cum Filio: quia Pater, & Filius non sunt unus in persona, sed unum in substantia: unde magis cantandum est, Unum Patri cum Filio.

Caput XXIV.

Deus est ineffabilis.

Nihil digne vel proprie de Deo B dicitur propter ejus excellentiam. Non enim per nomina propria de Deo loquimur, quia nomina significant substantiam cum qualitate, & ita intelligitur ibi compositio formæ, cum materia, quæ in Deo non est. Nec per pronomina, quia de Deo dicta cadunt a demonstratione: non enim potest esse ibi demonstratio ad sensum, cum sit incorporeus: nec demonstratio ad intellectum, cum sit incognoscibilis. Si ergo dicis, quod hujusmodi pronomina secundum Priscianum, si cadunt a demonstratione, cassa essent & vana: dicendum est quod ibi est demonstratio ad fidem. Nec per verba quæ cum modis & formis, C cum tempore, sine casu, agendi, vel patiendi significantia sunt: sed talia non cadunt in Deum. Neque per participia, quæ sequuntur naturam nominis, & verbi. Nec per alias partes orationis, quæ non sunt subiicibiles, vel prædicabiles. Ex his patet, quod Deum non possumus notificare per diffinitionem: sed qualitercumque per circumlocutionem. Unde Bernardus: Quid est Deus? ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, invisibilis, inaccessibilis in se, in suis spectabilis. & solus mirabilis.

Be. de consid. l. 5 c. 6 & 7

Multis modis asseritur aliquid de Deo. Primo, per naturalem rationem, quæ dictat, quod unus Deus est remunerator bonorum, & punitor malorum. Secundo, per fidem, qua dicimus Deum unum esse in substantia, & trinum in personis. Tertio, per sacram Scripturam. Quarto, per rationes probabiles. Quinto per exteriores prædicationes. Sed in his duobus ultimis modis non est innitendum, nisi firmitatem habeat ab aliquo prædictorum trium. Est enim regula, quod quicumque asserit aliquid de Deo, quod non est sibi certum, per naturalem rationem vel per fidem, vel per sacram Scripturam præsumit, & peccat. Heb. 1

Caput XXV.

De ideis & libro vitæ.

Ideæ rerum, & exemplar, & rationes sic in Deo sunt, quod idea importat causam efficientem conformem effectui, sed exemplar causam formalem, ratio vero causam finalem. Deus enim omnium rerum est principium, a quo sunt; forma & exemplar, ad cujus imitationem sunt; & finis ad quem sunt. Hæc tria sic a se differunt, quod exemplar unum est, quia exemplar connotat causalitatem: causata vero in causa sunt unum: sed rationes, & ideæ sunt plures: quia ista respectu rerum dicuntur. Sunt itaque plures ideæ quæ connotant cognitionem. Cognoscibilia autem distinguuntur in cognoscente. Similiter & rationes in Deo plures sunt: quia singula causata sunt suis rationibus. Absurdum enim est dicere, ut ait Augustinus, equum creatum esse ea ratione, qua hominem.

Aug. l. 83 quæst. q. 46 c. 4

Sciendum autem est, quod duplex est pluralitas: una quidem est rerum, & secundum hoc non sunt plures ideæ, sive exemplaria in Deo; immo una res est, quæ omnium est exemplar, scilicet essentia divina, quam omnia imitantur, inquantum bona sunt: alia vero est secundum intelligentiæ rationem, & secundum

dum hoc plures ideæ sunt in Deo. Quia omnes res inquantum sunt, divinam imitantur essentiam, prout est imitabilis, non tantum uno modo, sed diversimode, & secundum diversos gradus. Sic igitur divina essentia secundum quod est imitabilis, hoc modo ab hac creatura est propria ratio hujus creaturæ, & similiter de aliis. Unde secundum hoc plures ideæ in Deo sunt, quia intelligitur divina essentia secundum diversos respectus, quos res habent ad ipsam, eam imitantes diversimode: hujusmodi autem non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab increato ipsius Dei. Sic enim Deus & ab æterno scivit, quod diversæ creaturæ diversimode ipsius essentiam essent imitaturæ, & secundum hoc ab æterno fuerunt in mente divina plures ideæ secundum quod intelliguntur, sicut rationes propriæ rerum intellectæ in Deo: hoc enim importat nomen ideæ, ut sit, scilicet quædam forma intellecta ab agente, ad cujus exemplum exterius opus producere intendit. Dicendum est ergo, quod licet rationes in Deo & ideæ sint una veritas, una lux, & una essentia, dicunt tamen plures rationes, & ideæ, propter pluralitatem ideatorum: cujus exemplum habemus in naturis. Videmus enim quod omnes lineæ circuli uniuntur in centro: remotæ autem a centro differunt ab invicem. Item ideæ sunt, ut dicit Augustinus, formæ principales rerum, quæ divina intelligentia continentur. Dicendum est igitur, quod sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideæ rerum ante mundi constitutionem in mente Creatoris erant: Non enim aliquid extra se aspiciebat secundum quod mundum faceret. Ex hoc patet quod omnis creatura prius in Deo existit, quam in seipsa: unde cum ab ipso per creationem processit, ab ipso quodammodo distare cœpit: unde rationalis creatura ad ipsum redire debet, cui primo conjuncta fuit, antequam esset, & hoc per ideas, quæ non aliud, quam ipse Deus sunt, & erunt: sic autem ad locum unde exeunt, flumina revertuntur.

Aug. ubi sup. prox.

Eccl. 1

Res, prout sunt in Deo, dicuntur vita, quæ importat rationem boni. Quod factum est in ipso vita erat. Dicuntur etiam lux, quæ importat rationem veri. Augustinus super Genesi: Creaturæ in Deo sunt lux: hæc ideo dicuntur, quia in Deo non sunt mala, neque falsa:

Joan. 1

Differentia est inter exemplar, & librum vitæ, & speculum. Exemplar enim dicitur respectu rerum, ut redeuntium tamquam ad causam primam, quia connotat creaturam, ut supra dictum est. Speculum dicitur respectu rerum euntium. De libro vitæ dicit Hugo de sancto Victore, quod liber vitæ est cujus origo æterna, incorruptibilis essentia, cognitio vera, scriptura indelebilis, inspectio desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas imperscrutabilis: verba innumerabilia, tamen unum Verbum omnia. Idea vero, moraliter loquendo, multipliciter est in Deo, scilicet sicut ramus in arbore, apis in flore, navis in littore, sessus in thalamo, thesaurus in agro, scriptura in libro, avicula in nido, piscis in rivo: qualibet res in sibi proprio, stella in firmamento, imago in speculo, cera in sigillo, gemma in auro, mel in favo.

CAPUT XXVI.

De appropriatis divinis personis.

Quamvis omnia essentialia omnibus personis æqualiter conveniant, appropriatur tamen Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas: & hoc propter exclusionem carnalis intellectus, ne videlicet Pater ratione antiquitatis credatur impotens, Filius ratione inventutis credatur insipiens, Spiritus sanctus ratione impetuositatis credatur crudelis. Hæc ratio pertinet ad simplices, alia pertinet ad sapientes, scilicet quod potentia naturaliter præcedit sapientiam; & utraque bonam voluntatem. De attributis ita-

itaque est loqui dupliciter, aut secundum rem, & sic omnino idem sunt, nec appropriantur: aut secundum rationem, & sic eorum quædam appropriantur quædam non, nam appropriatio nihil aliud est quam specialis attributio ratione alicujus conformitatis cum proprio illius personæ; sicut potentia habet similitudinem cum Patre, qui est principium universale: & sapientia cum Verbo & bonitas cum amore. Prædictam appropriationem habet consuetudo scripturarum, quæ opera manifestativa potentiæ attribuit Patri, sapientiæ Filio, bonitatis Spiritui sancto. Alia est appropriatio Hilarii. Æternitas in Patre, qui non habet principium inceptionis in se, nec principium essendi ab alio. Species in imagine, id est, in Verbo, quia summe pulchrum. Usus in munere, hoc est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum, & cummunicativum est. Istud per alia verba sic insinuat Augustinus: In patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Convenit autem Patri unitas: quia sicut unitas a nullo descendit, & omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus Pater a nullo est, & aliæ personæ ab ipso sunt. Præterea sicut unitas de se gignit unitatem, ita de se pater gignit alterum se, id est, Filium. In Filio vero dicitur esse æqualitas, quæ æquatur Patri non solum in potentia, & sapientia, & bonitate: sed etiam in hoc, quia sicut Pater dat suam bonitatem alteri personæ, sic & Filius. In Spiritu sancto autem unitatis, æqualitatisque concordia, seu connexio: quia est amor amborum, id est, Patris & Filii. Item quarta appropriatio est, quod in Patre est ratio principiandi & originandi, quia summe primum. In Filio vero ratio exemplandi, quia summe pulchrum: sed in Spiritu sancto ratio faciendi, quia summe bonum.

Hil. lib. 2 de Trin.

Aug. lib. 1 de Doctri. Christiana cap. 5 to. 3

CAPUT XXVII.

De potentia Dei.

POtentia Dei duplex est, scilicet absoluta, & ordinaria. Multa vero potest primo modo, quæ non potest secundo modo, quia multa subsunt suæ potentiæ, quæ non congruunt sibi ut nunc facere, posset tamen facere ea congruentia, & sic posset ea facere. Deus omnia potest omnibus modis, quia potest perducere de non esse in esse, & hoc per creationem. Item potest ex incompleto completum facere, & hoc per propagationem. Item potest mutare unum completum in aliud completum, sicut patet in transsubstantiatione panis in corpus Christi. De talibus dicit Augustinus: Demus Deo aliquid posse, & nos intelligere non posse. Potentia Dei apparet in mundi initio, medio, ac fine. In principio quidem, quia res creavit de nihilo. In medio autem, quia res ne in nihilum vertantur, sua potentia continet. In fine vero, quia mortuos mira celeritate suscitabit. Apparet quoque potentia Dei in rebus spiritualibus, quia cum diabolus potestatem habeat in nobis immutandi sensum, & phantasiam, Angelus autem habeat potestatem super hoc, & super intellectum, solus Deus non solum habet potestatem super tria prædicta, sed etiam potest mutare voluntatem, Augustinus dicit, quia Deus nos prævenit ut velimus, & subsequitur ne frustra velimus. Licet Deus sit omnipotens, tamen non attribuuntur ei actus culpabiles, mentiri, & male velle: nec pœnales, ut metuere, & dolere: nec corporales, ut comedere, & dormire, nisi forte transumptive: nec actus inconvenientes, qui possunt esse tripliciter. Primo si aliquis actus contradicit divinæ potentiæ, ut est facere majorem se. Secundo, si contradicit ejus veritati, ut est facere aliquid simul esse, & non esse, vel quod præteritum sit futurum. Tertio, si contradicit ejus bonitati, ut damnare Petrum & salvare Judam. De his Anselmus: Quodlibet

Aug. ep. 3 ad Volusian. ante med. tom. 2

Gen. 1

2 Cor. 15

Aug. in Enchirid. c. 32. tom. 3

bet inconveniens, etiam minimum impossibile est apud Deum. Horum autem hæc est ratio. Qui potentia Dei cum sit perfectissima, nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec aget aliquo, unde non potest deficere peccando, nec succumbere patiendo, nec egere subsidio in temporalibus quærendo, ac per hoc, nec culpabilia, nec pœnalia, nec meterialia potest.

Dicendum quoque quod Deus potest omnia per se, vel per creaturam. Illa dico omnia posse, quæ sunt potentiæ: hoc autem ideo dicitur, quia posse peccare non est potentiæ, sed infirmitatis: Deo autem competit perfectum posse, & perfectum dominium, de quo Dionysius: Dominatio est non pejorum excessus tantum, sed omnium pulchrorum, & bonorum omnimoda, & perfecta possessio firma, & non valens cadere fortitudo. Notandum ergo quod quædam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem, & secundum essentiam, ut scire: quædam secundum causalitatem, & non secundum essentiam, ut comedere, currere: quædam secundum essentiam, & non secundum causalitatem, ut justificare, creare: quædam nec sic, nec sic, ut peccare.

Dionys. de divin. nom. cap. 12

CAPUT XXVIII.

De virtute miraculorum.

QUoniam per divinam potentiam fiunt miracula, ideo de miraculis est agendum. Augustinus autem illud vocat miraculum, quidquid arduum, aut insolitum, supra spem, vel facultatem admirantis apparet. Ad hoc quod aliquid sit miraculum, quatuor requiruntur, vel concurrunt: primum est quod sit a Deo: secundum quod sit præter naturam: tertium quod sit evidens: quartum quod sit ad fidei corroborationem. Unde si aliquid istorum quatuor defuerit, mirum dici potest, non miraculum.

Ex Aug. cont. Faust. lib. 27 c. 3 tom. 6

Nota quod quædam sunt supra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Supra naturam sunt illa, quibus non est simile in natura, nec in potentia naturæ, sicut est virginem parere. Contra naturam sunt, quæ fiunt usu contrario naturæ, tamen terminantur ad conformitatem naturæ, sicut cæci illuminatio. Sed præter naturam sunt, quæ fiunt ordine simili naturæ, non tamen per principium naturæ, ut in mutatione virgarum in serpentes: quia illud potuisset fieri ordine naturæ per longam putrefactionem, ut patet per ea, quæ fiunt secundum rationes seminales: verumtamen quia non fuit ibi operatio naturæ, miraculum fuit.

Luc. 1 *Joan. 9* *Exo. 7*

B Res quandoque producitur ab agente simili successive, hoc attribuitur naturæ, & dicitur naturale: quandoque producitur ab agente dissimili repente, & hoc attribuitur Angelis, & dicitur mirabile: quandoque producitur res ab agente dissimili in instanti, & hoc attribuitur Deo, & dicitur miraculum. Sciendum, quod quandoque potentia aliqua, & ejus actus est naturalis, sicut visus, & videre: quandoque potentia est miraculosa, & actus ejus naturalis, ut quando cæcus illuminatus videt: quandoque utrumque est miraculosum, ut partus Virginis. Nota quod miracula vel mira fiunt quandoque in ente, ut statio solis, & ejus retrocessio: quandoque fiunt in vegeC tabili, sicut quando virga Aaron floruit: quandoque in sensibili, sicut fuit in locutione asinæ Balaam: quandoque in ratione, sicut fuit in ambulatione claudorum, suscitatione mortuorum, in partu Virginis.

Josue 10 & Isa. 38 *Num. 17* *Num. 22* *Matth. 11*

Ut autem sciamus quando aliquod miraculum fit, nota differentiam inter rationes causales, seminales, & naturales: quia ratio causalis est potentia passiva creaturæ, absque omni dispositione naturæ, ut solummodo Deus ex ea faciat quod vult, sicut fuit in partu Virginis: & in talibus simpliciter est miraculum. Ratio autem seminalis est potentia passiva creaturæ, sed cum dispositione remota, sicut fuit in virgis, de quibus facti sunt serpentes: & hoc factum fuit in instanti: natura autem

Exod. 7

fecit

fecisset idem, sed non nisi paulatim per longam putrefactionem. Unde patet, quod ea quæ fiunt secundum rationes seminales, partim sunt naturalia, partim miraculosa. Ratio naturalis est potentia cum dispositione propinqua, sicut patet in materia, quando est in ultima sui dispositione, ut formam recipiat: & secundum hunc modum est ratio naturalis in grano seminato ad productionem segetis: & hoc non est miraculum.

Caput XXIX.

De scientia Dei.

SCit Deus omnia præsentialiter, & simul, perefecte quoque, & immutabiliter. Præsentialiter dico, hoc est, ita limpide, ac si cuncta essent præsentialiter existentia. Simul etiam scit omnia, quia videndo se, qui sibi præsens est, omnia videt. Perfecte quoque, quia cognitio ejus nec potest augeri, nec minui. Scit & immutabiliter, quia noscit omnia per naturam sui intellectus, qui est immutabilis. Dicendum ergo quod Deus cognoscit temporalia æternaliter, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præsentialiter, dependentia independenter, creata increate. Alia vero a se, in se, & per se. Nota differentiam inter scientiam Dei, Christi, Angeli, & hominis: quia Deus scit omnia simul: videt enim multa in uno, id est, in seipso: unde in visione Dei non differt id quod videt, & per quod videt, quia videt se per se, & in se videt omnia. Christus autem secundum quod homo scit omnia, quæ scit Deus scientia visionis: licet non ita limpide sicut Deus. Angelus vero Deiformem habet intellectum, id est, illa quæ scit illa scientia, quæ est in Verbo, scit simul actu, sicut Deus: licet nesciat omnia quæ scit Deus. Sed homo unum solum scit actu, quia licet videat multa, illa tamen non videt uno actu videndi, sed multis, id est, per multas rerum similitudines.

A Sapientia Dei licet in seipsa non diversificetur, diversa tamen sortitur nomina: in quantum enim sapientia Dei cognoscitiva est possibilium, dicitur scientia, sive cognitio. Item inquantum est cognoscitiva omnium, quæ fiunt in mundo, dicitur esse visio: inquantum est cognoscitiva eorum, quæ bene fiunt, dicitur approbatio: inquantum est cognoscitiva futurorum, dicitur prævisio: in quantum est cognoscitiva eorum, quæ ab ipso Deo facienda sunt, dicitur dispositio: inquantum est cognoscitiva præmiandorum, dicitur prædestinatio: inquantum est cognoscitiva damnandorum, dicitur reprobatio.

B Cognitio divina cum sit perfectissima, omnia cognoscit distinctissime sub omnibus conditionibus, quas res habent, & propter hoc futura scit futura, præsentia præsentia, & bona approbanda, malaque reprobanda. Si autem scire volueris qualiter Deus cognoscit mala, notandum quod contingit aliquid cognosci dupliciter, aut per speciem propriam, aut per speciem alienam. Primo modo cognoscitur habitus, secundo modo privatio. Item primo modo cognoscitur lux, secundo modo tenebræ. Eodem modo dicendum est, quod primo modo cognoscitur bonum: secundo modo malum, scilicet per speciem oppositi habitus. C Nihil enim est malum, nisi boni privatio. Unde dicendum est, quod Deus cognoscit bonum per unicum medium, scilicet per propriam essentiam, mala autem per duplex medium: nam per essentiam suam cognoscit habitum oppositum malitiæ, & illo habitu mediante, ut est in ipso Deo cognoscente, cognoscit defectum ejus: & ideo dicitur mala a longe cognoscere.

Caput XXX.

De prædestinatione.

PRædestinationis diffinitiones assignantur ab Augustino quatuor. Prima est, prædestinatio est præscien-

scientia beneficiorum Dei. Secunda est, prædestinatio est alicujus ad gloriam præordinatio. Tertia est, prædestinatio est propositum miserendi. Quarta est, prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. In prima diffinitione notatur divina cognitio, in secunda electio, in tertia voluntas, in quarta directio in finem. Prædestinationis causa efficiens Deus est quantum ad effectus notatos in nomine prædestinationis. Materialis autem causa est ille qui prædestinatur: sed formalis est modus, vel ordo prædestinationis, quia primo datur gratia, & post hoc gloria. Causa finalis est duplex, scilicet, ut simus sancti, & immaculati in conspectu Dei. Nota differentiam inter hæc, quæ ponit Apostolus, scilicet vocationem, justificationem, prædestinationem, & magnificationem Vocatio enim retrahit a malo. Justificatio respicit initiale donum gratiæ. Prædestinatio respicit gratiæ bonum finale. Magnificatio vero est bonum gloriæ futuræ. Vel dicas, quod prædestinatio gratiam præparat. Vocatio gratiam offert. Justificatio illam confert, sed magnificatio illam per gloriam multiplicat. Sciendum quod prædestinatio non infert rebus necessitatem: sicut v. g. Deus scit si iste sit comesturus hodie, vel non: nihilominus iste habet potestatem comedendi, & manum ad os porrigendi: quia si prædestinatio rebus necessitatem imponeret, multa sequerentur inconvenientia. Nam frustra proponerentur bonis præmia, & malis supplicia. Item injuste remunerarentur boni, & punirentur mali. Item malorum nostrorum Deus auctor esset. Item nec sperandi aliquid, nec supplicandi ulla esset ratio. Item evacuaretur libertas arbitrii quæ se habet ad utrumque. Item nec bona facientes essent laudabiles, nec mala facientes vituperabiles. Sciendum tamen quod hoc est dupliciter. Si Deus prævidet hoc, hoc necessario eveniet: quia conjunctim est vera, divisim falsa: & est ibi necessitas consequentiæ, non consequentis: quia licet ibi sit habitudo, sive illatio unius

Ephes. 1

Rom. 8

Matt. 25

A cathegoricæ ad aliam, non tamen necesse est, quod ipsius termini sint actu. Verbi gratia. Si homo est, animal est: necessitas est consequentiæ, non consequentis: nam homo potest non esse, consequentia tamen necessaria manet, & de hoc habemus exemplum Boetii in libro de consequentiis: Si aliquis videt aliquem facientem rotam, necesse est quod iste faciat rotam: nec tamen visus ejus est causa illius factionis: sic Deus videt mala illius opera, nec tamen est causa quare male operetur, verumtamen fiet si prævisum est. Item Boetii exemplum. Si aliquis haberet oculum tantæ perspicacitatis, ut videret futura, non ideo ligaret res ad eventum. Item artifex in materia nodosa bene videt defectum effectus, nec tamen est causa defectus. Item duæ sunt paginæ libri vitæ. Una est præsentis justitiæ, a qua potest quis deleri. Alia est dispositionis æternæ, de qua nullus delebitur. Differentia est inter prædestinationem & præscientiam: quia prædestinatio est præcognitio bonorum, cum causalitate eorumdem, sed præscientia dicit præcognitionem malorum: sine causalitate, quæ potius residet penes liberum arbitrium. Cum dicitur a sanctis, quod prædestinatio orationibus adjuvatur, non est sic intelligendum, quod temporale causet æternum, sed hoc quantum ad effectum prædestinationis juvat oratio, scilicet, quantum ad gratiam & gloriam, quia secundum illa bene cooperatur liberum arbitrium prædestinationi, unde sicut Deus aliquem salvandum prævidet, sic & modum quo salvari debeat: propter quod stultus est, qui dicit. Volo facere quod placuerit, quia si salvari debeo, salvabor: vel si damnari, damnabor. Sicut stultus esset infirmus, qui diceret. Volo comedere & bibere quod placuerit: quia si curare debeo, curabor, vel si mori debeo, moriar: sic enim inutiles essent, & medici & medicinæ. Sane si Deus permittit liberum arbitrium, quod se habeat ad utrumlibet, in malum cadere hoc non permittit, nisi juste. Rursus si per gratiam

tiam non perveniat, nulli facit injuriam. Cum ergo Deus malos damnat, & reprobat, operatur secundum justitiam: quando vero prædestinat, agit secundum gratiam, & misericordiam, quæ non excludit justitiam. Voluntate autem prima vult Deus omnem hominem salvum fieri, inquantum homo est. Voluntate autem secunda non vult justum hominem reprobum, in quantum ipse est talis. Voluntas igitur antecedens respicit ordinem naturæ in finem, prout a Deo condita est. Voluntas vero consequens respicit ordinem personæ, prout est libero arbitrio suo vel alieno in fine disposita. Hæc de realitate dicta sunt: sed Logice loquendo, cum salvatio hominis sit contingens, de necessitate determinari non potest: quod enim potest esse, & non esse, contingens est, non necessarium, sicut Philosophus dicit in libro secundo Perihermenias. Si vero quæritur, quare Deus hunc prædestinavit, sive elegit, & non illum: hoc inexplicabile est in hac vita mortali. Propter hoc enim exclamat Apostolus ad Romanos: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Si enim dicimus, quod reprobi repellunt gratiam, hoc verum est; sed si essent prædestinati, non repellerent finaliter, unde Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum. Gratia, inquit, quæ occulte humanis cordibus attribuitur, a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut duritia cordium auferatur.

1 Tim. 2

Rom. 11

Caput XXXI.

De præscientia, & reprobatione.

Reprobatio est, ut ait Augustinus, præscientia iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem. Unde nota quod in reprobatione tria sunt. Unum est prævisio iniquitatis ab æterno: alterum obduratio, id est, subtractio gratiæ in præsenti: tertium est præparatio pœnæ æternæ in futuro. Si ergo

A quæritur, utrum reprobatio habeat causam ex parte hominis, quantum ad primum meritum hominis non est causa: quo ad secundum causa est meritoria, & effectiva: quoad tertium causa est meritoria, sed non effectiva. E contra in prædestinatione sunt tria contraria, sed in hoc est differentia, quia prædestinatio præparat gloriam secundum beneplacitum, sed reprobatio præparat pœnam secundum exigentiam meritorum. De obduratione, sciendum est quod translative dicitur secundum similitudinem obdurationis in corporibus. Duritiam autem corporum sequitur triplex proprietas, primum est inhabilitas ad suscipiendum im-
B pressionem: secundum est stabilitas ad permanendum in se: tertium est fortitudo ad resistendum. His modis dicitur cor obdurari tripliciter. Uno modo per inhabilitatem ad suscipiendam gratiam. Secundo per firmam adhæsionem ad peccatum. Tertio modo per rebellionem divinarum inspirationum, & mandatorum Dei. Unde quærendum est, utrum præsciti a Deo possint demereri, & e contrario. Ad quod dicendum, quod scientia Dei comparatur ad res creatas, sicut ars ad artificiata: unde sicut ars non solum est cognoscitiva, sed etiam factiva eorum, quæ secundum artem fiunt, eorum vero quibus ab artis regulis deviatur, est cognoscitiva tantum: ita & scientia Dei est cognoscitiva, & factiva omnium bonorum, malo-
C rum autem non, sive peccatorum, quæ sunt deviationes quædam ab æterna lege ipsius. Scientia Dei est cognoscitiva tantum, non autem causativa: & sic patet quod boni, qui per gratiam justificantur, non solum sunt ab æterno cogniti a Deo, sed etiam ad gratiam habendam electi. Peccatores autem neque justificantur per gratiam, nec sunt electi, vel præordinati a Deo ad culpam, sed solum præsciti, quod non sunt gratiam habituri, sed suæ naturæ relinquendi: quia non omne agens potest id, quod est supra se, natura sibi relicta non potest in actum meritorium, qui est supra facultatem natu-

naturæ: potest autem in actum peccati, qui est demeritorius, sicut & in aliquid infra naturam humanam existens, homo enim peccando descendit a dignitate suæ naturæ: & sic patet, quod præsciti possunt demereri facilius, quam mereri.

Caput XXXII.

De voluntate Dei.

Voluntas Dei duplex est, scilicet beneplaciti. Et hæc est duplex, antecedens, quæ sæpe non expletur; & consequens, hæc numquam remanet inexpleta. Alia est voluntas signi, & hæc quandoque remanet inexpleta. Hujusmodi ratio est, quia voluntas Dei potest sumi dupliciter; vel proprie, sic accipitur voluntas beneplaciti, vel metaphorice, & sic accipitur voluntas signi. Primo modo dicitur Deus aliquid velle, & hoc velle ipse Deus est. Secundo modo metaphorice est ad modum volentis se habere, & hoc velle non est Deus. Hæc igitur divisio non rei, sed vocis est, sicut ira potest dici, vel proprie motus iræ, vel metaphorice signum iræ. Voluntas beneplaciti Dei consequens est recta, & efficax, & irreprehensibilis: unde quia est recta, nullus est rectus, nisi conformetur ei. Item quia est efficax, nihil sine illa potest effici, nihil contra illam potest fieri: per nullum potest impediri. Item quia irreprehensibilis est, nihil præcipit, aut permittit nisi juste, nil agit, aut consulit, nisi bene. Signa beneplaciti sunt quinque, scilicet præceptio, prohibitio, consilium, permissio, & operatio: quorum numerus sic accipitur. Voluntas divina proprie loquendo, aut præsentium, aut futurorum est. Si respectu præsentium, aut id est bonum, & sic est impletio, aut malum, & sic est permissio. Si respectu futurorum, sic est triplex. Aut est malum, & sic est prohibitio: aut bonum necessarium, & sic est præceptio: aut bonum supererogationis, & sic est consilium. Contra tria prima potest aliquid fieri, quia se habent, ut in

A fieri: sed contra duo ultima, scilicet permissionem, & operationem, nihil potest fieri: quia se habent, ut in facto esse, & quod factum est, non potest non fieri. De his signis nota quod præceptum dicit obligationem, ad faciendum bonum: prohibitio dicit obligationem, ad vitandum malum: consilium dicit doctrinam, per quam scimus, quod id quod consulitur, si fiat, affert præmium, si non fiat, non affert supplicium. Permissio dicit privationem cohibitionis, & est signum divinæ voluntatis, non respectu mali, quod permittitur, sed respectu boni, quod ex malo permissio elicitur. Non enim permittit Deus malum fieri, nisi ex

B eo aliquod bonum eliciat, ut patet in tentationibus diaboli, quæ prosunt multipliciter sanctis. Præterea si non esset malum, non esset in bono pulchritudo, nisi absoluta: nunc vero propter comparationem ad malum, clarius elucescit. Operatio notat factionem in re, per quam refertur creatura ad Creatorem.

De conformitate voluntatis nostræ ad Deum sciendum, quod si hanc attendimus in forma volendi, tunc si volumus habere mercedem nostri operis, oportet quod ratio semper conformetur ei in forma volendi. Si autem quæritur utrum absolute teneamur, dicendum est, quod conformitas est quædam in actu, ad

C quam non tenemur, nisi habita charitate: nec tunc nisi pro tempore, & loco, ut quando quis cogitat Dei veritatem, scilicet articulos fidei, tenetur credere: quando cogitat Dei bonitatem, tenetur diligere. Est alia conformitas in habitu, ad quam non tenetur quis, nisi quando actu Dei bonitatem recogitat, quia tunc tenetur se ad charitatem Dei præparare.

De conformitate autem in volito, sciendum quod voluntate sensualitatis non tenemur conformari voluntati divinæ, nec in volito, nec in forma volendi. Voluntas enim sensualitatis tantum, est in brutis. Unde quantum ad hoc nos hac voluntate non peccaremus, si ratio huic voluntati juncta non foret, cujus est

ani-

animalitatem reprimere, sed voluntate rationis deliberativa tenemur Deo conformari in volito, quod constat nobis Deum absolute velle, vel congruit nobis velle. Si vero non congruit nobis, quamvis bonum sit in se, non vult Deus id nos velle. Unde hoc non tenemur velle, nisi inquantum est volitum a Deo, unde si scio Deum velle mortem patris mei, tamen possum vitam ejus velle, & laborare ad hoc: quia non vult Deus velle me contrarium. Item voluntate conditionativa non tenemur Deo conformari, ut quando pluit, vellemus quod non plueret, si Deus vellet: quia volendo conditionaliter non discordamus a voluntate Dei: quia hoc non est velle simpliciter. Item id quod Deus non vult simpliciter, & absolute, ut sententiam comminationis, quam aliquando mutat, quando merita mutantur, non tenemur velle.

Conformitas divinæ voluntatis quadrupliciter potest considerari secundum habitudinem quatuor causarum. Primo secundum causam materialem, quando idem est volitum quod se habet ut materia, circa quam est actus voluntatis, & ideo ista conformitas est secundum quid tantum, & non simpliciter, quia esse simpliciter, non est materia, vel forma. Secundo modo accipitur conformitas secundum causam efficientem, sicut quando aliquis vult hoc, quod Deus vult eum velle, quia Deus hanc voluntatem in eo fecit. Deus enim unamquamque voluntatem in bonum ordinavit: & hoc vult nos velle. Tertio secundum causam finalem, ut quando quis in gloriam Dei sua facta ordinat, propter quam & Deus fecit omnia: & in his duobus essentialiter omnis conformitas consistit. Quarto secundum causam formalem, ut scilicet ex charitate velit quis quod vult, sicut & Deus ex charitate vult omnia: & in isto consistit perfectio conformitatis, ut scilicet actus voluntatis nostræ tanto sit voluntati divinæ conformior, quanto est melior, & perfectior.

Ex prædictis collige, quod plena conformitas ad Deum comprehendit A quatuor. Primo ut velimus, quod Deus vult: secundo ut velimus, quod vult nos velle: tertio ut velimus propter quod vult: quarto ut velimus eo modo quo vult. Sed conformitas non plena est triplex. Primo conformatur quis Deo in volito tantum, sicut & Judæis conformes erant Deo in morte Christi. Secundo si conformatur quis in volito, & in fine, sed non in modo, ut quando quid non fit ex charitate. Tertio, quando quis conformatur in volito, & in modo, sed non in fine, ut cum ad alium finem, tamen bonum retorquetur intentio.

Caput XXXIII.

De justitia Dei.

B Justitia Dei tribus modis sumitur. Primo modo, quando redditur alicui quod meruit. Secundo modo quando promissum solvitur. Tertio modo, quando imperfectum perficitur. Primo modo, remuneratio bonorum, & punitio reproborum est opus justitiæ. Secundo modo, Incarnatio Christi opus est justitiæ, quia promissum fuit hoc per prophetas. Tertio modo dicitur opus justitiæ, quando Deus peccatorem justificat, cum se ad gratiam habilitat, faciendo quod in se est. Nota quod in omnibus operibus Dei invenitur justitia, & misericordia: sed justitia C quandoque est occulta, & misericordia manifesta, ut in justificatione impii, & in primo adventu Christi. Aliquando est e contrario, scilicet aperta justitia, & occulta misericordia, ut in punitione parvulorum, sine baptismo decedentium, & in secundo adventu Christi. Aliquando utrumque est occultum, ut in tribulatione justorum & innocentum, sicut fuit in infirmitatibus parvulorum. Aliquando utrumque est apertum, ut in remuneratione justorum, & damnatione reproborum: quia illos remunerat supra meritum, & istos punit citra condignum, quod est misericordiæ: sed utriusque retribuit secundum merita, hoc est, bonis bona, & malis mala, quod est justitiæ. Si vis scire qua justitia pu-

puniatur homo pro peccato momentaneo æternaliter, vide primo auctoritates Isaiæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Psalmus: Ibunt in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbunt lumen. Matthæus: Ite maledicti in ignem æternum. In Apocalypsi: Ascendit fumus eorum in sæcula sæculorum. Item Gregorius in quarto Dialogorum: Si Deus non plus attenderet cor, quam facta, injusta posset dici talis justitia. Sed quia Deus intuetur cor, justum est, ut sine fine puniantur, qui numquam vellent vivere sine peccato. Rationibus idem ostenditur. Quia enim homo peccavit in suo æterno, merito punietur in æterno Dei. Item materia ignis est æterna, scilicet macula peccati, ergo & pœna: Item peccatum est contra illum qui est infinitus, ergo pœna debet esse infinita: sed hoc non potest esse acerbitate: unde oportet quod fiat diuturnitate. Item cum homo peccat, errat in infinitum quodammodo rationalis, irascibilis, & concupiscibilis, quando finitum præponit infinito: illa quidem judicando, ista adhærendo, & ultima appetendo: unde congrue debet esse pœna infinita. Item mala voluntas reproborum æterna est, ergo & pœna. Item ostenditur exemplis, quia venditio momentanea dat jus possidendi perpetuum: & vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam. Item casus in foveam temporalis est, detentio perpetua. Item offensio oculorum temporalis est, & cæcitatem operatur perpetuam. Item crimen læsæ majestatis temporale est, servitus perpetua. Item potio veneni momentanea, mortem operatur perpetuam. Dicit Augustinus, quod reddit Deus mala pro malis, hoc est, pœnam pro injustitia, quia justus est: vel reddit bonum pro malis, hoc est, gratiam injustis, quoniam bonus est: vel reddit bona pro bonis, hoc est, gratiam pro gratia, quia justus & bonus est, numquam reddit mala pro bonis quoniam injustus non est. Aliquis punitur in præsenti propter seipsum, ut scilicet peccatum præteritum in eo purgetur. Joannes: Ecce sanus factus es, vade & amplius noli peccare. Item ut propter peccatum perpetuo crucietur tam hic quam in futuro. Exemplum habes de Herode, & de Antiocho. Item ut culpa declinetur, ut de Paulo ad Corinthios: Ne magnitudo revelationum extollat me, &c. Item ut gloria in futuro detur. In Actibus: Oportet nos per multas tribulationes intrare, &c. In primis duabus causis exercet Deus justitiam, in duabus sequentibus misericordiam. Quinto, punitur quis propter Deum, scilicet, ut glorificetur. Neque hic peccavit, neque parentes ejus, &c. Sexto, punitur quis propter proximum, scilicet ut ædificetur: sic fuit punitus Tobias, ut aliis daretur exemplum patientiæ: sic puniuntur etiam innocentes pueri, ne videatur inconveniens peccatoribus, si quandoque tribulantur. Justo Dei judicio puniuntur qui vel concessis abutuntur, ut Adam: vel non concessa rapere conantur ut Lucifer.

Isa. 66 *Psalm. 48* *Matt. 25* *Apoc. 14* *Greg. lib. 4 dialog. c. 44* *Joan. 5* *2 Mac. 9* *2 Cor. 12* *Act. 14* *Joan. 9* *Tob. 2* *Gen. 3* *Isa. 14*

CAPUT XXXIV.

De misericordia Dei.

Misericordia secundum etymologiam dicitur tribus modis. Primo dicitur misericordia, quasi miseriam cordis dividens, sicut accipitur in illa auctoritate. Cœli non indigent misericordia, quia in eis nulla est miseria. Secundum hunc modum misericordia solummodo est in terra. Secundo modo dicitur quasi mittens seorsum cordis rigorem, sicut accipitur ibi, Misericordia & veritas obviaverunt sibi: nam veritas per rigorem procedit, sed misericordia hunc rigorem temperat, remunerans supra meritum, & puniens citra condignum: sic est misericordia in cœlo, & in inferno. Tertio modo dicitur misericordia, quasi mira suavitas rigans corda, sic misericordia maxime est in cœlo. Licet enim Deus sit justus sicut & misericors, tamen dicitur ei proprium esse misereri potius quam esse justum, quia nihil requiritur ad complendum opus

Psal. 84

opus misericordiæ, nisi voluntas ejus: sed ad complendum opus justitiæ requiritur etiam aliquid ex parte hominis, exigentia scilicet meritorum. Misericordia Dei patet in effectibus divinorum beneficiorum: dat enim reis veniam, dimittendo tam peccati reatum, quam peccati sequelas de quibus duobus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, quoad primum. Qui sanat omnes infirmitates tuas, quoad secundum. Item largitur justis gratiam, dando, scilicet virtutis habitum, & virtutis motum, ut per primum faciat hominem Deo gratum, ac vita æterna dignum: sed per secundum augeatur ei meritum. De his duobus Psalmista: Qui coronat te in misericordia, quoad primum: & miserationibus, quoad secundum: & loquitur de corona gratiæ. Item confert sanctis gloriam, & hoc dupliciter, quia nunc in spe, & tandem in re. De his Psalmista: *Psal. 102*

A Qui replet in bonis desiderium tuum, quoad primum. Renovabitur ut aquilæ juventus tua, quoad secundum. *Psal. 102* Item ex misericordia Deus patienter expectat peccatores, benigne revocat, ulcisci dissimulat, de multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatam conservat, conservatam in cœlo præmiat. *Rom. 8* *Luc. 15* Item ex misericordia Deus peccatorem ad se redeuntem hilariter suscipit, ad pœnitendum cor emolit, offensam cito remittit, injuriæ post remissionem non meminit. *Sap. 11* *Ezech. 18* B Item ex misericordia dat Deus adversa, ut peccatum purget: dat prospera ut ad amorem provocet: dat Sacramenta, ut meritum cumulet: dat præcepta, ut præmio ditet. Item ex misericordia errantes ad se reducit, euntes ad se conducit, cadentes erigit, stantes tenere non desinit: pervenientes in gloriam introducit.

COMPENDIUM
THEOLOGICÆ VERITATIS.
De Operibus conditoris.
CAPITA LIBBRI SECUNDI.

CAPUT I.

De ipsa rerum creatione.

SUMMÆ bonitatis triplex est effluxio, scilicet per generationem, per spirationem, & per creationem. Duæ priores emanationes sunt ab æterno, tertia est in tempore, de qua nunc est agendum. Inter creare, generare & facere differentia est: quia res de nihilo exit in esse per creationem; sed exit in esse de aliquo per factionem; quia facere est operari de aliena materia: sed de substantia exit in esse per generationem. Deus est rerum triplex causa, scilicet efficiens, exemplaris, & finalis, sed nullo modo materialis. Inter operari Dei, & creaturæ differentia est, quia Deus operatur in instanti. Angelus autem repente, sed natura paulatim. Prima rerum principia sunt a Deo, & immediate, scilicet materia & forma: effectus vero consequentes sunt ab ipso mediante natura, nihil autem est a Deo immediate tantum.

Circa mundi creationem quatuor erant errores. Quidam dicebant mun- A dum æternum. Alii dicebant mundum quidem factum, sed habuisse materiale principium, & non esse de nihilo. Alii dicebant Deum superiores creaturas per se produxisse, sed inferiores per ministerium Angelorum. Alii ponebant duo principia, sicut Manichæi, unum scilicet summe bonum, & aliud summe malum, dicentes: incorruptibilia esse a bono principio; corruptibilia a malo. Hos omnes errores excludit Moyses, primum, cum dicit: In *Gen. 1* principio: secundum, ibi: Creavit: tertium, quando dicit: Deus quar- B tum, cum sequitur: cœlum & terram. Tenendum est etiam quod *Eccl. 18* Deus omnia simul creavit, nec aliquam novam speciem postmodum addidit, quam prius non fecerit, vel in se, vel in suo simili, ut hominum animas; vel in ratione seminali, sicut patet in his quæ naturaliter introducuntur in esse: & hoc *Gen. 2* est quod dicitur Deum die septima quievisse, non quidem a labore, vel ab opere, sed, sicut dictum est, a novarum specierum conditione. De operibus vero sex dierum dicunt quidam, numquam in illis debere

intelligi ordinem temporis, sed naturæ, quia dicunt omnia simul tempore fuisse facta creata, & disposita, ac in suis speciebus distincta. Alii dicunt omnia simul creata in materia, sed non in tali forma sicut in diebus sequentibus receperunt: & hæc opinio magis sequitur ultimam litteram, sed prima magis sequitur rationem. Deus enim dupliciter operatur. Aliqua namque facit mediante natura, & hæc fiunt successive: aliqua facit per se immediate, ut creare, peccata dimittere, gratiam infundere, & hujusmodi, & talia fiunt in instanti, & perfecte, & complete. Cum ergo Deus primordiales res non produxerit mediante natura, sed immediate & per se, videtur quod in instanti fecerit eas perfectas & completas tam in materia, quam in forma. Coævæ sunt quatuor hæ primitivæ rerum creaturæ, cœlum empyreum, Angeli, materia mundi & tempus.

Caput II.

De distinctione creaturarum in generali.

Creatura mundi triplex est, scilicet corporalis tantum, ut elementa: spiritualis tantum, ut Angelus: composita ex his, ut homo. Corporalis quoque natura distinguitur in corpora lucida, ut sidera: & opaca, ut terra, & metalla, & hujusmodi: atque perspicua, sive diaphana, ut aer, & aqua. Creaturæ quædam secundum Gregorium habent esse tantum, ut lapides: quædam vivere, ut arbores: quædam sentire, ut animalia: quædam intelligere, ut homines & Angeli. Distinguitur autem triplex mundus, scilicet, archetypus, id est, Deus: & dicitur archetypus ab archos, quod est princeps, & typus, quod est figura, id est, principalis figura, quia ipsa est exemplar mundi sensibilis. Item est mundus qui dicitur macrocosmus, id est, major mundus, ut est iste mundus sensibilis. Item est mundus qui dicitur microcosmus, id est, minor mundus, ut est homo. De his tribus Joannes: In mundo erat: ecce primum. Et mundus per ipsum factus est: ecce secundum. Et mundus eum non cognovit: ecce tertium. Differentia est inter elementum & elementatum, & quintam essentiam. Elementum est primum principium componibilium, non tamen compositum: unde nec terra, nec acqua, nec aer, nec ignis primum elementum est, & simplex apud nos, quia ista inter se commiscentur, & maxime in ea parte ubi se contingunt. Elementatum est quodlibet corpus compositum ex quatuor elementis. Quinta essentia est corpus per se differens ab omnibus elementis, & elementatis, tam in materia, quam in forma, tam in natura, quam in virtute, non habens in se contrarietatem, unde nec causam corruptionis. Opera sex dierum, prout Moyses distinxit moraliter sic habentur. Significat enim rerum creatio de nihilo impii justificationem. Firmamenti operatio boni propositi confirmationem. Aquarum congregatio, cordis adunationem. Syderum perfectio, exemplum bonæ operationis. Piscium & avium formatio, statum actionis & contemplationis. Homini plasmatio, rectitudinem intentionis. Postea vero sequitur septima dies, Æternitatis scilicet requies.

Greg. hom. 29 in Evang.

Joan. 1

A B C

Est locus summus, id est, cœlum, ubi sola lætitia est: & est infimus, id est, infernus, ubi sola tristitia: & est medius scilicet mundus, in quo sunt summa speranda, & infima timenda. Diabolus igitur a summo corruit, & in imum detrursus est: quia reparandus non erat. Homo vero a summo non cecidit, & in medio collocatus est, ut esset ei locus quo ascenderet per justitiam, vel descenderet per culpam: Item Hugo de sancto victore dicit, quod aliquis locus est in quo solum & summum bonum est, scilicet cœlum: aliquis in quo solum & summum malum est, scilicet infernus: aliquis in quo solum malum est, sed non summum, scilicet purgatorium: aliquis in quo bonum & malum est, sed neutrum summum, scilicet mundus iste.

CA-

Caput III.

De distinctione orbium tam cœlestium, quam elementorum.

Corporalis mundi machina tota consistit in duobus, scilicet in natura cœlesti, & in natura elementari. Cœlestis autem distinguitur in tres cœlos principiales, scilicet in cœlum crystallinum, & empyreum, & firmamentum. Intra firmamentum quod est cœlum stellatum, continentur septem orbes planetarum, qui sunt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius Luna. Nomine autem cœli crystallini, sive aquei, intelligitur illa pars materiæ primæ, quæ secundum Philosophos formata in duos orbes, quorum superior est primum B mobile. Istorum orbium natura est quod omnes moventur excepto empyreo, quod quietum est. Natura vero elementaris in quatuor sphæras principales distinguitur, scilicet ignis, aeris, terræ & aquæ. Sphæra ignis tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur igneum, & medium, ac infimum, quod vocatur olympium. Similiter aer tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur æthereum, & medium, ac infimum, quod vocatur aereum, & in supremo est calor, & hæc propter solis propinquitatem. Similiter est & in infimo, scilicet propter radiorum repercussionem a terra. In medio autem C interstitio, ad quod non potest pertingere repercussio radiorum est frigiditas & obscuritas, & ibi dicuntur habitare dæmones, qui detrusi sunt in hunc aerem caliginosum. Ibi etiam fiunt tempestates, tonitrua, grando, nives & similia. Ex his collige septem orbes, terram & aquam ambientes, qui omnes possunt vocari cœli, istos autem excellit cœlum trinitatis, ipse Deus, qui est in omnibus, & super omnes. Distantia dictorum orbium & planetarum hæc est, a terra usque ad Lunam sunt milliaria 15625. hæc sunt stadia 1260. a Luna usque ad Mer- A curium sunt milliaria 7612. & semisse. a Mercurio usque ad Venerem tantumdem, a Venere usque ad Solem sunt 24433. a Sole usque ad Martem sunt milliaria 15625. a Marte usque ad Jovem 6812. a Jove usque ad Saturnum tantumdem: a Saturno usque ad firmamentum 24422. Ex his colligitur quod a terra usque ad cœlum stellatum sunt milliaria 109375.

Caput IV.

De natura cœlorum, & superiorum corporum.

Cælum est corpus purum, & primum natura simplicissimum, essentia subtilissimum, incorruptibilitate solidissimum, quantitate maximum, qualitate lucidum, diaphaneitate perspicuum, materia purissimum, figura sphæricum, situ locali supremum, amplitudine creaturarum aliarum in se contentivum. Istæ proprietates tam cœlo conveniunt empyreo, quam primo mobili. Sed præter hoc est cœlum empypreum a motu extraneum, beatorum spirituum habitaculum, specialiter sedes Dei nuncupatum. Cœlo autem crystallino specialiter convenit, quod est motu velocissimum, ad inferiora virtutis influxivum. Eodem modo dicendum est de firmamento, quod plurimæ conveniunt ei de proprietatibus supradictis, & insuper est aquarum divisivum, ac stellis decoratum.

Corpora cœlestia dividuntur in lucentia, & non lucentia, ac diaphana. Nam corpus lucens est sol, qui solus inter sidera lucet. Sed non lucentia sunt ceteræ stellæ, & planetæ quæ lumen suum a sole mutuantur. Corpora vero diaphana sunt omnes sphæræ cœlestes. Item sphæræ cœlestes cum moventur, non mutant locum, sed moventur in locis suis: superiora influunt in inferiora virtutem motivam, vegetativam, sensitivam, ac omnium generabilium productivam. Item licet careant qualitatibus elementaribus, non enim sunt calida, vel frigida, sicca, vel humida, tamen ista causant in in-

ferioribus, verumtamen non influunt super liberum arbitrium, nec habent virtutem immutandi hominis voluntatem: licet bene immutent, vel disponant complexionem hominis aliquando, quæ voluntatem non habent quidem cogere, sed magis vel minus in diversis hominibus inclinare. Operantur quoque corpora superiora distinctivam significationem dierum secundum lumen Solis, & distinctionem mensium, secundum lumen Lunæ, ac distinctionem annorum secundum motum Solis in aliquo circulo, atque distinctionem temporum secundum varium cursum planetarum, distantiam, & cursum, ascensum, & descensum, retrogradationem, & statum. Circulus quidam est in sphæra intersecans æquinoctiale, qui intersecatur ab eodem in duas partes æquales, & una medietas declinat versus Septemtrionem, alia versus Austrum: & dicitur ille circulus zodiacus, a zoe, quod est vita: nam secundum motum planetarum sub illa omnis vita rebus inferioribus est: vel dicitur a zodion, quod est animal: quia cum dividatur in duodecim partes æquales, quælibet pars appellatur signum, & habet nomen speciale a nomine animalis propter proprietatem aliquam convenientem tam ipsi, quam animali, vel propter dispositionem stellarum fixarum in illis partibus ad modum animalis. Iste vero circulus dicitur Latine signifer, quia fert signa, vel quia dividitur in ea: ab Aristotele vero in secundo de generatione dicitur circulus obliquus: ubi dicit quod secundum accessum & recessum Solis in obliquo circulo fiunt generationes, & corruptiones in rebus. Nomina vero signorum, & ordinatio, & numerus in his versibus notantur:

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo:
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

Caput V.

De natura stellarum in communi.

Stellæ supremæ in firmamento figuntur, & cum illo semper moventur, materia sunt purissimæ, figura spæricæ, quantitate magnæ, apparentia parvæ, qualitate lucidæ, & radiorum diffusivæ, rerum inferiorum generativæ, a Sole illuminationum receptivæ, tenebrarum expulsivæ, quanto nox obscurior, tanto plus sui manifestativæ, in præsentia Solis sui luminis occultativæ, tempestatis & serenitatis concitativæ, viarum navigantium directivæ: quanto conjunctiores, tanto in communi lucidiores sed singulæ minus apparentes, ut patet in galaxia, claritate & quantitate differunt ac virtute. Galaxia est multitudo parvarum stellarum, quasi contiguarum illi loco orbis, ubi diffunditur lumen Solis. Fit autem eclipsis, cum se soli Luna subnectit, ut tenebras orbis efficiat. Nota quod omnes stellæ eclipsantur, & hoc a seipsis, vel a terra vel a planetis. Planetæ dicuntur quandoque retrogradi, quandoque progressivi, quandoque stationarii, prout in epicyclis suis diversimode moventur. Planetæ sunt sidera inter cœlum, & terram errantia, firmamento contrarium cursum agentia. Cursu, quem habent ab influxu primi mobilis, moventur directe, sed proprio cursu moventur oblique, non scintillant, singuli suos colores & circulos habent, & cum circulos aliorum ingrediuntur, etiam illorum participant qualitatem, cum Sole micantes occultantur: quanto terræ propinquiores, tanto circulos habent breviores: quanto sunt altiores, tanto cursus eorum naturalis videtur esse tardior. Corpora eorum non sunt lucida vel perspicua, sed opaca. Alioquin non eclipsarent se invicem.

Motus primi mobilis, scilicet, nonæ sphæræ ab Oriente in Occidentem, rediens iterum in Orientem, dicitur rationalis, ad similitudinem mo-

motus rationis in microcosmo, quando fit consideratio a Creatore per creaturas, rediens in creatorem, & ibi sistendo. Secundus motus firmamenti, & planetarum est huic contrarius, ab Occidente in Orientem rediens in occidentem, qui dicitur irrationalis, sive sensualis ad, similitudinem microcosmi, qui est a corruptibilibus ad Creatorem, & iterum rediens ad corruptibilia.

Caput VI.

De luce.

Arist. lib. 2 de Ani. c. 7

Lux est, ut ait Philosophus, actus lucidi, secundum quod lucidum. Unde sciendum est quod lux est qualitas activa corporis luminosi, sicut calor ignis. Lux quoque dat coloribus esse intentionale, sicut intellectus agens phantasmatibus dat esse intellectuale. Ipsa est medium deferens omnia, quæ a cœlo ad nos descendunt. Ipsa quoque mutuat corpus non lucens a lucido. Ipsa est secundum Philosophum cœli purpura, maleficorum inimica, navigantium directio, oculus noctis, facies omnium rerum. Lux, ut ait Augustinus, rectum habet incessum, & nullo modo incedit per curvum. Hæc omnibus rebus, & decorem tribuit, & absque illa cuncta sunt ignota & abscondita. Motus enim est subitus, quia sine mora replet omnia. Hæc in superficie corporis umbrosi non se perfundit, sed in corpore diaphano: unde secundum corporis grossitiem, vel subtilitatem magis & minus participatur. Lux enim sine sui diminutione ubique se diffundit. Plures proprietates lucis habes infra de Sole, quæ illi conveniunt inquantum lucet. Sciendum est quod lux vocatur in corpore luminoso lux; sed lumen, prout est in lucido transparenti: splendor autem in denso terso, & color prout est in corpore opaco.

Caput VII.

De planetis in specie.

Saturnus est a nobis remotissimus, frigidus & siccus: hoc intelligas in effectu, sicut in aliis planetis. Ex vicinitate ejus calor Solis remittitur. Ex conjunctione ejus cum Jove clarior efficitur, cum naturaliter sit pallidus. Nocivus est: & ipso dominante tantam habet virtutem, ut si influat in inferiora, fœtus nascitur mortificatus, aut debilis. Plus nocet retrocedendo, quam procedendo. Moratur in quolibet signo triginta mensibus: ex quo sequitur quod cursum suum complet, scilicet triginta annis.

Jupiter est clarus, & quasi ad instar lactis candidus: in qualitatibus est bene temperatus, quia calidus est & humidus. In superiori parte suæ absidis temperat malitiam Saturni. Cum ascenderit in circulum Saturni, contrahit pallorem, licet sit clarus. In quolibet signo moratur per annum, & ita complet cursum suum in duodecim annis.

Mars calidus est, & siccus, & ideo nocivus. Ex proprietatibus suis homines incitat, ac provocat ad bellandum, ex interpositione Veneris, & Iovis ejus nocivitas reprimitur. Igneus apparet, & radiosus, in quolibet signo moratur quadraginta diebus.

Sol dicitur decies major terra, sed secundum Ptolæmeum est 140. vicibus major terra, calidus & luminosus eclipsim patitur, communis est omnibus, nube celatur, solus per se lucet, quod nulli sideri magis competit: unde & nomen accipit, stellas illuminat, & tamen eas per præsentiam suam apparentia sui luminis privat. Medius est planetarum, odiosus ægris oculis, sed amabilis puris. Tempora distinguit, locis immundis non inquinatur, testea consolidat, gelida resolvit, flores aperit, fructus maturat, corpora diaphana penetrat, non quiescit, visum retundit, ut vapores elevat, hemisphæria vicissim perlustrat, appropinquans nobis æstatem facit, recedens vero hyemem efficit, oculus est mundi, In quolibet signo moratur triginta diebus,

& decem horis, cursum per annum facit motu proprio, sed diem perficit motu primi mobilis.

Venus est lucifer calidus, & humidus: malitiam Martis temperat: semper comitatur solem, sed cum praecedit dicitur lucifer: quando sequitur, dicitur vesper: colorem habet candentem, & refulgentem, electro similem. Inter sidera plus splendet: complet cursum suum in 348 diebus.

Mercurius semper cum Sole graditur, numquam ab eo plus 30. gradibus distans. Colorem habet radiantem: raro propter vicinitatem Solis cernitur: eloquentia sub ipso est, aquis dicitur dominari, & praeesse seminibus, cursum complet 338. diebus.

Luna noctem illuminat, lumen mutuat, augmentum patitur & detrimentum. Infima est inter planetas, eclipsim patitur, & efficit, maculas habet propter conjunctionem ejus cum inferioribus. Item corniculata interdum apparet, ex eo quod pars ejus illuminata a nobis absconditur. Item regina coeli appellatur, quia Sol tamquam medius planetarum participat omnes proprietates omnium, & eas ad Lunam cum lumine suo transmittit: ipsa vero Luna quaecumque a Sole sic recipit, influit. Unde quia per eam tali modo virtutes planetarum recipimus, merito regina coeli vocatur. His visis patet, quod quando Luna primo incenditur, optimum est semina jacere, quia tunc virtutes planetarum, quas inferioribus influit, incipit colligere, frigida est & humida, Solem praecedens minuitur, sed eumdem sequens, crescit, & ab eo elongatur: accessus: & recessus maris per eam causatur. Signa autem zodiaci quolibet mense percurrit.

Caput VIII.

De quatuor elementis.

Ignis consumit & incinerat, in similitudinem suam sibi appropinquantia convertit, motum facit de centro ad circumferentiam, ardet, & lucet in materia aliena, sed non in sua sphaera. Inferiora reducit ad superiora, quia resolvit terrea in aquosa, aquosa in aerea, aerea in se.

A Mollificat dura, & indurat mollia, subtiliat, ut patet in resolutione glaciei, & condensat lutum; depurat, ut in auro: & corrumpit, sicut ea, quae consumit: frigefacit per accidens, ut patet in aceto: est & penetrativus, communicativus & divisivus. Item ignis in sphaera sua non relucet, quia compactus non est. Nullum enim corpus diaphanum lucet, sed potius est illuminabile. Si autem ignis in sphaera sua compactus esset, eclipsaret omnes stellas, quae supra ipsum sunt. Ignis vero hic lucet apud nos propter materiam coadunatam, in qua est: & hoc patet, quia una candela alteri opposita umbram facit.

B Aer est subtilis, mobilis perspicuus, per inspirationem & respirationem, caloris cordis temperativus, decoratur volatilibus, locus impressionum, mansio spirituum damnatorum, est & alterabilis, subtilis, levis, atque ratus: non lucet, sicut nec aliquod corpus diaphanum, sed est illuminabilis.

Aqua super coelos elevatur, piscibus decoratur, tempestatibus subiicitur, omnes fontes, & flumina ad mare continuantur, ad locum unde venerunt, revertuntur. Aeri praebet aqua informationem, volatilibus ornamentum, & vegetabilius nutrimentum, & optime est terminabilis termino alieno, sed minime termino proprio. Aqua corpus est diaphanum, omnibus est C communis, in crystallum congelatur, irim in nubibus causat, sordes purgat, hortos irrigat, febricitantes sua frigiditate, & humiditate delectat, naves vehit, lumen recipit, ad suum principium recurrit, loca vacua subit, lapides cavat, ignem extinguit, olim mundum purgavit. In mari rubro populo Dei cessit, de latere Christi fluxit, hanc Christus in vinum mutavit, ac de ipsa baptismi materiam ordinavit. Eccl. 1

Terra inter alia elementa est infima, nigra, magis despecta, ponderosa, rotunda, elementis aliis circumdata, mater fructum, radix plantarum, nutrix animalium, aedificiorum fundamentum, mortuorum receptaculum, machinae mundialis centrum, concludit in se infernum, fri-

gi-

gida, ficca, opaca, corporis humani materia. Servat metalla, centro tenetur, motu ex vaporibus inclusis concutitur, herbis & floribus ac arboribus suis decoratur: circa eam motu circulari cœlum cum sideribus volvitur, ab hominibus & jumentis calcatur: horum quædam terræ competunt secundum esse suum, quædam secundum situm, quædam secundum contentum, quædam secundum ornatum, quædam secundum utilitatem.

CAPUT IX.

De impressionibus aeris.

COmetes licet appareat, quasi stella; non est tamen aliud quam vapor inflammatus ex vicinitate ignis. Hic comas luminis fundit, & dicitur significare mutationem, aut bella aut pestilentias. Corona est albus circulus, qui quandoque apparet circa Solem, vel Lunam, aut stellas alias: & causatur ex reliquiis nubium per planetarum radios attractis & illuminatis. Talis autem circulus signum est serenitatis. Albus duplex est, ascendens scilicet, & descendens. Ascendens fit ex partibus vaporis inflammati in supremo aeris, & videtur ascendere: sicut si evolarent scintillæ de fornace. Albus vero descendens est ignis retentus in nube, qui tamen expellitur obviante nube frigida, & cadit continue, propter quod videtur quod stella cadens sit longa, quia relinquit vestigia casus post se. Lumen quo videtur de nocte discurrentibus se præcedere, est vapor compactus descendens, cui cum nihil obviet, confricatione sui ipsius accenditur, & aliquamdiu stat in aere. Draco dicitur vapor fortis conglobatus, qui est nubes frigida ad latus unum, & calida ad aliud, & tunc propter convenientiam ad calidum, trahitur ad illud, & ita incenditur pars anterior: & hæc videtur quasi spiramen draconis; media vero pars incurvatur ut serpens, & volat semper ad latus ubi calidum circumstat ipsum.

Nubes fiunt quando a virtute Solis extrahuntur vapores de aquis & paludibus, & locis humidis & feruntur sursum. Nebula est id, quod ex nubibus aquam pluentibus relinquitur: & ideo secundum Aristotelem signum est serenitatis. Caligo est vapor tenebrosus, quem vulgo appellant nebulam. Iste vapor non elevatur, sed priusquam convertatur in nubes, vel in pluviam, deprimitur, & remanet juxta terram. Ros, est id, quod descendit ex vapore parvo, & in descensu suo traditur in parvis minutiis. Pluvia est aqua descendens ex nubibus resolutis, velocitatem habens suæ descensionis, & hoc guttatim. Pruina est ex vapore rorido, quæ congelatur antequam ex ipso resolvatur aqua. Nix generatur in nube calidissima, cujus congelatio fit cum conversinne in aquam: & ideo partes ejus non inspissantur. Grando generatur ex nube calidissima virtute Solis multum elevata, quæ postquam in aquam resolvitur, tunc demum in medio interstitio aeris congelatur. Tonitruum est vaporis sicci egredientis de nube humida, vel in nube frigida & humida, & scindit quidquid invenit. Coruscatio est illuminatio vaporis sicci incensi in vapore humido. Fulgur generatur ex vapore grosso, elevato, & calore siccato: quia cum sit igneæ naturæ vi ventorum contra naturam descendit, & urit, & nihil ei resistit, æstate præcipue, & in montibus percutit frequenter. Fulmen est vapor terrestris, & inflammatus, qui quando tangit nubem, quæ jam est in conversione ad aquam conglutinatur, sicque decoquitur fortissimo calido, & induratur in lapidem, qui vocatur cœlum tonitrui, & scindit, quidquid invenit.

Iris est lumen Solis receptum in nube concava, & aquosa, ac Soli ex adverso opposita Glacies est aqua congelata. Ventus est vapor terreus aeris superiora transcendens, & aerem fortiter percutiens & impellens. Venti sunt quatuor principales, scilicet Subsolanus ab Oriente, temperatus, habens a dextris Vulturnum desiccantem, a sinistris Eurum, nubes gerentem. Item a meridie est Auster calidus, qui fulmina gignit, & plu-

vias

vias largas, habens a dextris Africum calidum, a sinistris Notum temperatum quidem, sed pestilentias inducentem. Item a Septentrione est Aquilo frigidus, habens a dextris Draciam nives facientem & grandines, & a sinistris Boream nubes constringentem, ac pluvias prohibentem. Item ab Occidente est Zephirus flores producens, habens a dextris Circium, tempestates & pluvias, ac tonitrua generantem, a sinistris Favonium Oriente nubila, sed serena in meridie facientem. Turbo est ventus egrediens de nube in se ipsum reflexus, vel duo venti lateraliter sibi concurrentes, seseque juxta terram orbiculariter involventes. Terræmotus est vapor grossus extractus de profundo terræ non potens exire extra superficiem terræ propter illius soliditatem: sicque coarctatus in interioribus concavitatibus terram concutit.

CAPUT X.

De tempore.

TEmpus est mensura motus primi mobilis, & rerum mutabilium. Et hoc patet, quia hic est tempus, & non in cœlo secundum suam substantiam: quia hic mutantur omnia, & non ibi: hic est enim nunc hyems, & non æstas, nunc pax, nunc discordia, nunc tranquillitas, nunc tempestas. Mutabilitas rerum ostenditur in hoc, quod ea quæ præcipue mundus amplectitur, scilicet sapientia & potentia in Oriente incœperunt, & terram habitabilem percurrerunt usque ad Occidentem, in signum quod omnia tendunt ad Occasum. Nam studium sapientiæ cœpit in Ægypto, postea fuit in Græcia, post hoc Romæ, deinde in Francia, & Anglia. Similiter regna primo fuerunt in Oriente, post in Græcia, post apud Romanos, nunc potestas imperii residet in Germania. Propterea Jacobus comparat
Jac. 4 vitam nostram, & hæc mutabilia
Isa. 36 vapori, Isaias somno, & baculo
Reg. 14 arundineo, & liber Regum aquæ dilabenti. Differentia autem est inter A tempus, & ævum, & æternitatem. Nam tempus habet principium & finem. Ævum caret fine, sed non principio. Æternitas caret utroque termino, quia est mensura interminata.

Istæ sunt ætates mundi. Prima est ab Adam usque ad Noe, habens juxta Hebræos, annos 1656. sed secundum 72. interpretes habens 2242 Secunda est a Noe usque ad Abraham, habens secundum Hebræos annos 292. sed secundum 72. 1072. Tertia est ab Abraham usque ad David, habens annos secundum Hebræos 972. sed secundum 72. 1130. Quarta est a David usque ad transmigrationem Babylonis, habens an- B nos secundum Hebræos 473. secundum 72. 485. Quinta est a transmigratione Babylonis usque ad Christum, habens annos secundum Hebræos 585. sed secundum 72. 578. Igitur ab exordio mundi usque ad Christum secundum Hebræos habemus annos 3952. sed secundum Hieronymum est hæc computatio: secundum vero 72. quos Græci sequuntur 5508. Eusebius autem quem Orosius secutus est, inter utrosque incedens, numerat annos 5198 quos pene omnes Latini sequuntur. Sexta ætas est a Christo usque ad finem mundi. Septima est quiescentium, & concurrit cum sexta. Octava est resurgentium. Porro secundum He- C bræos in prima ætate sunt generationes 12. In secunda 10. In tertia 14. In quarta 17. (quas tamen Matth. gratia mysterii 14 ponit in c. 1.) In quinta 14. Ætates hominis sunt istæ Prima est infantia, a nativitate usque ad 7. annos: secunda est pueritia usque ad annos 14. tertia est adolescentia a 15. anno usque ad 28. quarta est juventus, a 28 usque ad 49. quinta est senectus, a 50. usque ad 78. sexta est decrepita ab anno 78. quousque vita finiatur. Dignitas Dominici diei notatur in hoc, quod fuit prima dierum. Item, ut dicitur erit ultima dies, item nox illam non præcessit. Item nox illi non successit. Item cœlum & terra in ea *Gen. 1.*
sunt creata. Item Angelus in ea conversus est ad Deum. Item primo da-

ta sunt in ea filiis Israel mandata, A ut dicit Origenes. Item in ea Christus natus est. Item Christus in ea resurrexit. Item in ea Spiritus sanctus datus est Apostolis. Item omnes in ea resurgemus, atque judicabimur. Item in ea perpetuo continuandum est in laude Dei.

Act. 2

Caput XI.

De Angelis in communi.

Dam. l. 2 de fid. or. c. 3 non longe a prin.

ANgelus est, secundum Damascenum, substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens, secundum gratiam non naturam. Substantia ponitur in hac diffinitione pro genere, & ponitur ad differentiam accidentis. Intelligitur etiam hic substantia qualitercumque composita, scilicet, ex eo, quod est, & quo est. Intellectualis dicitur potius, quam rationalis, quia ratio est virtus collativa causæ, & causati, & ideo composita, ut omnis homo est animal, Sortes est, &c. Syllogismus enim nihil aliud est, quam discursus a causa in causatum. Intellectus autem de ratione sui non habet compositionem, & collationem, sed est sine inquisitione & compositione, & ideo competit naturæ magis simplici pro differentia, ut est Angelus. Ratio autem differentiæ est naturæ minus simplicis, scilicet hominis. Semper mobilis, non dico, de loco ad locum, sed mobilitas dicit hic triplicem mobilitatem in Angelo, scilicet naturæ, intelligentiæ, & voluntatis. Mobilitatem enim habet naturæ, quia omne creatum vertibile est in nihilum, nisi manu omnipotentiæ divinæ contineatur. Similiter Angelus mobilitatem intelligentiæ habet, quia licet in Angelo non sit vicissitudo intelligentiæ quo ad scita in verbo, cum Deiformem habeat intellectum secundum Dionysium, potest tamen in eo quo ad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiæ, & quo ad discenda: & hoc est quod dicit Augustinus quod omne creatum habens intellectum, intelligit unum post aliud. Item in voluntate mobilis est Angelus, quia non simul vult hoc & illud. Item potest dici semper mobilis motu dilectionis. Arbitrio libera, hoc non dicitur propter deflectionem ad bonum indifferenter, & ad malum, sed propter liberam electionem eorum quæ voluerit: unde Angelus bonus semper libere eligit bonum. Et: Angelus malus libere, & sine coactione eligit malum. Incorporea substantia dicitur, quia Angelus habet proprietatem corporis, non naturam, scilicet in loco contineri. Cum enim corpus sit in loco circumscriptive, & diffinitive, Angelus tantum diffinitive est in loco B Deo ministrans. Ministerium hic ponitur pro quocumque obsequio: & secundum hunc modum tam assistentes, quam ministrantes, quam etiam dæmones ministrant. Immortalitatem suscipiens secundum gratiam, non naturam, quia rediret in nihilum, nisi per gratiam conservationis contineretur. Angelo attribuuntur quatuor, scilicet essentiæ subtilitas, intellectus perspicacitas, liberi arbitrii facultas, discretio personalis. In primis tribus convenit anima cum Angelo, in quarto non: quia anima non est persona. Habet & alia tria Angelus, scilicet virtuositatem in operando, officiositatem in ministrando, immutabilitatem post electionem, C sive in bono, sive in malo. Differentiæ quatuor assignantur inter Angelum & animam. Prima & principalis penes esse naturale, quia anima est unibilis corpori, etiam actu separata, Angelus non. Secunda est penes esse logicum, id est, diffinitionem, quia anima rationalis est: sed Angelus intellectualis. Anima enim apprehendit inquirendo, & conferendo: Angelus vero intuendo. Tertia est penes esse metaphysicum, idest separatum a materia, &. a motu: quia Angelus non habet passibilitatem, nisi respectu superiorum, anima vero respectu inferiorum, quia immutatur a sensibilibus. Quarta est penes esse theologicum, quia anima vertibilis est a bono in malum, & e contrario; Angelus vero non, quia

ma.

manet in eo ad quod se convertit, sive bonum sit illud, sive malum: Angeli enim sunt omnes similes in eo quod immortales, invisibiles, & indissolubiles, simplices, discreti personis, incommutabiles, incommunicabiles sunt alteri naturæ: sed dissimiles sunt in donis gratiæ, & naturæ. Præterea dicit Dionysius quod in omni natura spirituali creata aliud est essentia, aliud est virtus, aliud est operatio.

CAPUT XII.

De distinctione cœlestium hierarchiarum.

Hierarchia triplex est, scilicet supercœlestis, cœlestis, & subcœlestis. Supercœlestis est in tribus personis. Cœlestis est in ordinibus Angelicis. Subcœlestis in hominibus sanctis. Porro hierarchia cœlestis dividitur in superiorem, mediam, & inferiorem. Superior continet tres ordines, scilicet Cherubim, Seraphim, Thronos, quorum primi considerant Dei bonitatem, secundi veritatem, tertii æquitatem. Item in primis Deus amat, ut charitas; in secundis noscit, ut veritas: in tertiis sedet, ut æquitas, Media continet Dominationes, Principatus, & Potestates: quorum primi regunt officia Angelorum: sequentes capitibus præsunt populorum: ultimi potestatem coercent dæmonum. Item in primis Deus dominatur, ut majestas: in sequentibus regit, ut principatus: in ultimis tuetur, ut salus. Inferior hierarchia similiter continet tres ordines scilicet Virtutes, Archangelos, Angelos: ad quorum priores pertinet miraculorum operatio: ad secundos, majorum negotiorum denuntiatio: ad tertios, humanæ custodiæ sollicitudo. In primis Deus operatur, ut virtus, in secundis Deus revelat, ut lux, in tertiis, mittit, ut inspirans. Hæc dicta sunt secundum beatum Gregorium, & secundum Bernardum, sed secundum Dionysium, virtutes sunt medius ordo secundæ hierarchiæ, & Principatus primus ordo tertiæ hierarchiæ. Hic attendendum quod in qualibet trium hierarchiarum præmissarum notatur Trinitas divinarum personarum, ut patet in cœlesti hierarchia, tam superiori, quam media, quam etiam inferiori.

Greg. hom. 34 in Ev.

B

CAPUT XIII.

De proprietatibus Angelorum.

Isid. l. 1 de sum bono c. 12

ANngeli secundum Isidorum sunt spirituales facti, ante omnem creaturam creati, natura mutabiles conditi, sed contemplatione immutabiles facti, animo impassibiles, mente rationales, felicitate securi, futurorum præscii, justi mundum regunt, missi corpora aerea assumunt, in cœlestibus commorantur. Bernardus de eodem, Investigemus investigabilia: & primo spiritus esse potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personis, dispositos in dignitate, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, unanimitate indivisos, pace securos, divinis laudibus, & obsequiis deditos. Item secundum Bernardum, in Angelis est dignitas creationis, gratia confirmationis, amor Creatoris, visio divinitatis. Est etiam in Angelis potentia, sicut supra dictum est, essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicacitas, liberi arbitrii facultas, agilitatis velocitas. Prompte omnes obediunt. Majores sine elatione præsunt, minores sine vitio subsunt, qui ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione non recedunt. Omnem virtutem inferiorum superiores participant, non e contra. Qui excellunt in natura, præcedunt in gratia & gloria. In eodem ordine creduntur alii esse aliis digniores. Duplicem habent visionem, scilicet matutinam, & vespertinam. Illuminationes, quas a superioribus recipiunt, aliis tribuunt.

Bern. lib. de consid. c. 4

Idem.

C

CA-

Caput XIV.

De proprietatibus, & officiis singulorum ordinum.

PRoprium est Seraphim in amore Dei ardere, & alios ad incendium divini amoris promovere, & in Deum ordinare, & Deum ordinate diligendi formam tribuere. Isti immediate Deo junguntur: & ideo purius, & perfectius in ipsos operantes theophaniæ deferuntur: ad aliud quoque extra amatum non divertunt. Cherubim quoque primo & principaliter relucent divini luminis radio, pro eo quod vicinius primæ veritati junguntur. Horum officium est promovere homines ad divinam cognitionem: ideo præ ceteris dicuntur lucere: quia plenitudinem luminis quam suscipiunt, aliis inferioribus communicando transfundunt. Throni dicuntur, eo quod in eis Dominus sedeat, & judicia sua per eos determinet. In his ergo præcipue relucet rectitudo divini judicii. Hi quoque virtutem Dei quam supra se accipiunt, ad inferiores transfundunt. Dominationes dicuntur, eo quod ceteris Angelis dominantur, & ab omni oppressione sunt liberi, & nulli inferiori subiiciuntur. (*Greg. hom. 34 in Ev.*) Horum officium secundum Gregorium est in bello spirituali instruere, qualiter oporteat prælationis officium exercere, & qualiter debeat subditis dominari. Horum etiam officium est secundum Dionysium, timore servili deposito, in Deum moveri, & incessanter ei famulari. Principatus subditis Angelis præsunt, & eos ad ministerium divinum explendum disponunt: Ad hos pertinet secundum Dionysium, universale regimen, unius regni gentes ducere ad Dei similitudinem. Ministerium quoque (*Greg. ubi sup. prox.*) eorum est secundum Gregorium, docere homines exhibere reverentiam unicuique secundum gradum suum. Horum etiam officium est promovere homines, ut non propter utilitatem propriam, sed propter solius Dei amorem, & honorem, faciant justitiam. Potestatibus secundum Isidorum, virtutes adversæ subjectæ sunt, ne mundo tantum noceant, quantum cupiunt. (*Isid. ubi supra*) Horum officium secundum Gregorium est, illos qui in spirituali certamine desudant, confortare, & ne spirituale regnum amittant, defendere. (*Greg. ubi supra*) Et secundum Dionysium ad ipsos spectat, Angelos inferiores quantum possibile est, divinæ potentiæ conformare. Virtutes sunt infatigabiles ad executionem faciendorum, & robusti ad præceptionem munerum: Horum officium est secundum Dionysium docere prælatos ut facile & perseveranter, quæ ad officium prælationis pertinent, exequantur, & ipsius onera sustineant patienter. Item per istos miracula B fiunt, & virtutes faciendi mirabilia perfectis conceduntur. Archangeli summi nuntii nuncupantur, & summa nuntiant. Horum officium est secundum Gregorium, de his quæ pertinent ad promotionem fidei, ut de nativitate Christi, & factis ejus homines erudire, & dæmones ab hominibus removere, secundum Dionysium prophetias revelare. (*Greg. hom. 34 in Ev. Dionys. de cael Hierar. c. 9*) Isti illuminationes, quas a superioribus suscipiunt, inferioribus annuntiant, & per eosdem nobis Angeli sunt in cœlesti dispositione ultimi, & hominibus magis propinqui. Angelus nomen est officii, non naturæ. Isti minima nuntiant, & homines ad divinam cognitionem ducunt, & ut C juste vivant, instruunt. Hi sursum extenduntur per dilectionem Dei, in seipsis firmantur per custodiam sui, ac sub se progrediuntur ad auxilium proximi. Nos autem assimilari debemus Seraphim per charitatem, Cherubim per cognitionem, Thronis per æquitatem, Dominationibus carnem spiritui subjugando, Principatibus reverentiam majoribus nostris exhibendo, Potestatibus tentationibus diabolicis resistendo. Item debemus assimilari virtutibus per compassionem, Archangelis per instructionem, Angelis per obsequii exhibitionem.

Ca-

CAPUT XV.

De cognitione & motu Angelorum.

ANgeli cognitionem habent matutinam, hoc est, cognitionem rerum in Verbo. Item vespertinam, idest, cognitionem rerum in se. Item meridianam, idest, apertam Dei visionem. Est & alia cognitio Angelica, videlicet, prout majores indicant minoribus, quæ per divinas theophanias perceperunt. Theophania vero est ostensio alicujus cognoscibilis de Deo per illuminationem de Deo venientem: & hoc potest esse vel in symbolis, vel facie ad faciem. Nota quod Angelus in cognitione rerum in propria natura, cognoscit plura habitu, & non actu, Circa incarnationem, & passionem Christi sciverunt Angeli substantiam facti, sed non omnes circumstantias, ut quare, vel quomodo. Præterea quæcumque Angeli cognoscunt, cognoscunt remota sicut propinqua: quia cognitio eorum non per sensum, sed per intellectum est.

Status autem Angeli triplex est, scilicet innocentiæ, gratiæ, & gloriæ. Distinguitur motus Angelorum tripliciter secundum Dionysium, sc. circularis, rectus & obliquus. Circularis est ab eodem in idem, & circa idem centrum immobile: hunc motum habent Angeli, qui immediate recipiunt illuminationes a Deo, & per illas revertuntur ad Deum. Istud autem convenit superiori hierarchiæ tantum. Item motu recto moventur, quando procedunt ad providentiam subjectorum recte omnia transeuntes, & non revertuntur ab eodem in idem, sed de uno in aliud. Item est in Angelis motus obliquus, quando scilicet cognitionem inferiorum quibus provident, reflectunt in Deum principium & finem boni, & pulchri.

Nota differentiam inter assistere & ministrare: quia assistere est faciem Dei contemplari: sic assistunt omnes boni Angeli. Item assistere est immediate recipere illuminationes a Deo: sic tantum assistunt tres primi ordines. Item assistere est appropinquare Deo, & extraneum esse ad exterius missioni: sic assistunt quatuor primi ordines. Ministrare vero est nuntiare pro temporis opportunitate, vel operari secundum officium. Est enim ministerium nuntii & officii.

Erratum est circa motum Angelorum tribus modis. Dicebant enim quidam philosophi, quod Angeli numquam moventur, sed movent sphæras, & per eas voluntates hominum. Item dixerunt alii, quod Angelus sit in pluribus locis, & etiam ubicumque sit voluerit. Item dixerunt alii, quod Angelus sic venit de fine spatii, quod non transit media, sed transilit. Illud quoque prætermittendum non est, quod unusquisque ordo ab eo denominatur, secundum quod respectu inferiorum ordinum excellentias accipit in munere.

CAPUT XVI.

De prælatione Angelorum.

PRæsunt quidam Angeli regionibus, ut dicitur in Daniele: Princeps Græcorum, & princeps Persarum, &c. Quidam vero præsunt Ecclesiis, in Apocalypsi. Angelo in Ephesi Ecclesiæ scribe. Item alii præsunt personis. In Actis Angelus Petri credebatur ad ostium stare. Quidam etiam maligni spiritus dicuntur vitiis præesse, unde vocatur aliquis spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ, & hujusmodi. Quæ autem prælationes permaneant, vel quæ cessent post hanc vitam: sciendum est quod hierarchiæ semper stabunt: quantum ad instantiam beatitudinis, & quantum ad gradum dignitatis, & nobilitatem doni gratuiti, ac naturæ. Cessabunt autem prælationes Angelicæ super homines, & Angelos, quoad actum regiminis, secundum gubernationem mundi, & electorum, secundum viam ad patriam. Prælatio autem est in dæmonibus quoad officium insultandi & irridendi, & secundum quod unus provocat alterum in malitia, & hoc non destruetur. Psalmista: Superbia eorum

Dan. 10. *Apoc. 2.* *Act. 12.* *Psal. 73.*

rum qui te oderunt, ascendit semper, nec destruetur quantum ad malitiam & naturam. Cessabit autem eorum prælatio quoad officium tentandi eos qui sunt in via. In hominibus etiam prælationes evacuabuntur: quia non erunt decani, centuriones, chiliarchæ, & hujusmodi. In creaturis similiter cessabit prælatio, quia superiora, non movebunt tunc inferiora, sicut modo.

Caput XVII.

De confirmatione Angelorum.

Confirmationem habet Angelus ex tribus, scilicet ex natura, gratia & gloria. Ex natura quidem, quia natura spiritualis semel tantum vertibilis est, vel in bonum, vel in malum: nisi ex unione unius cum altero, sicut patet in anima, quæ dum est in corpore, potest mutari sæpius de bono in malum, & contra: soluta vero non. Hujus autem ratio est, quia natura spiritualis propter suam simplicitatem se totam convertit ad id quod eligit, quod non facit natura unita, quia habet corpus retrahens. Ex gratia similiter habet confirmationem, quia si aliquid connectitur stabili, æterno vinculo perpetuo, illa connexio semper manet, Sic Angeli colligati sunt stabili æterno, scilicet Deo, & hoc vinculo indissolubili, scilicet charitatis. Apostolus: Charitas numquam excidit, &c. (1 Cor. 13) Ex gloria quoque habent eam, quia cum Deum habeant per gloriam, qui est forma completiva angelici desiderii, non vagantur extra ipsum, ut quærant aliquid illo melius, vel desiderabilius atque jucundius. Nihil enim in creaturis inveniunt, quod possit eos a fonte divinæ dulcedinis avertere.

Tenendum itaque quod Angeli boni ex libertate arbitrii ad Deum conversi, statim fuerunt per gratiam & gloriam in voluntate confirmati, fideles ac felices effecti, atque in ratione illuminati, ut non solum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in arte, hoc est, in Verbo. Filius enim dicitur ars Patris per quam operatur. Acceperunt insuper perfectionem in virtute operativa, sive exequantur illam assumpto corpore, sive alias, atque perfectionem in virtute contemplativa, qua quocumque mittantur, intra Deum currunt.

Caput XVIII.

De custodia Angelorum.

Angeli nobis ad custodiam deputati tenent nos stantes, ne cadamus, & cadentes nos adjuvant, ut surgamus: nec umquam nos deserunt, etiam peccantes, quin semper sint parati auxiliari, si velimus. Hoc tamen fallit in obstinatis a quorum custodia desistit Angelus actualiter: paratus est tamen custodire, si redire voluerint, quia numquam deseritur homo ex toto ab Angelis.

Nota quod Christus non habuit Angelum sibi deputatum, quia anima ejus superior fuit omni Angelo, sicut, & habebit unum Antichristus, quem licet propter nimiam obstinationem, non sit habiturus ad promotionem suam, habebit tamen ad accusationem.

Effectus autem angelicæ custodiæ multiplex est. Primus est impedimenta boni, & occasiones mali, & actiones peccandi removere. Exodus: Mittam Angelum præcursorem, qui eiiciat Jebusæum. (Exo. 23) Secundus est, tentationes mitigare. Daniel: Angelus Domini descendit in fornacem, &c. (Dan. 3) Tertius est, contra hostes visibiles adjuvare, in libro Regum: (4 Reg. 6) Elisæus vidit castra Angelorum. Quartus est, orationes nostras, & eleemosynas Deo præsentare & pro nobis orare. In Tobia: Quando orabas cum lacrymis &c. (Tob. 12) Quintus est, viam ostendere. In Tobia. Ego sanum ducam, & reducam, &c. (Tob. 5) Sextus est, in agendis docere. Zacharias: De Angelo qui instruxit eum de quatuor fabris. (Zach. 2) Septimus est, seipsum & alia secreta revelare. In Tobia; Ego sum Raphael Angelus. (Tob. 12) Octavus est a peccatis excitare. In Actis: Surge velociter. (Act. 12) Nonus est, ad

3 Reg. 19 ad fervorem excitare. In libro Regum: Surge, comede; grandis enim tibi restat via. Decimus est, consolari. In Tobia: Forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris.
Tob. 5
Undecimus est, de peccatis increpare. In libro Judicum: Dixit Angelus populo Israel: Cur contra Deum fecistis. Duodecimus est, contrarias potestates arcere ne tantum nocere valeant, quantum vellent. In Tobia: Qualiter Angelus Asmodeum ligavit.
Judic. 2
Tob. 8

Angeli serviunt nobis propter tria, scilicet propter ruinæ suæ reparationem, quia homines salvandi intrabunt in locum cadentium Angelorum. Item propter meriti accidentalis cumulationem, quod augetur in eis usque ad diem judicii. Item propter amoris erga nos demonstrationem.

Dionysius attribuit Angelo tres actus scilicet purgare, illuminare, & perficere. Purgant itaque Angeli removendo phantasmata, quæ impediunt illuminationem, quam Angelus intendit facere in nobis. Unde tria removent ab anima, scilicet ignorantiam, & nubila phantasiarum, ac falsas opiniones philosophicarum rationum revelationi contrariarum. Illuminant vero animam tripliciter, scilicet ad sensum, ut patet quando aliquid manifestatur in assumpto corpore. Item ad imaginationem, scilicet cum fumositates, quæ per spiritum animalem ad cerebrum elevantur, transmittunt in diversa phantasmata: & hanc potestatem habet etiam diabolus. Item ad intellectum, & talis illuminatio solum perfecta est. Notandum autem quod Angelus non illuminat intellectum efficiendo novam cognitionem in anima, quia non potest in intellectu novam speciem imprimere, nec habitum novi luminis dare, sed nec ejus intentionem quo vult convertere, quia hoc est contra naturam liberi arbitrii: Hæc enim tria requiruntur, ut intellectus noster intelligat aliquid, scilicet species, qua cognoscatur, & lumen in quo cognoscatur, & intentio qua convertatur intellectus super speciem. Illuminat

A autem Angelus intellectum nostrum excitando, & disponendo, & lumen divinum in nos transferendo. Facit enim, ut dictum est, in phantasia transmutationem specierum componendo, & dividendo, secundum exigentiam rei, quam vult revelare. Item irradiat lumen intellectus sui super illas species: ut moveant intellectum nostrum, & sic plura & subtiliora videre possunt in lumine duplicato. Item excitat intentionem animæ aliquo motu, ut ipsa convertat se super illa phantasmata, abstrahendo se ab aliis: perficiunt autem idest promovent ad melius.

Sed utrum Angelus accendere possit affectum humanum, tripliciter
B potest intelligi, scilicet vel efficiendo, vel excitando, & adjuvando, vel movendo. Primo modo solus Deus potest inflammare affectum, scilicet, per effectum. Secundo modo ipsum desideratum inflammat affectum, scilicet excitando, & juvando. Tertio modo potest Angelus affectum nostrum incendere per motum. De his habemus exemplum in naturis; quia primo modo ignis accendit ligna. Secundo modo ligna incendunt ignem. Et tertio modo, qui ligna igni apponit, ignem accendit. Differentia autem est inter immittere cogitationem, & incendere, & mentem illuminare: quia cogitationem immittere est, ut dicit Beda, intus
C creare, & facere cogitationem: sed incendere, est cogitationem jam factam inflammare: illuminare vero est dare revelationem de aliquo occulto intelligibili.

CAPUT XIX.

De locutione Angelorum.

Verbum triplex est, scilicet, mentis, oris, & operis. Verbo mentis loquitur Deus Angelo, & e converso, Item Deus animæ, & e converso: item diabolus Deo: cujus tamen intentio Deum latere non potest. Verbo autem oris loquitur homo homini in corpore unito animæ, Angelus vero homini corpore assumpto:

pto: sed verbo operis loquitur Deus A diabolo, & Angelus diabolo. De locutione itaque Angelorum, nota quod Angelus loquitur Deo, cum ex visis in motum admirationis exurgit, vel cum affectus suos ei præsentat, quos tamen eum latere minime dubitat. Angelus vero loquitur Angelo verbo mentis suæ, species ostendendo mediante illuminatione quadam spirituali irradiante ab ipso. Item Angelus facit aliquid coram Angelo, quo facto intelligit quod non intelligebat ante. Et sic loquuntur omnes omnibus, idest, superiores inferioribus, & e converso. Item loquitur Angelus Angelo per communicationem divini luminis ipsum instruendo, sic non loquuntur omnes omnibus, nec B omnia, sed tantum superiores inferioribus de his quæ per divinas theophanias perceperunt.

Loquitur autem Angelus homini dupliciter. Primo modo verbo vocali in assumpto corpore, sed tunc sicut non profert somnum in organis materialibus secundum naturam, ita nec circulariter immutat medium, quemadmodum in voce naturali: unde non auditur, nisi ab illo, ad quem ordinatur: & est simile in apparitionibus Angelorum, quos quidam vident, & alii æque propinqui non vident, ut apparet in Elisæo, & puero ejus. (4. Reg. 6) Dicunt tamen aliqui, quod Angelus numquam apparuit, vel apparet, aut loquitur homini in subjecta C creatura, sed intentionem, sive similitudinem ponit in oculo ejus, vel intentionem vocis ponit in aure ejus: & ibi recipit sensus communis species illas, ac deinde perveniunt ad imaginationem, post hæc ad intellectum, & hoc est quod Angelus dicitur apparere, aut loqui homini.

Secundo modo loquitur Angelus homini per impressionem rerum sensibilium, moto instrumento imaginationis, & sic loquitur vigilantibus, & dormientibus.

Item loquitur Angelus diabolo species sui intellectus ei sine aliqua illuminatione ostendendo.

Item loquitur diabolus homini dupliciter. Primo modo sensum immutando, & hoc vel imaginationem alicujus rei imprimendo instrumento visus, vel obiiciendo visui similitudinem alicujus rei: Secundo modo loquitur diabolus homini per impressionem rerum sensibilium in instrumento imaginationis, & hoc facit quandoque vigilantibus, quandoque dormientibus: & sic immittit cogitationem mali. Cogitationem vero malam non potest immittere, quæ tantum per consensum mala sit.

Est & locutio animarum, quia anima loquitur Deo per desiderium: cujus affectiones nudæ sunt, & apertæ oculis Dei. Anima similiter Angelo loquitur, & hoc per voces corporis, quas bene percipit Angelus, sicut & alia sensibilia. Unde anima existens in corpore alia spirituali potestate loquendi ad Angelos non indiget, sed hanc habebit exuta a corpore. Item anima loquitur diabolo, quia similitudines affectionum imprimuntur sensibus, ubi diabolus legit eas.

Caput XX.

De specialibus nominibus Angelorum.

De his nominibus Michael, Gabriel, Raphael, sciendum est, quod hæc sunt propria nomina Archangelorum, licet eorum interpretationes aliis sunt communes: sed eorum propria sunt, quia his horum nominum interpretationes conveniunt excellentius. Michael interpretatur. Quis ut Deus. Hic est de ordine Principatuum, & attribuuntur ei quatuor, scilicet esse præpositum paradisi, idest, Ecclesiæ: sicut & olim fuit princeps synagogæ. Item deferre animas in paradisum, sed hoc intelligas, quod gloriosius deferat quam alii. Item pugnare cum dracone, idest, diabolo, sicut legitur in Apocalysi: (Apoc. 12) Item venire in adjutorium populo Dei. (Dan. 10)

Gabriel interpretatur fortitudo Dei. Hic est de ordine Archangelorum, & merito, quia magna annuntiavit. Raphael interpretatur medicina Dei, & est de ordine Virtutum, quia mirabilia magna fecit.

Caput XXI.

De casu Angeli.

OMnes Angelos fecit Deus bonos, non tamen summos, sed medios inter summum bonum & bonum commutabile, quod est creatura, ita quod si converterentur ad amandum Deum, qui supra se erat, ascenderent ad statum gratiæ, & gloriæ. Si vero converterentur ad bonum commutabile, quod fuit infra se, hoc ipso ruerent in malum culpæ, & pœnæ, quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ.

Caput XXII.

De spirituali casu dæmonis,

CAsus diaboli duplex fuit, scilicet spiritualis, & localis. Spiritualis, quia cecidit de naturæ puritate, de flexibilitate liberi arbitrii ad bonum, de luce in tenebras, de scientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de felicitate in pœnam, de dilectione in odium. Post casum enim factus est impœnitens, & obstinatus in malo, & excæcatus a vero, & deordinatus in bono, & infirmatus in virtute, & exclusus a Dei contemplatione. Præterea voluntas ejus impia conversa est ad hominis odium, & invidiam: unde toto conamine nititur ad ejus subversionem, per tentationem multiplicem. In tantum autem excæcatus est, quod potius vult esse, quam non esse, ut pugnet contra Deum, licet ex hoc sciat sibi malum semper evenire: quia quolibet facto suo, quod ex libero suo arbitrio procedit, peccat mortaliter.

Caput XXIII.

De locali casu diaboli.

CAsus etiam diaboli localis fuit, quia vel ini nfernum, vel in caliginosum aerem, qui est in medio interstitio aeris, corruit. Dæmones enim non sunt in superiori par-

A te aeris, ne lumine gaudeant: nec sunt in parte inferiori, ne nimis contra nos sæviant. Unde notandum est, quod in dæmonibus est tria considerare, scilicet, naturam, officium & peccatum. Et naturæ quidem convenit locus summus, idest, cælum, in quo tamquam in loco congruo sunt creati, & postmodum in natura, si stetissent, perficiendi. Ex officio vero quod habent exercendi homines, convenit locus medius, idest, aer caliginosus, ubi & satis propinqui sunt nobis ad tentandum, & tamen non habent lumen ad gaudendum: Sed peccato convenit locus infimus, scilicet infernus. Unde & *Matt. 25*
dæmones post finem mundi, quando
B cessabit eorum officium, detrudentur simul in infernum. Dicunt quidam quod Angelus cecidit secunda die. Sed communior est opinio quod prima die subito post creationem suam ceciderit. Dicitur communiter, quod decimus chorus Angelorum cecidit: sed hoc non dicitur quod decem ordines Angelorum fuerint, sed quod tot de singulis ordinibus ceciderunt, quot poterant facere chorum unum. Unde novem sunt ordines Angelorum: quilibet ordo habet suas legiones. Legio autem Angelorum habet 6666. unitates. Tot autem in singulis ordinibus sunt legiones, quot in legione sunt unitates.

C

Caput XXIV.

De restauratione ruinæ Angelorum.

ANgelorum ruina restaurabitur per salvandos. Dicit autem Augustinus, quod tot salvabuntur homines, quot Angeli ceciderunt. * Gregorius vero dicit quod tot homines salvabuntur, quot Angeli perstiterunt. Dixerunt etiam quidam quod duo parietes erunt in cœlo, scilicet unus hominum, & alius Angelorum: & quod ruina Angelica restaurabitur per Virgines: & de alio pariete tot erunt salvandi, quot in alio pariete sunt Virgines & Angeli.

Aug. in Enchir. c. 29 c. 3 & l. 22 de civ. c. 1 c. 5
* *Greg. hom. 34 in Ev.*

Ca-

Caput XXV.

Cur peccatum diaboli sit irremissibile:

QUare peccatum diaboli sit irremissibile, assignantur plurimæ rationes. Prima quia secundum Augustinum, nullo suggerente peccavit, & ideo nullo reparante redibit. Secunda est secundum Damascenum, quia contra Deiformem intellectum peccavit. Quanto autem nobilior est cognitio, tanto pejor est error. Servus enim sciens voluntatem Domini, &c. Tertia secundum eumdem Damascenum est, quia Angelus non est susceptibilis pœnitentiæ, unde nec veniæ. Quarta est, quia in diabolo extincta est synderesis quantum ad boni promotionem. Quinta est, quia natura spiritualis semel tantum vertibilis est, eo quod tota se convertat: quod non facit homo, quia caro semper repugnat spiritui. Status autem Angeli mali triplex est, ut patere potuit ex prædictis. Primus, scilicet innocentiæ. Secundus culpæ. Tertius pœnæ & miseriæ.

Aug. l. 1 de mirabil. script. c. 2. t. 3
Dam. l. 2. de fid. orth. c. 3
Luc. 12
Ibid. Dam.

Caput XXVI.

De proprietatibus dæmonum.

DÆmones sunt spiritus impuri, humani generis inimici mente rationales, in nequitia subtiles, cupidi nocendi, per superbiam tumidi, semper in fraude novi, immutant sensus, inquinant affectus, vigilantes turbant, dormientes per somnia inquietant, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis Angelos se transformant, semper infernum suum secum portant, in idolis sibi cultum divinum usurpant, super bonos dominari appetunt, magicæ artes per eos fiunt, bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur.

2 Cor. 11

Triplici acumine scientiæ vigent dæmones. Primo subtilitate naturæ, & hoc per cognitionem vespertinam. Secundo experientia temporum. Tertio revelatione superiorum spirituum. Primo modo intelligunt naturalia

A præsentia. Secundo modo naturalia futura. Tertio modo cognoscunt etiam voluntaria.

Multipliciter vero diabolus nominatur, per quod & proprietates suæ cognoscuntur. Vocatur enim diabolus, quod interpretatur defluens, quia defluit, idest corruit spiritualiter, & localiter sicut dictum est. *1 Pet. 5* Græce interpretatur diabolus clausus ergastulo, & hoc sibi convenit, quia non permittitur tantum nocere quantum vellet. Præterea secundum etymologiam diabolus dicitur a dia, quod est duo, & bolus, quod est morsellus, quia duo occidit, scilicet corpus & animam Item vocatur dæmon, idest, sanguineus, & hoc pro-B pter peccatum: vel sciens, quia viget triplici scientia, sicut dictum est. Item Belial, quod interpretatur absque jugo, vel absque domino: quia pro posse contra eum pugnat, cui deberet esse subjectus. *Luc. 11* Item Beelzebub, quod interpretatur vir muscarum, idest, animarum peccatricum, quæ reliquerunt verum sponsum Christum. Item Satanas, idest, adversarius, unde Petrus: Adversarius vester diabolus, &c. *1 Pet. 5* Item Behemoth, *Job. 40* idest, bestia, quia facit homines bestiales. *Isa. 27* Item Leviathan, id est, additamentum eorum qui peccata peccatis cumulant.

C

Caput XXVII.

De malitia diaboli contra nos.

DIabolus nocet homini multipliciter, quia per violentiam, & hoc quandoque exterius corpus lædendo, sicut fecit Job: *Job. 1* quandoque intra membra ligando, sicut in obsessis: *Matt. 18* & propter hoc datur parvulis Angelus bonus, ne diabolus in his lædat eos vel exedat. Item nocet per impressionem imaginum mala suggerendo, vel per commotionem sanguinis ad peccatum accendendo, vel sensus exteriores per objectionem falsarum formarum decipiendo. De his & similibus dicit Gregorius: *Greg. l. 32 Mor. c. 8* Aut opprimendo rapit, aut insidiando circumvolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut des-

perando frangit, aut promittendo decipit.

Diabolus decipit homines quatuor modis. Primo suadendo bonum, sed hoc propter malum, ut cum homini instabili suadet ingressum religionis, & hoc ut postmodum apostatet. Secundo suadendo malum, & hoc sub specie boni: ut pejerare pro rebus alterius conservandis. Tertio dissuadendo bonum tamquam nocivum, ut cum dissuadet bono viro religionis ingressum, ne de hoc pœniteat, & egrediens confundatur. Vel quando dissuadet alicui orationem vel eleemosynam, ne per hoc incurrat vanam gloriam. Quarto dissuadendo malum, ut ducat ad pejus: ut quando dissuadet temperantiam in victu & somno, ut per hoc inducat ad indiscretam abstinentiam, quod pejus est. Gen. 3

Impeditur diabolus in effectu suæ malitiæ multis modis, quandoque scilicet per terminum suæ potestatis a Deo impositum. Item quandoque per resistentiam bonorum spirituum. Habet enim quælibet anima duos Angelos: unum bonum ad custodiam, alium malum ad exercitium. Item per arbitrium hominis non consentientis. Item per peccati abominationem, quia quandoque dæmones nobilioris naturæ peccata vilia detestantur. Item propter cautelam quandoque omittit facere mala, ut pejus fiat sicut modo non vexat excommunicatos, ut minus timeant tales sententias.

Utrum autem virtus tentandi minuatur in diabolo, quando vincitur, diversæ sunt opiniones. Dicunt enim quidam quod superatus in uno vitio, ipsum victorem non possit amplius tentare de eodem vitio, sed alius diabolus potest. Alii dicunt quod superatus in uno vitio, nullum amplius de illo vitio possit tentare. Origenes dicit, quod superatus ab uno, neminem possit tentare de cetero.

Data est potestas dæmonibus exercendi magicas artes multiplici ratione. Primo ad fallendum fallaces, Exo. 7
sicut Ægyptios, & ipsos magos. Unde etiam quæ ipsi per talem modum acturi sunt, quasi divinando prædi- A cunt. Secundo ad monendum fideles, ne scilicet, tale quid pro magno desiderent, cum videant etiam malos Tob. 2
facere hujusmodi. Tertio ad probandam & exercendam patientiam & fidem justorum.

Caput XXVIII.

De Lucifero.

De Lucifero sciendum est, quod fuit de supremo ordine superioris hierarchiæ, ac in illo ordine supremum gradum tenuit: cui tamquam principi de singulis ordinibus magna multitudo adhæsit, quos omnes secum traxit. Dictus est autem B Lucifer, quia præ ceteris luxit suæque pulchritudinis consideratio eum Gen. 3
excæcavit. Primum hominem tentavit, & vicit. Matt. 4 Christum tentavit, & victus est. Potestatem tunc amisit, quam ultimis temporibus recuperabit. Nunc religatus est, & in fine solvetur. Apoc. 20
Peccatum Luciferi fuit, quod se & suum privatum bonum dilexit. Isa. 14
Excæcatus de altitudine habita præsumpsit, ac propriam excellentiam ambivit, quasi habiturus fuerit a se, non ab alio, & sine meritis habere voluit. Stare vel sperare cum posset quousque gratia apponeretur, noluit. Dei similitudinem concupivit, non quidem causa imitationis, sed potestatis, idest, subditos habere voluit, & nulli subjectus C esse concupivit.

Caput XXIX.

Quid sit anima secundum diffinitionem.

Post naturam corpoream, & incorpoream dicendum est de natura ex utrisque composita. Sed primo ex parte mentis, secundo ex parte corporis, tertio ex parte totius hominis. De anima igitur videndum est quid sit, secundum diffinitionem. Porro a quibusdam diffinitur, ut spiritus, a quibusdam, ut anima, a quibusdam vero, ut spiritus, & anima. In quantum igitur anima naturam habet spiritus, diffinitur ab Augustino sic in libro de motu cordis. Anima est

est substantia incorporea, intellectualis, illuminationis capax, ultima revelatione perceptiva. Ex hac diffinitione cognoscimus quod spiritus humanus, qui est anima, inter omnes creaturas immediate post Angelos illuminationis divinæ sit perceptivus. Anima vero inquantum anima, sic diffinitur a Remigio. Anima est substantia incorporea, regens corpus. Ex hac diffinitione habemus quod anima est quasi corporis rector, & motor. Item anima inquantum anima diffinitur a Philosopho in libro de anima, sic, Anima est entelechia corporis physici organici potentia vitam habentis. Entelechia hic dicitur actus primus, sive perfectio. Ex hac diffinitione habemus quod anima unibilis est corpori, non omni, sed soli organico & physico, idest, naturali ad susceptionem animæ rationalis dispositio. Item anima inquantum est spiritus, & anima, sic diffinitur ab Augustino: Anima est omnium similitudo. Hæc diffinitio data est per comparationem animæ ad creaturas. Anima enim ex sui natura ad suscipiendas omnium rerum tam corporalium, quam spiritualium similitudines apta est. Item animæ descriptio talis est. Anima est Deiforme spiraculum vitæ. Hæc descriptio sumitur a Genesi, & datur secundum quod anima comparatur ad Deum, prout non ex traduce, vel seminali ratione propagatur, sed a Deo corpori creando infunditur, & infundendo creatur. Item Seneca sic diffinit animam, anima est spiritus intellectualis ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus. Hæc diffinitio datur in relatione animæ ad finem, secundum quod non solum separata beatificatur in se, sicut Angelus immo & in corpore glorificato ipsius beatitudo ampliatur.

Arist. l. 2 de anima. tex. 5

Aug. l. de spir. & ani. c. 6 t. 3

CAPUT XXX.

Quid sit anima secundum rem.

QUid sit anima secundum rem, diversas videntur sententias Philosophi protulisse. Plato enim dicit animum numerum seipsum moventem. Aristoteles entelechiam, Pythagoras harmoniam, Hippocrates spiritum tenuem, Heraclitus lucem, Democritus spiritum ex atomis compositum, Hypomenes igneum vigorem. Parmenides dicit eam esse de terra & igne. Epicurus autem ex aere & igne. Inter has diversitates nos sequimur dicta sanctorum, & Catholicorum magistrorum dicentium, quod anima est substantia spiritualis & rationalis, ad vivificandum corpus humanum de nihilo creata. Creata est inquantum anima perfectibilis, & imperfecta quantum ad scientiam & virtutes, perfectissima tamen est quantum ad potentias naturales. Et quia incorporea est, sensui non est subjectas, neque secundum dimensionem extensiva. Quantitatem enim habet anima, ut dicit Augustinus, non dimensivam, sed potestativam & virtualem. Et quia simplex est anima, ideo nec augmenti, nec decrementi est susceptiva: quia nec in corpore majori major, nec in minori minor reperitur, ut dicit Augustinus. Multitudo quoque potentiarum in anima non ponit majoritatem in animæ natura, sed multiplicitatem effectuum. Anima etiam est vita perpetua, scilicet per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imaginem Dei facta, capax virtutis, & vitii, susceptibilis pœnæ, vel præmii: arbitrio libera, potentiis & habitibus, ac affectionibus decorata. Caret pondere, figura, & colore. Passibilis & mutabilis est: eo magna, quo capax est æternitatis: eo recta, quo naturaliter appetens est bonitatis: eo bona, quo particeps est divinitatis.

Ex Aug. l. de quant. animæ. c 17 t. 1

Ibidem.

Gal. 1

CAPUT XXXI.

Quid sit anima secundum nomen.

ANima dicitur, inquantum corpus animat, & vivificat. Mens inquantum recolit. Animus dum vult. Ratio dum rectum judicat. Spiritus dum spirat, vel quia spiritualem naturam habet, sensus, dum sentit. Memoria dum recordatur. Voluntas dum consentit. Hæc nomi-

mina diversa sunt animæ, non propter essentiæ pluralitatem, sed propropter effectuum multiplicitatem, & operationem. Dicitur anima ab a, est sine: & æma quod est sanguis, eo quod sit sine sanguine. Vel dicitur ab a, & nemein, quod est tribuere, eo quod anima vitam tribuit. Vel dicitur anima quasi anemos, idest, ventus quod spiritus sit.

Caput XXXII.

De triplici anima.

Actus animæ triplex est, scilicet vegetare, sentire, & ratiocinari: secundum hoc distinguitur animæ potentia triplex, scilicet vegetabilis, & sensibilis, & rationalis. De quibus dicit Ambrosius, quod anima vegetabilis appetit esse, sensibilis bene esse, rationalis autem optime esse: & ideo numquam quiescit, donec optimo conjungatur: propter hoc vi amoris in Deum movetur tamquam ad centrum, ut in ipso summe delectetur. Hæ autem tres potentiæ in diversis substantiis tres animæ dici possunt. Nam vegetabilis est anima in plantis, sensibilis in brutis, rationalis in hominibus. In homine autem tres prædictæ animæ una sunt essentia, sed differunt in potentiis: nec obstat quod in homine successive, ac diversis temporibus manifestantur: hoc enim est a virtute formativa, quæ rationabiliter prius disponit ad vitam quam ad sensum, & prius ad sensum quam ad rationem, præsertim cum natura non in instanti, & subito, sed paulatim & successive operetur. Cum autem anima rationalis infunditur corpori, tunc prædictæ primo infunduntur, non habentes actiones suas deinceps a virtute formativa, sed ab ipsa anima. Anima quoque duas primas potentias, scilicet vegetabilem, & sensibilem exercet tantum in corpore, tertiam vero habet etiam exuta a corpore. Animæ vegetabilis, & sensibilis non debent dici animæ in homine, nec dividi ut animæ, sed ut potentiæ, nec anima vegetabilis in sensibili dicenda est anima; sed potentia. Anima autem

A vegetabilis in vegetabili dicenda est anima, non potentia.

Caput XXXIII.

De potentia animæ vegetativæ.

Anima vegetabilis tres potentias habet, scilicet generativam, augmentativam, & nutritivam. Prima est ad speciei conservationem: secunda est ad conservationem individui. Tertia est ad perfectionem subjecti. Virtuti autem nutritivæ quatuor deserviunt, scilicet, virtus attractiva, quæ assumit necessaria in nutrimento. Item digestiva, quæ separat conveniens ab inconvenienti in B alimento. Item retentiva, quæ cibum tamdiu retinet in uno loco, donec debitam recipiat alterationem. Item expulsiva, quæ expellit quod superfluum est in nutrimento: sed ante omnes has est appetitiva.

Caput XXXIV.

De potentiis apprehensivis animæ sensibilis.

Anima sensibilis duplicem habet potentiam, scilicet apprehensivam, & motivam. Apprehensiva dividitur in apprehensivam de foris, & apprehensivam de intus. Vires apprehensivæ de foris sunt quinque sensus particulares, sive exteriores, sc. C visus, auditus, &c. Vires autem apprehensivæ de intus sunt quinque potentiæ interiores animæ sensibilis, quæ sunt sensus communis, imaginatio, æstimatio, phantasia, & memoria. Tradunt Peripatetici omnes vires istas organicas esse, & quod per instrumenta corporalia suas operationes perficiunt, eo quod sint circa particularia tantum. Omnis enim forma particularis in materia aliqua est: quoniam forma sine omni materia accepta, universalis est circa quam operatur intellectus. Ista facile est videre in sensibus particularibus: quoniam illi non apprehendunt, nisi per rei sensibilis præsentiam. De virtutibus autem interioribus, quæ sunt imaginatio, æstimatio, phantasia,

idem

idem est: quoniam in illis omnibus est apprehensio formæ singularis secundum situm partium ejus, & lineamenta, & quantitatem. Omnes istæ potentiæ passivæ sunt, & patiuntur a formis, & individuis, quæ sunt principia cognitionis sensibilis. Sciendum autem quod nulla apprehensiva sensibilis retinet id quod apprehendit: immo quod una apprehendit, alia retinet. Notandum ergo quod alia virtus est quæ bene tenet, alia quæ bene recipit, & ista quæ bene tenet, perficitur sicco & frigido: sed illa quæ bene recipit, perficitur humido.

CAPUT XXXV.

De sensibus particularibus.

Sensus particularis in quinque dividitur, scilicet in visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: qui in multis conveniunt, & in multis differunt. Conveniunt enim quinque sensus in hoc quod sunt vires passivæ. Sentimus enim intra suscipientes, non extra mittentes: Sensibile autem positum supra sensum non sentitur. Omnes sensus sunt perceptibiles singularium non universalium. Ad quemlibet sensum extenduntur nervi duo: unus ad sentiendum quid agitur circa exteriora: & alius ad motum voluntarium, qui agit ut vis animæ interior, & ad organum dirigit intentionem.

In omni sensu oportet esse proportionem sensibilis ad sensum, quia in mediis delectantur, & in extremis corrumpuntur. Ad sentiendum autem aliquid oportet esse objectum præsens, & medium deferens, & organum sanum atque conveniens, & animæ intentio actualis. Omnes sensus unam habent originem, scilicet, sensum communem, a quo velut a centro quasi lineæ quædam exeunt. Differunt etiam sensus particulares in multis. Nam quilibet habet speciale instrumentum. Differunt etiam in objectis, differunt in medio deferente, quia tactus, & gustus habent medium intrinsecus, & alii extrinsecus. Differunt in apprehenden-

A di velocitate: quia visus citissime etiam remota apprehendit. Differunt situ, quia visus est supremus, post auditus, deinde alii per ordinem. Differunt utilitate, quia gustus, & tactus maxime sunt necessarii ad conservationem individui, & speciei. Gustus enim discernit cibum, per quem servatur animal a nocivo: & tactus discernit qualitates sensatorum, sicut calidum & frigidum, & hujusmodi, ut animal declinet extrema talium qualitatum, ne corruptionem incurrat. Differunt generalitate, quia tactus est generalior, cum non habeat organum determinatum, sed in omnibus membris sit. Differunt etiam in impressionum retentione,

B sensus enim grossiores fortius retinent suas impressiones, sicut patet in tactu. Nota quod videmus visu & oculo, sed differenter: nam visu videmus effective, sive formaliter, sed oculo videmus instrumentaliter. Eodem modo dicendum est de ceteris sensibus. Anima autem alienatur a sensibus tripliciter. Primo in somno, secundo in ecstasi magis, tertio in morte maxime.

CAPUT XXXVI.

De sensu communi.

Sensus communis est potentia quæ omnium sensuum particularium

C objecta apprehendit. Omnis enim sensus exteriores a sensu communi, velut a centro particulariter exeunt, & sensatorum suorum similitudines ad sensum communem reducunt, quo mediante de singulorum proprietatibus judicant, & discernunt. Unde sciendum quod sensus communis est fons ex quo omnes sensus oriuntur, & ad quem omnis motus sensibilium refertur, sicut ad ultimum finem. Hæc potentia quædam habet inquantum est sensus, & quædam inquantum communis est. Inquantum enim sensus est, habet recipere rerum species sine materia, & tamen præsente materia. Inquantum communis est, habet duo, quorum unum est judicium sensibilium, per quod nos apprehendimus videre, quando vi-

demus, & audire, quando audimus, & sic de aliis. Si enim hoc judicium non esset in animalibus, non satis esset videre, & audire utile: & secundum alios sensus apprehendere. Secundum est multa sensata comparare, dicendo unum esse dulce & aliud dulcius esse: & hoc ideo sensus communis habet, quia ad ipsum referuntur omnium propriorum sensuum sensata. Hæc virtus in anteriori parte cerebri ponitur, in loco, ubi concurrunt nervi sensitivi quinque sensuum, qui locus medullosus est & humidus.

Caput XXXVII.

De vi imaginativa.

Virtus imaginativa est potentia apprehensiva, in qua imagines rerum sensibilium reservantur. Hæc virtus plus abstrahit quam sensus, quia sensus non accipit formam nisi præsente re: ista autem reservat formam, etiam re absente. In hoc etiam imaginatio differt a sensu communi, quia sensus communis præsentis rei exterioris indiget, sicut sensus particularis. Ista autem virtus, scilicet imaginatio, thesaurus formarum vocatur: quia in ea, sicut dictum est, formæ a particularibus sensibus receptæ retinentur, & immobilitantur. Hæc potentia in anteriori parte cerebri, seu interiori, sicut & sensus communis ponitur: & hic major est durities ex frigiditate cerebri proveniens, ubi & imaginativa retinet impressiones a sensu communi receptas.

Caput XXXVIII.

De vi æstimativa.

Æstimativa virtus est, quæ a forma acquisita intentiones elicit, quæ sensu non percipiuntur, secundum quam ovis fugit lupum, & lupus miseretur suo filio: hoc autem non posset fieri, nisi lupus haberet cognitionem ejus individui, & quod hoc individuum sit natus ejus, sicut & ovis apprehendit lupum sibi nocivum: ista vero non possunt fieri per sensum. Æstimativa differt ab imaginatione: quoniam imaginatio solum retinet formas apprehensas per sensum communem, & ad imaginationem solam non sequitur affectus miseriæ, vel tristitiæ, vel fuga, vel insecutio. Ad æstimationem autem statim sequitur quodlibet istorum. Unde sicut intellectus practicus se habet ad speculativum, ita se habet æstimativa ad imaginativam, & propter hoc æstimativa non solum apprehensiva est, sed etiam motiva, per hoc quod determinat ad quid moveri debeat animal, & a quo fugere. Cum enim animal movetur ad cibum, oportet æstimationem cibi in animali esse. Sed æstimatio non solum movet, immo etiam apprehendit. Oportet igitur animal habere æstimationem, qua moveatur. Officium igitur æstimativæ est apprehendere intentiones, non quidem rationis, sed naturæ. Unde non apprehendit quid sit syllogismus, aut nomen, aut verbum, vel amicitia, vel inimicitia, commodum vel incommodum, sicut dictum est. Hæc virtus ponitur in prima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida est ex motu multi spiritus ad ipsam.

Caput XXXIX.

De phantasia.

Phantasia est virtus vel potentia componens imagines cum imaginibus, & intentiones cum intentionibus, & imagines cum intentionibus. Componit inquam, phantasia imagines cum imaginibus, ut est apprehendere aliquid esse album, vel nigrum, vel diversas formas componere, & fingere chimæras. Componit etiam intentiones cum intentionibus, ut patet in ove, quæ apprehendit nato suo præbenda esse ubera, & alienum, esse repellendum. Componit etiam imagines cum intentionibus, ut cum apprehendit ovis formam lupinam esse fugiendam. Per phantasiam major habetur cognitio, quæ potest haberi in anima sensibili: per hanc

enim

enim non solum scit præsentia, sed etiam providet sibi in futurum. Per hanc enim quædam animalia faciunt sibi casas, & de cibo provident in longiquum, per hanc etiam de illo scit quod sit idem, & de alio quod sit aliud: & sic de eo omni, de quo sententia profertur per modum affirmationis, & negationis. Per hanc quoque videmus aliquid eligere animalia, & aliquid refutare. Ad electionem autem & refutationem præexigitur scientia, & discretio: & ideo multi dixerunt, quod phantasia est aliquid rationis. Sed dicimus non esse veram electionem animæ sensibilis, sed aliquid simile. Hæc a vulgo in homine vocatur cogitativa, cum tamen cogitare proprie sit rationis. Phantasia operatur in somno, sicut in vigilia. Quod autem in somnis res videntur esse præsentes, hoc est, quia fit reversio ad sensum communem. Ista potentia quando conjuncta est rationi, sicut est in homine, tunc accipit agendi, & operandi regimen a ratione. Sed quia ratio diversificatur secundum diversitatem eorum, de quibus ratiocinatio fit, ideo operationes phantasiæ multiplicantur in homine valde. Ubi autem phantasia non est cum ratione, ut est in brutis, tunc regitur solum secundum instinctum naturæ. Et quia natura uno modo est in habentibus speciem unam, ideo conceptio phantasiæ operatur in talibus uno modo. Et inde est quod omnis hirundo facit uno modo nidum suum. Dixerunt autem quidam Philosophi, quod istæ virtutes in brutis potius aguntur, quam agant, sed in homine potius agunt, quam agantur: quia bruta moventur secundum impetum, & impulsum appetitus naturalis. Motus autem humani regulantur secundum regimen rationis.

Notandum autem quod melancholici, & infirmi, & amentes multas habent phantasias, sed hoc non est ex illustratione, quæ fit per imaginationes rerum sensibilium, sed ex passionibus naturæ, & confusione spirituum ascendentium ad cerebrum, & caput turbantium. Tales enim

A spiritus diversarum imaginationum involutiones faciunt, generant horribiles visiones, & conceptiones. Præterea sciendum, quod bruta citius recipiunt influxus primi motoris, quam homines, sicut patet in formica, quæ quando cibum colligit, intra tres dies non pluit, & gallus cantum suum per tempus variat; quia mutationem auræ ex influxione primi motoris præsentiunt. Hujus dicti hæc est ratio, quoniam homines multum occupantur circa conceptiones suas conferendo, & componendo, & dividendo: quare & influxiones primi motoris non percipiunt ita cito sicut bruta, quæ non sic occupantur in suis conceptio-

B nibus, nec secundum illas operantur, sed tantum secundum instinctum naturæ. Ista vis, scilicet phantasia, plurimum impedit intellectum, eo quod nimis occupat animam compositione & divisione imaginum, non solum acceptarum a sensibus, sed etiam, fictarum, maxime autem impedit intellectum, quando aliquid de cœlestibus & divinis imprimitur ei, & hoc ideo, quia conceptiones tales intellectus, ut frequenter, non sunt similes imaginationibus, & fictionibus phantasiæ. Phantasia vero ponitur in medio mediæ cellulæ cerebri, tamquam centrum, inter memorativam, & imaginativam: quia phantasia convertit se tam super formas,

C quas accipit imaginativa per sensum, quam super intentiones, quas reservat memoria: & tunc istas formas ac intentiones dividit ac componit.

CAPUT XL.

De memoria.

Memoria est repositorium præteritorum. Reservat enim memoria intentiones per æstimationem a figuris rerum elicitas. Anima per memoriam mediantibus rebus sensibilibus redit in ipsas res sensibiles, quæ sunt extra ipsam: & propter hoc oportet actum memoriæ duas præcedere operationes: quarum una est, hoc esse receptum, & hæc est operatio sensus communis: & in

hoc

hoc memoria incipit. Secunda est, hoc esse conservatum apud nos, quod fit per imaginativam. Oportet etiam quod ante memoriam quædam virtus operetur, quæ ex figuris rerum dividat rerum intentiones singulares. In hoc autem differunt imaginatio & memoria, quia ista conservat species rerum, hæc conservat intentiones specierum. Sciendum quoque quod memoria differt a reminiscentia: quia memoria discrete, & distincte revertitur ad res, componendo intentiones distinctas cum imaginibus. Reminiscentia autem sive recordatio est motus quasi interceptus, & abscissus per oblivionem, & est cum collatione temporis, & loci, & hujusmodi. Reminiscentiæ enim motus non est uniformis, sed caussatur ex pluribus principiis circumstantibus illud, cujus proprie est reminiscibilitas, cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio, quod eædem res prius fuerint in se, vel in sensibus aliis cognitæ; patet quod si quis res totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum. Sed si oblitus est in parte, tunc per id quod remansit, potest reminisci se quandoque scivisse: unde per collationem reminiscentiæ potest etiam ad id quod oblitus fuerat, redire cum illius adiutorio, quod remansit memoriæ. Alia etiam est differentia inter memoriam & reminiscentiam: quia memoriam multa participant animalia, sed reminiscentia solius hominis est, quia reminscentia est quædam investigatio, quæ sine ordine rationis non est, ac sine deliberatione, per quæ antecedens ordinatur ad consequens. Sane cum quis reminisci voluerit ea quæ non eo modo quo per sensum, sed per intellectum apprehendit: hoc non fit per memoriam, quia memoria talia non reservat, sed intellectus convertit se super ea, quæ habet apud se, & ea reducit ad actum, quæ habet in habitu: iste autem habitus manet actualiter apud intellectum possibilem, qui est locus specierum universalium: unde & universalia prius speculata remanent apud ipsum tamquam in loco suæ generationis, etiam actu, quando illa non considerat. Intellectus autem possibilis ad has species, quas sic habet apud se, convertitur, vel ab eis avertitur, quando voluerit. Ultimo notandum est quod memoria ponitur in posteriori parte cerebri, qui locus est siccus propter nervos motivos, qui oriuntur ex ipso.

Caput XLI.

De vi sensibili, & motiva.

Sequitur de vi sensibili motiva: hæc movet quandoque spiritualiter, quandoque corporaliter. Primo modo dicitur appetitiva, quæ movet dupliciter, aut diligendo, aut odiendo, & dividitur in concupiscibilem, & irascibilem, per quas appetit anima bonum, vel insurgit contra malum. Ab his vero duabus, scilicet irascibili, & concupiscibili, oriuntur quatuor affectiones, scilicet gaudium, spes, dolor, & timor. Nam si præsens est, quod concupiscimus, gaudemus: si absens est, speramus. Similiter si præsens est de quo irascimur, dolemus: si absens est, timemus.

Sensualitas autem est vis animæ sensibilis motivæ, & ad idem movet, ad quod concupiscibilis, & irascibilis. Sensualitas enim appetit, quæ delectabilia sunt corpori, ac nociva refugit. Differt tamen sensualitas a concupiscibili, & irascibili: quia sensualitas magis conjungitur corpori: & sicut in brutis, ita in homine nulla lege perstringitur, quin semper in appetitus rerum ad corpus pertinentium moveatur. Sed concupiscibilis, & irascibilis conjunguntur rationi, & prout sunt in homine, frænantur ratione, ac reguntur in ipsis. Est enim temperantia in concupiscibili; & fortitudo in irascibili, & sic de aliis.

Secundum quod vis motiva sensibilis movet corporaliter, sic dividitur in virtutem naturalem, vitalem & animalem: quarum prima situm suum habet in hepate: secunda in cor-

corde, tertia in capite, ut in proximo principio, tamen primum principium est cor. Virtus enim naturalis est motiva humorum, vitalis motiva pulsuum, animalis motiva membrorum. Dicimus ergo quod virtus naturalis est motiva humorum mediantibus arteriis, & venis, quæ radicantur in hepate secundum Galenum, sed secundum Aristotelem radicantur in corde, & hoc per spiritum naturalem. Est autem spiritus naturalis, substantia subtilis, & aerea vi caloris in corde generata, hæc sanguinem ad singula membra impellit, ex quo corpus vegetatur. Virtus vitalis est motiva pulsuum mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde. Spiritus autem vitalis est idem qui & naturalis. Idem dico in substantia, sed differens in virtute, hic per arterias ad membra corporis se diffundens, vivificat ipsum corpus tamquam instrumentum. Virtus animalis est motiva membrorum mediantibus nervis, qui radicantur in capite: & hoc per spiritum animalem. Est autem spiritus animalis idem qui & naturalis, & vitalis: sed animalis dicitur cum ad cerebrum devenerit. Hic cæteris subtilior per nervos ad organa sentiendi dirigitur, ut sensus & motus secundum locum exinde generetur in corpore animalis.

Circa vires istas denique sciendum est, quod cum virtutes animales intenduntur, tunc naturales remittuntur, propter hoc in homine dedito studio, vel meditationibus, minus operatur virtus nutritiva, & generativa, & augmentativa. Ex quo patet quod concupiscentia carnis domatur in viro studioso. Unde ait Hieronymus: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Præterea quando virtutes animales remittuntur, naturales intenduntur: sicut patet in somno, qui describitur esse quies virtutum animalium cum intentione naturalium.

Caput XLII.

De potentiis animæ rationalis.

TRia sunt in anima, ut ait Philosophus, scilicet potentiæ habitus, & passiones. Et potentiæ quidem sunt innatæ, habitus autem sunt acquisiti, vel infusi, passiones vero sunt illatæ, vel innatæ. Habitus enim sunt acquisiti, ut patet in scientia, & virtute politica. Nam ex frequenti studio homo acquirit scientiam, & ex frequenti bene agere fit homo bonus, bonitate virtutis politicæ. Sunt & habitus quandoque non per acquisitionem, sed per infusionem: sicut sapientia fuit infusa Salomoni, & virtutes Theologicæ conferuntur quotidie parvulis in baptismo, & etiam pœnitentibus in justificatione, & ex actibus non generantur tales habitus, sed potius e converso, ex talibus habitibus eliciuntur boni actus ex potentiis. Unde in habitibus acquisitis sequitur, Quales sunt actus, tales sunt & habitus: sed in habitibus infusis est contrarium, scilicet, Quales sunt habitus, tales sunt & actus. Est tamen verum, quod sicut habitus acquisiti generantur per actus, ita & generant actiones, sed non meritorias, inquantum tales passiones sunt illatæ ab extrinseco. Vocat autem passiones Philosophus ipsas receptiones objectorum. Sumuntur & aliter passiones, ut dicantur affectiones, sicut dolor, timor, & spes & gaudium.

3 Reg. 3

Caput XLIII.

De divisione potentiarum animæ.

NUnc ad divisionem potentiarum animæ accedamus. Philosophus ergo principaliter dividit animæ potentias, in cogitativam & motivam, quas Theologus appellat intellectum, & affectum: ipsum autem affectum intelligit voluntatem. Potentia autem animæ tunc dicitur intellectus, dum est apprehensiva: & dicitur voluntas, dum est motiva. Item quædam sunt vires animæ sepa-

separatæ a corpore, ut velle, & intelligere, secundum quas anima non utitur corpore, sed utitur utenti corpore, scilicet phantasia, quæ sic se habet ad intellectum sicut color ad visum, ut ait Philosophus. Quædam vero sunt vires inseparabiles a corpore, ut vegetabiles, & sensibiles, & quantum ad essentiam, & quantum ad operationem, ut in brutis. Sed in homine separantur vires istæ a corpore quantum ad essentiam, licet anima operationes earum exercere non possit extra corpus. In brutis vero simpliciter pereunt quantum ad utrumque. Item anima potentias quasdam habet communes cum brutis, ut est sensualitas, sensus particularis, sensus communis, imaginatio, memoria, & æstimatio, Quasdam habet non communes cum illis, ut est ratio & intellectus, & hujusmodi. Item anima habet vires quasdam quoad se, ut est ratio, voluntas, liberum arbitrium: quasdam habet quibus corpori permiscetur, ut est vias naturalis, vitalis, & animalis, de quibus dictum est supra. Ex jam dictis patet, quod potentiæ quædam sunt organicæ, quædam non. Item ex prædictis collige, quod anima rationalis omnes potentias habet animæ vegetabilis, & sensibilis, sed non inquantum rationalis est: verum inquantum rationalis est, addit intellectum & liberum arbitrium, & hujusmodi. Et hoc est quod dicit Gregorius: Omnis inquit creaturæ aliquid homo. Habet namque homo commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Quidquid enim virtutis, aut nobilitatis habent naturæ inferiores, habent & superiores, sed perfectiori modo, & nobiliori: & quod possunt inferiores, possunt & superiores, sed nobiliori & perfectiori modo. Propter hoc manifestum est, quod omnes vires quibus communicamus cum brutis, differunt specie, prout sunt in nobis, & in brutis.

Greg. hom. 29 in Evang. ante med.

A

Caput XLIV.

De potentiis cognitivis.

Quatuor assignantur differentiæ virtutis intellectivæ. Prima assignatur secundum differentiam naturæ: & sic intellectus dividitur in agentem & possibilem. Secunda datur secundum differentiam objecti, & sic dividitur intellectus in speculativum & practicum. Tertia assignatur secundum differentiam dignitatis, & sic dividitur ratio in partem superiorem & inferiorem. Quarta datur secundum comparationem ad actum, & sic dividitur intelle-B ctus in habitum, & in actum. In habitum quidem, ut possit intelligere quando vult: in actum vero, cum actualiter ad intelligere se convertit, & ad intelligibile. Differentia vero intellectus in effectu, & ejus qui dicitur adeptus, sumitur secundum majorem, & minorem perfectionem ipsius intellectus possibilis. Nam cum intellectus possibilis recipit species cum lumine intellectus agentis; tunc dicitur intellectus in effectu, & etiam in habitu: Intellectus vero cum recipit perfecte lumen secundum formalem conjunctionem, tunc vocatur intellectus adeptus. Diligenter autem notandum, est quod omnes differentiæ intellectuum jam prædictæ C sumuntur, vel secundum actum, vel secundum habitum, vel secundum modum intelligendi: & nulla sumitur secundum divisionem potentiæ cognitivæ, nisi prima tantum, secundum quam dividitur in agentem & possibilem.

Caput XLV.

De modo cognoscendi.

Res aliter cognoscit Deus, aliter Angelus, aliter homo. Ipse quoque homo aliter per intellectum Deum cognoscit, & aliter creaturas. Intellectus enim divinus cognoscit res ex seipso, intellectus autem Angeli cognoscit res per species sibi concreatas, quæ sunt similitudines re-

rerum. Sed intellectus humanus cognoscit res per species abstractas a rebus particularibus per sensum prius cognitis. Unde sciendum, quod sicut sensus cognoscit res præsente obiecto, & sicut imaginatio cognoscit absente obiecto, & tamen cum appendiciis materiæ: ita intellectus cognoscit sine appendiciis materiæ sub intentione universali. Anima igitur per intellectum aliqualiter cognoscit omnia, & attingit. Cognoscit enim Deum supra se, & seipsam in se, & Angelos juxta se, & quidquid cœli ambitu continetur infra se. Quis sit autem modus cognoscendi Deum, nota quod intellectus humanus non cognoscit Deum per abstractionem, sicut alias res: & hoc ideo, quia similitudo abstracta simplicior est illo a quo fit abstractio: Deo autem nil simplicius est. Alia ratio est, quia in abstractione oportet esse universale & particulare. Particulare quidem a quo fit abstractio: universale autem, scilicet ipsum abstractum: sed nihil horum cadit in Deum. Cognoscitur igitur Deus naturali cognitione; quia intellectus possibilis ita informatus lumine intellectus agentis, quod est similitudo primæ lucis, in hac similitudine cognoscit lumen primum, quod est Deus.

Sciendum præterea, quod per sensum cognoscimus particularia, sed per intellectum universalia: & quando se intellectus convertit ad particulare, ut ipsum apprehendat, tunc similitudo abstracta a particulari erit universalis, & non particularis. Item nihil venit in intellectum, nisi per sensum, & hoc fit duobus modis, scilicet vel simpliciter, vel per accidens. Simpliciter quidem, ut quando intelligimus sensibilia prius per sensum apprehensa. Per accidens autem, quando intelligimus insensibilia per effectum. Notandum est etiam, quod aliud est rem per cognitionem in intellectum venire, & aliud est in re jam intellecta versari: quia tunc cognitio rerum per sensum venit in intellectum, sicut dictum est, sed cum intellectus rem jam apprehendit, tunc delectatur, & negotia-

A tur in illa, etiam sine sensus adminiculo.

Ad cognoscendum autem ista plenius nota, utrumque verum esse, scilicet quod per particularia cognoscuntur universalia, & e contra per universalia cognoscuntur particularia. Istud sic patet, quia duplex est universale: unum scilicet, prout est abstractum, & aliud confusum, videlicet, secundum quod est in particulari. Dicimus ergo quod ad cognitionem universalis abstracti venimus per particularia, sicut in pueris in quibus prius operatur sensitiva, quam intellectiva: quia prius cognoscunt particularia per sensum, & postea universalia per intellectum.

B Sic & Philosophi invenerunt modum argumentandi per inductionem, quia ex multis propositionibus particularibus, unam concluserunt universalem, hoc modo: Socrates est animal, Plato est animal, Cicero est animal, ergo omnis homo est animal. E contrario est in universali confuso: quoniam per tale universale venimus in cognitionem particularium: sicut, patet, quando videmus hominem a remotis, tunc non cognoscimus, nisi ejus substantiam corpoream: sed postea per motum cernitur esse animal: dum vero magis appropinquat, cernitur esse homo: tandem cognoscitur esse Petrus.

C Nota, quod secundum Philosophum plura scire possumus, sed unum solum intelligere: quoniam scire dicit habitum, per quem plura scimus: intelligere autem dicit actum, qui non potest esse in intellectu duplicatus. Intellectus enim ad unum solum se potest actualiter convertere, & hoc patet, quod quando quis agit duos actus rationis simul uno tempore, unus est intellectus, & alius memoriæ, sive consuetudinis: verbi gratia, Aliquis dicit horas, & cum hoc in libro quærit concordantias, vel numerat denarios: unum illorum, scilicet quærere concordantias, est actus intellectus, sed aliud, scilicet dicere horas, est actus memoriæ: sicut etiam animal brutum sine regimine intelle-

le-

lectus vadit ad domum, ad quam sæpe ivit. Item nota, quod ad intelligentiam rei non requiritur præsentia rei intelligibilis, sed præsentia similitudinis ejus tantum: quia res non cognoscitur per essentiam, sed per similitudinem tantum, & e converso, & inde est quod intellectus apprehendit remota, sicut propinqua.

Caput XLVI.

De intellectu agente & possibili.

Nunc de intellectu agente & possibili specialiter est dicendum. Intellectus igitur agens est, qui abstrahit species ab imaginatione, sive phantasia, & sua irradiatione facit universales, ac ponit res in intellectu possibili. Nam sicut ad visum corporalem exigitur lux abstrahens intentiones colorum, id est, similitudines a colorato, & ponit eas in aere, non quidem secundum essentiam, sed secundum intentionem, id est, similitudinem: sic intellectus agens, qui est lux animæ, ponit species abstractas a phantasia in intellectu possibili non quidem actualiter, sed secundum intentionem, id est, similitudinem. Quare autem inter imaginationem & intellectum possibilem sit potentia media, quæ abstrahit, scilicet intellectus agens, sed inter sensum communem, & imaginationem non sit potentia media, quæ abstrahat? Hujus ratio est, quia sensus communis, & imaginatio sunt ejusdem animæ potentiæ, scilicet animæ sensibilis: sed imaginatio & intellectus possibilis non sunt potentiæ ejusdem speciei, quoniam altera est potentia animæ sensibilis, altera animæ rationalis. Intellectus autem possibilis dicitur, quia potest recipere tales species, sed nondum recepit eas; cujus exemplum est tabula nuda nullam habens picturam, potest tamen habere quamcumque. Sane cum intellectus possibilis tales species receperit, tunc sicut habes supra, vocatur intellectus in effectu, vel in habitu: cum vero illustratur multitudine specierum sensibilium, A tunc est intellectus adeptus. Qualiter autem istæ species remaneant in intellectu possibili, vel qualiter ad eas fiat per reminiscentiam conversio, & reversio, habes supra in cap. de memoria.

Porro intellectus agens & possibilis differunt, sicut lux & illuminatum, & sicut perficiens, & perfectibile: quia, ut ait Philosophus, intellectus agentis est omnia facere, & intellectus possibilis est omnia fieri. *Arist. lib. 3 de anima cap. 5.* Et ut plenius innotescat, notandum, quod sicut ad hoc quod per speculum aliquid videatur, tria sunt necessaria, scilicet speculum quod aptum natum est recipere impressionem corporum obiectorum, B color etiam in corporibus obiectis, & lux qua moveatur color & species corporum obiectorum, quæ sine luminis influxu quantumcumque obiiciantur, non sunt receptibiles a speculo, sic similiter ad hoc, ut aliquid in intellectu videamus, oportet quod sit intellectus possibilis, qui aptus natus est recipere species, quemadmodum dictum est de speculo, oportet etiam quod sint species speculatæ apud intellectum possibilem, qui habet ipsas in habitu, cum sit locus specierum universalium. Sed sicut color in corpore non movetur, nec species, nisi mediante lumine imprimantur in speculo, sic nec phantasmata erunt actu intelligibilia, nisi intellectus C agens irradiet, & diffundat super eum lumen suum, sicut lux super colores, ut sic secundum actum intelligibilia efficiantur.

Caput XLVII.

De intellectu speculativo & practico.

Sequitur de intellectu speculativo & practico, qui ambo in cognitione consistunt: sed in hoc differunt, quod intellectus speculativus cognoscit verum in ratione veri, practicus autem cognoscit verum in ratione boni. Item intellectus speculativus vocatur cognitio speculativa; sed practicus dicitur cognitio affectiva. Item finis speculativi est verum, finis autem practici est opus. Item per

per speculativum intelligimus recte, sed per practicum recte vivimus. Intellectus practicus vocatur operativus, quia dicitur a praxi, quod est operatio. Item intellectus practicus dividitur in rationem, & synderesim. Ratio autem dividitur in partem superiorem, & inferiorem: de quibus per ordinem est dicendum.

Caput XLVIII.

De ratione, & partibus ejus.

Ratio est vis animæ non solum cognitiva, sed etiam motiva. Ratio autem cum judicat aliquid esse bonum, vel malum, & ibi sistit, tunc dicitur cognitiva. Si autem procedit amplius, & judicat esse bonum, ut fiat, sic dicitur motiva. Si vero adhuc ulterius procedit, ut non solum judicet esse bonum, ut fiat, sed etiam id appetit, sic dicitur liberum arbitrium: quoniam liberum arbitrium comprehendit rationem & voluntatem. Ratio autem prout se habet ad bonum particulare, dividitur in partem superiorem, & inferiorem. Superior pars divinis ac æternis intendit, inferior autem de transitoriis judicat, & ea disponit. Item superior pars accipit rationes per leges divinas: ut, hoc est faciendum, quia Deus præcepit. Pars autem inferior accipit rationes per leges humanas: ut, hoc est faciendum, quia honestum est, vel quia expedit reipublicæ. Item superior pars rationis dicitur virtus, quæ licet usque ad contemplationem æternorum se extendat, differt tamen ab intelligentia, quia intelligentia negotiatur in æternis per modum rationis, vel intentionis: ratio autem non sic, sed conferendo, & ratiocinando. Differt autem ratio etiam alio modo ab intellectu, quoniam intellectus apprehendit esse rei absolute; ratio autem cum collatione unius ad alterum. Inferior vero pars rationis dicitur multipliciter: quæ quia circa res corporales versatur, conjuncta est sensualitati, & sæpe allicitur ab ea, videt enim semper sibi porrigi pomum, id est, illecebram vicinam. Ratio tamen inferior, & superior idem sunt in essentia, sed differunt in officio. Exemplum in oculo sursum & deorsum aspiciente.

Caput XLIX.

De potentiis animæ motivis.

Virium motivarum animæ rationalis est divisio. Dividitur enim vis motiva in imperativam, & consiliatricem, & affectivam; & affectivam & consiliatricem simul. Vis imperativa dividitur in liberum arbitrium & synderesim. Consiliatrix est ipsa ratio, quæ dividitur in partem superiorem & inferiorem. Vis autem affectiva est voluntas, quæ dividitur in thelesin, & bulesin. Vis quæ simul & consiliatrix est, & affectiva, est ipse intellectus practicus.

Caput L.

De voluntate.

Inter dictas potentias primo dicendum est de voluntate, quæ inter cæteras motivas est præcipua, cum sit generalis motor omnium virium. Cum enim intellectus apprehendit aliquid, ut bonum, voluntas imperat viribus affixis ipsis organis, sicut visui ad videndum, auditui ad audiendum, & sic de aliis sensibus. Similiter in motu locali voluntas imperat virtuti animali, quæ est in nervis, & in musculis, & ita movet ad ambulandum, vel currendum, & ad hujusmodi similia. Sed fallit istud in potentiis animæ vegetabilis, in quibus voluntas suum imperium non exercet. Nutritiva enim & generativa, & augmentativa non secundum nostrum arbitrium, sed naturaliter operantur. Voluntas autem in duas dividitur partes, scil. in thelesin, & bulesin, id est, voluntatem naturalem, & deliberativam: quarum prima, scil. voluntas naturalis dirigitur per synderesin: secunda vero, scil. deliberativa, per rationem. Nota quod voluntas proprie & stricte tantummodo rationabilium est, sed large dicitur etiam brutorum esse: improprie vero & quasi metaphorice dicitur etiam esse vegetabilium. Unde

de voluntas primo modo sumpta, scil. prout est rationabilium, proprie voluntas dicitur. Secundo autem modo, prout est brutorum, vocatur proprie desiderium. Tertio modo prout est vegetabilium, vocatur appetitus. Inter potentias autem nulla est liberior quam voluntas; quia nec obligatur organo, sicut imaginatio, æstimatio, & hujusmodi: nec cogitur a bono, sicut intellectus cogitur a vero. Vires etiam affixæ organis immutantur necessario immutato organo, quibus omnibus voluntas caret. Unde ait Augustinus: Nihil adeo in nostra potestate est, sicut voluntas. *Aug. lib. 3 de lib. arb. c. 3 tom. 1*

Si autem scire volueris, quare voluntas non cogitur a bono, sicut intellectus a vero, hæc est ratio: quia citra primum bonum nihil est ita bonum quod non aliquid imperfectionis habeat, sed aliquid ita verum est, quod nihil falsitatis habet: ut patet in hac propositione: Quodlibet totum majus est sua parte. Unde tali vero cogitur intellectus assentiri, sed voluntas nulli bono creato cogitur adhærere. Item voluntas videtur interdum cogi per inordinatum appetitum, prout voluntas quandoque trahit hominem, & allicit, ut bonum spernat incommutabile, & rebus mutabilibus adhæreat, sed in hujusmodi coactione libertas quædam est. Unde Augustinus: Omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum. *Aug. lib. de vera relig. c. 23 tom. 1*

Caput LI.

De synderesi.

Synderesis vis est animæ motiva, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter movens, & stimulans ad bonum, & abhorrens malum: & in istis numquam errat, neque secundum synderesim est peccare. Sciendum etiam quod synderesis numquam extinguitur totaliter, etiam in diabolo, & in damnatis: remanet enim in illis aliquis ejus actus. Synderesis enim quantum ad instinctum boni, & quantum ad displicentiam A mali culpæ absolute consideratæ, extincta est in diabolo & damnatis: secundum vero quod culpa comparatur ad pœnam, sic non est extincta in illis synderesis, & in hunc modum remanet in eis ad pœnam. Isaias: Vermis eorum non morietur. Habent igitur displicentiam mali in comparatione, & collatione ad pœnam. *Isa. 66*

Caput LII.

De conscientia.

Hoc nomen conscientia componitur ab hac præpositione, con, & hoc nomine scientia, unde conscientia dicit duo, scilicet scientiam, & secundum hoc conscientia B est habitus naturalis, non solum cognitivus, sed etiam motivus: inclinat enim animam ad prosecutionem boni, & fugam mali. Alio modo conscientia dicit acceptionem ex parte rationis, quod notatur hac præpositione, con. Primo igitur modo, prout conscientia includit scientiam in se, habet se sicut superius, & conjungitur synderesi, & semper est recta. Secundo modo conjungitur magis rationi, & sic se habet sicut inferius: hoc modo recipit errorem & conturbationem. In conscientia enim ex parte inferiori bene potest accidere error. Nam ratio cum conscientia cum parti inferiori jungitur, habet versari circa particularia, C in quibus sæpe contingit errare, sicut patet in syllogismo conscientiæ, in quo synderesis proponit majorem scil. nullum malum est faciendum: ratio subsumit minorem, sic scil. hoc est malum, conscientia concludit, ergo non est faciendum. Circa primam non est error: circa secundam quandoque est error: & ex hoc falsitas in conclusione quandoque oritur. Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sæpe malum bonum: secunda e contra bonum malum. Item prima sæpe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum. Nota, quod aliud est conscientia, aliud *Isa. 5*

est

est timor conscientiæ. Tunc enim est conscientia, quando quis sententialiter judicat aliquid esse faciendum vel vitandum: & contra talem conscientiam facere, etiam si sit erronea, peccatum est. Sed contra timorem conscientiæ facere, non semper est peccatum, quia talis timor non est semper ex diffinitiva sententia rationis, per quam judicet se teneri ad aliquid: sed ex eo quod vacillat inter dubia nesciens quid sit melius, vel ad quid teneatur potius, cum tamen non omitteretur quidquid sciret esse placitum divinæ voluntati.

De conscientia quoque sciendum, quod quandoque respicit præteritum, quandoque præsens, quandoque futurum. Nam conscientia accusat de præterito, remurmurat de præsenti, & præcavet de futuro. Præterita namque respicit, ut quando conscientia mentem de hoc, quod sibi conscia esse reprehendit, sicut de malo commisso, vel de bono omisso. Præsentia etiam respicit, contradicendo eis quorum per conscientiam habuimus oppositum. Futura quoque respicit, ut quando instruit & stimulat mentem ad ea facienda vel vitanda, ad quæ ipsa conscientia judicat nos teneri. Quod autem conscientia se extendat, ut dictum est, tam ad facta, quam ad facienda, potest colligi ex diffinitionibus conscientiæ, quæ tales sunt. Dicit enim Joannes Damascenus, quod conscientia est lex intellectus nostri. Basilius autem dicit esse rationale judicatorium. Diffinitiones istæ magistrales sunt, Conscientia est cognitio sui ipsius, Item Conscientia est animi habitus agendorum, & non agendorum. Item, conscientia est habitus mentis boni & mali discretivus. Item, Conscientia est credulitas intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum animi deliberatione firmata.

Damasc. l. 4 de fid. ort. c. 23 Basil. hom. in princ. Pro.

Error conscientiæ octo modis causatur. Primo ex ignorantia, quando scilicet nescit quis quid eligendum sit, vel declinandum. De tali errore dicitur: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te. Secundo ex negligentia, ut cum quis negligit conscientiam discutere, vel si nescit se expedire, negligit tamen ab aliis quærere. Tertio ex superbia, ut quando quis non humiliat intellectum suum, ut melioribus, & sapientioribus se velit credere. Contra quos Apostolus: Captivantes omnem intellectum vestrum in obsequium Christi, hoc est dicere, quod quilibet in credendis plus debet fidei consentire quam sibi: & in agendis plus debet aliis credere, quam sibi. Quarto ex singularitate, qua homo sequens sensum proprium non conformat se aliis, nec sequitur vias communes bonorum. De his in Numeris: Extrema castrorum consumpsit ignis. Quinto ex affectu inordinato, qui sæpe inclinat conscientiam ad id quod tunc homo appetit: & sic facit eam a sua rectitudine deviare. Seneca: Perit omne judicium cum res transit in affectum. Sexto ex pusillanimitate, qua quis timet non timenda secundum rectum judicium rationis. Isaias: Dicite pusillanimis, Confortamini, nolite timere. Septimo ex perplexitate, qua homo se credit esse positum inter duo peccata, quorum alterum sit impossibile declinare. Sed sciendum quod perplexitas nihil est simpliciter: potest tamen quis esse perplexus secundum erroneam conscientiam, qua deposita erit liberatus. Octavo ex humilitate, & cordis puritate. Gregorius: Bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est. Error primis septem modis acceptus reprehensibilis est: octavo vero modo laudabilis est, immo nec error dici debet, sed humilis suorum defectuum recognitio, dummodo non sit nimia.

1 Paralip. 20 · *2 Cor. 10* · *Num. 11* · *Isa. 35* · *Greg. l. 2 Regist. in respons. ad 10 interr. Aug.*

Caput LIII.

De operationibus animæ.

Anima secundum diversas potentias, multas & diversas habet operationes. Ipsa enim cognoscit verum per intellectum speculativum, affectat bonum per intellectum practicum. Discernit conferendo inter bonum & malum, verum & falsum per

per rationem. Discernit simul & eligit per liberum arbitrium. Consentit per voluntatem. Invenit medium per ingenium, stimulat ad bonum per synderesim. Anima autem in actibus suis ordinem habet: nam quod sensus percipit, imaginatio repræsentat, cognitio format, ingenium investigat, ratio judicat, memoria servat, intelligentia apprehendit, & ad contemplationem adducit. Anima præterea cognoscit res præsentes per sensum, absentes vero per imaginationem, res autem immateriales per præsentiam sui in semetipsa, ac seipsam per reflexionem sui supra se. Habet etiam alios actus anima pertinentes ad corpus, sicut est vegetare per virtutem naturalem, sentire per virtutem animalem, & vivificare per virtutem vitalem, de quibus omnibus dictum est supra.

Caput LIV.

De quantitate animæ.

Anima cum sit simplex, non habet quantitatem dimensivam, sed virtualem: unde patet quod anima secundum essentiam non est in toto corpore: sed in parte corporis determinata, & inde virtutem influit toti corpori: & ad hoc ponit Chalcidius exemplum de aranea, quæ in medio telæ suæ residens, sentit quemlibet motum, sive interius, sive exterius in tela factum. Eodem modo anima in centro cordis posita, sine sui distensione totum corpus sibi unitum sensificat, vivificat, atque movet. Nec contra simplicitatem animæ est, quod tres dicuntur esse animæ, scilicet vegetabilis, sensibilis, & rationalis, cujus intelligentia superius est expressa. Anima quoque licet sit simplex, tamen secundum Boetium differt in eo quod est, & quo est: sicut & Angelus, & omne quod est creatum: quæ omnia differunt secundum rationem particularis & universalis.

A

Caput LV.

De immortalitate animæ.

Animam esse immortalem auctoritate ostenditur & ratione. Dicitur enim in libro Sapientiæ: justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Et infra: Et spes illorum immortalitate plena est. Item in Evangelio: Quærent homines mortem, & non invenient. Item Gregorius loquitur de malis inferni: Ibi mors semper vivit, finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Item Joannes: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Item per rationes. Prima talis est: Omnis corruptio ex contrarietate causatur: nihil autem est quod substantiæ animæ contrarietur. Præterea anima capax est beatitudinis: Deus autem, ut ait Augustinus, ingenti liberalitate replet omnes creaturas pro captu earum: ergo confert animæ beatitudinem: ad beatitudinem autem spectat vita æterna, & gloria perpetua. Præterea si anima moreretur cum corpore, homo non timeretur mortuus, sicut nec lupus, nec canis mortuus: ergo relinquitur aliquid vivens post mortem hominis quod timetur: & hoc est anima. Præterea cum Deus sit justus habebunt justi præmium, & mali pœnam: sed hoc non fit in hoc mundo, cum mali videantur florere, deducentes in bonis dies suos, ut dicit Job, boni vero tribulentur: ergo fiet alibi. Sed hoc non potest esse, nisi anima sit immortalis: Augustinus: Transeunt in præsenti tribulationes, & prospera cum tempore: sed cancellatis manibus more Jacob, eadem redeunt sine fine mansura: ut hic tribulati & afflicti, sine fine gaudeant: jucundati vero, & ditati pœnas æternas sustineant. Jacobus: Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Beda super isto verbo: Ne indignemini fratres mei, si mali in mundo florent, & vos patimini: quia non est Christianæ dignitatis in tempo-

B

C

Sap. 3
Greg. l. 9 Mor. c. 36 med.
Joan. 6
Job. 21
Jac. 1

rali-

ralibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo: sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. Hieronymus: Difficile, immo impossibile est ut præsentibus bonis quis fruatur, & futuris: ut hic ventrem, illic mentem reficiat: ut de deliciis ad delicias transeat, ut in cœlo, & in terra gloriosus appareat. Præterea Deus fecit animam ad imaginem, & similitudinem suam, sed Deus est immortalis, ergo & anima.

Gen. 1

Caput LVI.

De libero arbitrio.

Ex Mag. 2 sent. dist. 24 & 25

Liberum arbitrium ut ait Augustinus, est facultas rationis & voluntatis, qua eligitur bonum gratia existente, malum gratia desistente. In hac diffinitione simul ponitur ratio, & voluntas. Ratio quidem, ut consiliarius; voluntas autem, ut imperator. Nam ratio dicit aliquid esse bonum, vel malum, voluntas dicit, fiat. Nota quod libertas liberi arbitrii est libera a coactione sufficienti, sed non libera a coactione efficienti: nulla enim coactio exterior est causa sufficiens, ut aliquid fiat, licet quandoque sit efficiens: ut patet in multis qui coacti sunt negare Christum per tormenta: quoniam in hujusmodi coacta voluntas, voluntas est, ut ait Augustinus. Quando vero peccator trahitur a gratia, tunc non destruitur libertas liberi arbitrii, quia cæcus, vel fessus, vel claudus in foveam cadens quando extrahitur, non fit hoc illo invito. Libertas liberi arbitrii triplex est, scilicet a necessitate, a peccato, a miseria. Prima libertas est naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Item prima est bonorum & malorum, secunda est tantummodo bonorum, tertia est in cælo regnantium. Ex his patet, quod libertas malorum est velle peccare, & etiam posse peccare: sed libertas in paradiso fuit posse non peccare, & etiam posse non turbari: libertas vero patriæ est nolle, & non posse

A peccare, nec posse turbari. Patet ergo quod liberum arbitrium liberius est in bonis quam in malis, quia in bonis est tantummodo servitus miseriæ, in malis autem est servitus miseriæ & peccati: sed in patria est liberrimum, quoniam omnis talis servitus destruetur.

Nota quod licet Deus non possit male facere, & similiter Angelus, & animæ beatæ, tamen est in eis liberum arbitrium: quia bonum eligunt, & malum declinant, non ex infirma necessitate, sed libera voluntate. Eodem modo dicendum est de diabolo, quod habet liberum arbitrium, bonum tamen semper respuit, & malum eligit: sed hoc non B facit in eo violenta coactio, sed voluntaria obstinatio. Liberum arbitrium habet se in quibusdam indifferenter ad bonum & ad malum, ut in primis parentibus ante lapsum: in quibusdam plus se habet ad malum, quam ad bonum, ut in regeneratis per baptismum: in quibusdam plus se habet ad bonum quam ad malum ut in sanctificatis in utero: in quibusdam necessaria se habet ad malum, ut in infidelibus non regeneratis: in quibusdam necessario se habet ad bonum, ut in confirmatis, sicut fuit beata Virgo post conceptionem filii.

Caput LVII.

C

De natura corporis humani.

Homo Græce anthropos dicitur, & est arbor inversa, habet enim se caput cum capillis ad modum radicis: brachia vero cum cruribus sunt quasi rami: Solus etiam homo est longi, & lati corporis. Solus quoque homo est erecti corporis, & hujus ratio duplex est, sc. naturalis, & moralis. Naturalis ratio est, quia in aliis animalibus abundat in capite materia terrea deprimens, & deficit calor erigens, quod non est in homine. Est & ratio moralis, ut sc. rectitudo naturæ corporis attestetur rectitudinem mentis sursum ad cœlestia tendentis. Accidentia animæ transmutant corpus; quia forma dele-

ſtabilis imaginata movet corpus, ſicut triſtabilis: & ideo dicit Avicenna, quod multum triſtis, ac lepram timens, erit aliquando leproſus: ſicut e converſo, quod corporis paſſiones redundant in animæ turbationem, ſicut patet in ſomno. Item partes corporis humani habent ſimilitudinem totius mundi, quia tanta eſt diſtantia inter extremitates duorum longorum digitorum utriuſque manus, quanta eſt a vertice capitis uſque ad plantam pedis, ſicut tanta eſt diſtantia a centro capitis ad oppoſitum tropicum in cœlo, quanta eſt ab Oriente in Occidentem. Corpus humanum ex quatuor componitur elementis: ſed apparet terra in oſſibus & carne: aqua vero in humoribus, ſcilicet ſanguine phlegmate, cholera, melancholia. Aer continetur in pulmone, & hoc patet, quia ſemper in motu eſt: nam pulmo ventilabrum cordis eſt, ne nimio calore diſſolvatur. Ignis continetur in corde: & ideo inferius eſt latum, & ſuperius acutum, quam formam ignis tenet. Membra corporis triplicia ſunt. Sunt enim quædam radicalia, hepar, cor, cerebrum, genitalia, inter quæ tria prima ſunt de eſſe individui: in quibus, ut ſupra dictum eſt, ſedem habet ſpiritus naturalis, vitalis, & animalis: ſed membra genitalia ſunt ad conſervationem ſpeciei. Alia ſunt membra deſervientia, ut venæ, arteriæ, & nervi, per quæ vehitur ille triplex ſpiritus, ut habetur ſupra. Alia ſunt membra officialia, ut manus, pedes, & hujuſmodi. Sunt etiam membra, tam artificialiter ordinata, ut mutuo ſibi deſerviant: nam ſuperiora interioribus adminiſtrant gubernationem, ut patet in oculis. Item inferiora præbent ſuperioribus ſupportationem, ut patet in pedibus & cruribus, quæ totum pondus aliorum membrorum ſuſtinent. Item media impartiuntur utriſque defenſionem, & neceſſariorum conquiſitionem, ut patet in manibus & brachiis. Item ſic ſunt ordinata, ut mutuo ſibi condoleant. Nam ſi unum membrum dolet, condolet ei omnia membra, & hoc propter connexionem & colligantiam. A Item ſic ordinata ſunt; ut quando unum membrum deficit, alia ejus defectum ſuppleant: unde videmus aliquos carentes manibus comedere cum pedibus: & alios carentes pedibus, cum manibus ambulare. Item ſic ordinata ſunt, & unum membrum periculis ſe exponat pro alio, ut patet in capite, pro cujus defenſione alia membra periculis ſe exponunt. Item magnus dolor in uno membro, facit minorem in alio non ſentiri. Item membra, quorum motus ſubeſt libero arbitrio, tam promptam obedientiam ſervant, ut inter imperium voluntatis & executionem operis quaſi nulla mora videatur: & hanc obedientiam videmus ſervare oculum in videndo, B linguam in loquendo, os in comedendo, manus in operando, & hujuſmodi.

Caput LVIII.

De phyſionomia hominis.

Diverſæ membrorum diſpoſitiones ſecundum artem phyſimoniæ diverſos effectus ac mores indicant in homine, non quod iſta ſigna neceſſitatem imponant moribus hominum, ſed oſtendant inclinationem naturæ, quæ tamen teneri poteſt freno rationis. Sequimur igitur in hoc tractatu magnos hujus artis auctores, ſcilicet Ariſtotelem, Avicennam, Conſtantivum, Philemonem, C Loxum, Palemotium, incipientes a complexionibus. Melancholicos, triſtes & graves eſſe dicimus, ſanguineos vero horum oppoſita habere videmus. Cholerici faciles ſunt ad iram, & phlegmatici pigri ſunt & ſomnolenti. Phyſionomia ſextus eſt quod maſculus animus vehemens eſt ad impetus, ſtudioſus, & animoſus: feminæ autem miſericordes ſunt & timidæ. Capilli molles, & rari, habes ingenium proloquuntur. Item capilli criſpi pronunciant hominem timidum, & lucri cupidum. Capilli nimium depreſſi, & fronti imminentes ferum declarant animum: hic concordat capitis urſini capillatura. Item capilli flavi, craſſi, & albi indicant indociles. Capilli vero ſubnigri, ſi ſint moderate tenues, mores

res indicant bonos, & bonam hominis complexionem. Caput nimis magnum, stolidum indicat. Caput autem globosum & breve, est sine sapientia & memoria. Caput humile superius, & quasi planum, insolentiæ & dissolutionis dat indicium. Caput oblongum aliquantulum, & malleo simile, hominem circumspectum ac providum indicat.

Frons angusta nimis indocilem & voracem declarat: lata vero parvitatem significat descretionis, sed rotunda designat iracundiam. Item humilis & demissa significat verecundum & non admittentem turpia. Item quadrata & moderatæ magnitudinis, magnæ sapientiæ, & magnanimitatis est indicium.

Supercilia arcuata, quæ conjunguntur usque ad cornu nasi, significant subtilem & studiosum in omnibus operibus suis. Si autem ibidem coeunt, tristem hominem, & parum sapientem demonstrant: Si autem arcuositas declinat ad tempora, & gibbositatem genarum, significant negligentem. Item supercilia si sint longorum & multorum pilorum significant ferum, & magna meditantem.

Oculi qui tamquam guttulæ liquoris nitidi relucent, mores compositos indicant. Quando varie moventur, ut modo currant, modo quiescant, significant mala revolvi jam in animo, sed nondum esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen micantes, significant audacem & pervigilem ad malitiam. Oculi magni, trementes, & obscuri significant potationem vini, & intemperantiam veneris. Oculi pure nigri significant imbecillem, & sine virtute animum, & lucri avidum. Quando autem guttulæ rubentes aliquantulum ibi sunt, & tamen nigræ apparent, animum justum, probum, & ingeniosum ostendunt. Ubi autem in nigris oculis guttulæ vehementer rubent, & aliquæ tendunt ad quadraturam, & quædam sunt pallidæ, quædam glaucæ, & circuli qui forinsecus ambiunt pupillas, sunt sanguinolenti, & sunt magni oculi, & nitor pupillæ movetur, ut movetur palpebra, tales, inquam, oculi significant animum, qui omnium excedit morem ferarum, quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis perpetrabile est, nec etiam a domestico cessabunt sanguine. Oculi nimium prominentes rubicundi, & parvi, linguam declarant effrenatam, & corpus instabile. Oculi acriter intuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in agendis velocem ac providum. Oculi qui frequenter clauduntur, & frequenter reserantur, timidum ac imbecillem declarant. Oculi multæ apertionis significant stultum, & inverecundum. Si autem multæ clausuræ sunt, significant mobilem, & inconstantem in omnibus factis suis.

Aures prominentes & valdæ magnæ significant stoliditatem, & garrulitatem, & imprudentiam: sed valde parvæ, malignitatis sunt indicia. Aures nimium rotundæ indocilem significant. Aures oblongæ & angustæ invidiæ signa sunt. Aures jacentes, & supra caput applicatæ pigritiam designant.

Genæ crassæ significant ignaviam, & somnolentiam, nimium autem tenues malignitatem. Genæ rotundæ invidiæ arguuntur.

Nares patulæ, alacritatis & fortitudinis dant indicium: longæ vero & tenues, mobilitatis, & levitatis signum habent: Narium autem pars, quæ juxta frontem est, si nec alta nec humili, sed æquali linea descendat, virile signum est: & prudentiam & constantiam demonstrat. Nares minores debito furibus assignantur.

Omnis vultus cum plenus est, & crassus, ignavum & voluptatibus deditum significat: vultus dependens cogitatorem subdolum indicat.

Labia tenuia in ore majori, si superius labium aliquantulum exuperet super inferius, magnanimum indicant & fortem. Tenuia vero, & parvi oris imbecillem animum, & versutum indicant. Labia vero soluta aliquantulum ab ore dependentia inertem demonstrant. Nam in asinis, & equis antiquis ita invenitur.

Os parvum convenit tam vultibus A mulliebribus, quam hominibus effeminatis: sed quod ultra modum dilatatur, voracem indicat, & immitem, & impium. Talis enim oris rictus marinis monstris convenit.

Mentum prolixum aliquantulum demonstrat minus iracundum, & minus perturbatum. Qui os parvum & breve mentum habent, immites sunt & invidi. Hos enim Plato ad serpentes referebat. Utilius est mentum commensuratum, secundum aliquid ad quadraturam accedens. Mentum si longe in prolixum distendatur dolis assuetum ostendit.

Vox similis existens voci ovium, aut caprarum, stultitiæ habet indicium. Qui autem in modum avium B vocem intendunt, de facili fiunt leves. Vox tenuis, & quasi lugubris, tristem indicat, & suspiciosum. Quorum vox in nares incurrit, ita ut nares consonent, mendaces sunt & malevoli, ac malis alienis gaudentes.

Cervix longa & tenuis eum significat, qui maligna meditatur. Cervix rotunda probat virtutem animi, & corporis humilitatem. Cervix brevis indicium est ejus, qui cum temeritate audax est. Cervix nimis erecta insolentem & contumacem dicit.

Pectus quod multis carnibus est congestum indociles & ignaros indicat. C Pectus quod longius est, quam venter prudentem indicat. Pectus si cum ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem instabilem, & animum sine religione ac pietate. Cum autem solum pectus capillos præfert, animosum designat.

Humeri tenues, & qui in acumine erecti sunt, insidiosum indicant hominem.

Brachia quando in tanta prolixitate extenduntur, ut erecto corpore extremitas medii digiti appropinquet ad genu, licet forte a mensura quatuor digitorum deficiat, hujusmodi habiles homines & fortes dicunt: cum autem prolixitas hæc ad femur desinit, vel parum ultra, declarat homines malevolos, & malis alienis gaudentes.

Manus nimium breves & exiguæ, fortes designant & sagaces. Crassæ manus, si digitos breves ultra modum habeant, tergiversorem declarant, insidiosum & furem. Manus intortæ & tenues loquaces significant & voraces.

Ungues albi, plani, & molles, ac tenues, ac rubentes, & bene perlucidi, optimum ingenium indicant. Ungues inflexi, & curvi, impudentes indicant, & rapaces. Ungues breves nimium, declarant malignum.

Digiti collecti & globati avarum dicunt, & malignum. Digiti parvi & tenues stultum demonstrant. Digiti vero parvi & grossi invidum indicant & audacem.

Latera tenuia, & angusta timiditatem indicant. Latera referta carnibus & dura, ostendunt hominem indocilem, hæc enim ad ranas secundum Platonem referuntur.

Pars cruris quæ sub genu est, quæ vocatur sura, quando plena est, & quasi gravida intemperatum hominem significat, & imprudentem: molles suræ effeminatis assignantur.

Pedes crassi & breves valde infirmum hominem indicant. Pedes nimium prolixi ad hominem dolosum referuntur. Pedes pertenues & breves produnt hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi esse solent, & efficaces. Qui celeriter incedendo se comprimit, & vultum deducit, atque totum corpus implicat, significat timidum, parcum & versutum. Qui breves passus habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur atque imbecillis.

Color cutis niger versutum indicat. Color albus rubeusque fortes animososque ostendit. Color vehementer albus cum pallore, defectum virtutis significat ex nimia victoria phlegmatis. Color ignitus lucentibus oculis ad insaniam vergit. Color medius inter nigrum & album qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenii, & bonorum morum.

Caput LIX.

De regulis generalibus physionomiæ.

Generaliter ergo tenendum est, quod membra quæ in proportione sunt naturali quoad figuram, colorem, quantitatem, situm, & motum, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra vero quæ non habent proportionem debitam in figura, quantitate, situ, & motu, perversam mentem indicant. Præterea dicebat Plato, quod quæcumque similitudo animalium aliquorum in hominibus est, tales homines etiam imitantur talium mores. Notandum insuper quod licet per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem, sed ostendunt inclinationem naturæ: nec semper denuntiant affectus hominum, sed frequenter & probabiliter. Item propter signa exteriora de quibus dictum est, non statim proferendum est judicium: quia forte signum est per accidens, & non per naturam: & forte victum est per contrariam consuetudinem, & freno rationis tenetur. Unde narrat Aristoteles, quod discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hippocratis, qui pronunciavit de ipso, quod esset vir luxuriosus. Illis autem indignantibus, & culpantibus Philemonem, quod de optimo viro taliter judicasset, retulerunt hoc Hippocrati: qui confessus est Philemonem hoc recte judicasse, sed ex amore Philosophiæ & honestatis dixit se concupiscentias cordis sui vicisse, & accepisse per studium, quod naturæ fuerat denegatum. Denique sciendum est quod signa exteriora non referuntur nisi ad eas passiones, quæ naturaliter insunt homini, sicut est ira, concupiscentia, & hujusmodi: non autem ad eas, quæ sunt animæ solius: sicut est musica, geometria, & similia. Sciendum quoque, quod in oculis principaliter consistit omnis perfectio physionomiæ: & sic oculorum indicium confirmat ceterorum membrorum indicium. Si autem contrariantur, tunc prævalent indicia

Factum hoc de Zopyro physiognomone, & de Socrate narrat Cicero lib. de Fato.

A oculorum: propter quod omnes physionomi affirmaverunt oculum esse verum cordis nuncium. Augustinus: Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius.

Au. regula 3. 12 to. 1 & ep. 109 ante med. to. 2

Caput LX.

De toto homine.

Postquam expeditum est de homine ex parte mentis & ex parte corporis, nunc dicendum est de ipso prout est compositus ex utroque, ubi specialiter ostenditur Dei potentia: quia naturas tam distantes conjunxit in unam personam perfectam, scil. corpoream, & incorpoream, quæ B maxime distant in prædicamento substantiæ. Præterea cum esset una sola creatura quæ habebat intus cognitionem per intellectum, ut Angelus: & alia, quæ habebat foris per sensum, ut quodlibet animal brutum, fieri debuit creatura, propter perfectionem universitatis, quæ hac duplici cognitione esset prædita, ut posset legere in libro scripto intus & foris, hoc est in Creatore, & in opere suo. Unita est anima corpori multiplici ratione, licet separata dignior videatur. Prima ratio est, ut per conjunctionem tam disparium naturarum erigeretur mens ad sperandam illam unionem, quæ erit inter animam, & spiritum increatum. Alia ratio C est, ut anima serviendo Deo in corpore, habeat majus meritum: quia ubi major pugna, ibi major victoria, & per consequens major corona. Difficultas enim corporis multum valet ad efficaciam merendi. Tertia ratio est propter complementum universi. Cum enim sicut est, quædam esset cratura pure spiritualis, quædam pure corporalis, conveniens fuit fieri creaturam mixtam; scilicet partim spiritualem, & partim corporalem. Quarta ratio est, quia sicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ: sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ: quia non solum anima, sed etiam corpus præmiabitur dote sua. Quinta ratio est, quia homo ex defectibus corporis multam habet materiam

Apoc. 5

Mich. 6 humiliationis, juxta id: Humiliatio tua in medio tui. Sicut enim anima ex conjunctione ad corpus, plura consequitur bona: sic & multa contrahit incommoda. Primo, peccati originalis inquinationem:
Job. 14 Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Secundo
Gen. 8 peccati pronitatem: Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia
Prov. 24 sua. Tertio bene operandi difficultatem: Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum, &c. Quar-
Sap. 9 to intellectus hebetudinem: Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Quinto continuam impugnationem,
Gal. 5 ad Galatas: Caro concupiscit adversus spiritum, &c. Sexto curarum sol-
Matt. 6 licitudinem: Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid, &c. Sep-
Job. 14 timo passionum multiplicitatem: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Octavo gloriæ retardationem, gloriam enim percipere non possumus,
Philip. 1 quamdiu in corpore detinemur: propter hoc Apostolus cupiebat dissolvi & esse cum CHRISTO.

CAPUT LXI.

De proprietatibus hominis.

PRoprietates hominis sunt istæ, discernere inter honestum, & turpe: unde solius hominis est honestum prosequi, cum omnia bruta non nisi utilia & delectabilia prosequantur. Item passiones ordinare ad limitem rationis. Supra mundum per intellectum elevari: & ideo quando quis per adhæsionem in terrenis, se mundo inferiorem facit, jam quasi honore humanitatis exutus, proprietatem accipit bestiæ, ita ut dicatur fieri per immunditiam porcus, per iram canis, per rapinam leo, & sic de aliis: quod Plato vocavit secundam animarum incorporationem. Amicitiam habet secundum omne genus amicitiæ: & in hoc differt a brutis, quæ non habent amicitiæ speciem, nisi quæ delectationis est, vel connutritorum, & hujusmodi. Intellectualibus theorematibus delectari, & speculari talia. Verecundari in turpi perpetrato. Propter quod inemendabiles dicuntur inverecundi, quia in aliquo mutati sunt a rationis honore, pecorinam naturam assumentes. Perfecte esse conjugale animal, eo quod legibus ordinatis faciat honestas nuptias. Civile animal esse, quia destributiones, & cohabitationes, & fœdera, & pugnas perfectas habet ex urbanitatibus ordinatas. Disciplinæ esse perceptibile propter rationis usum. Esse animal mansuetum natura propter civilitatem. Esse animal risibile, gloriabile, propter perfectas gaudendi rationes, quæ soli contingunt homini. Esse microcosmum, id est, minorem mundum, eo quod de omnibus creaturis aliquid habeat homo, videlicet esse cum lapidibus, vegetari, cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Ex duplici natura esse compositum, scilicet corporali, & spirituali. Creaturarum esse dignissimam. Esse animal rationale & mortale. Humana fragilitas in hoc consistit, quod in homine est assiduitas deficiendi, impossibilitas standi, facilitas cadendi, difficultas resurgendi, vilitas nascendi, incertitudo moriendi. Defectus humanus est: quia quidquid habemus, aliunde habemus & imperfecte, insuper & amittere possumus. In homine quoque est moriendi necessitas, & hæc est, vel illata necessitas, sicut fuit in Adam: vel innata, sicut est in nobis: vel assumpta, sicut fuit in Christo.

(Greg. hom. 29 in Evang. ante med.)

CAPUT LXII.

De primi parentibus.

SUmma bonitas volens communicare bonum suum aliis fecit creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo beata esset: Fecit autem Deus primum hominem formando corpus ejus per ministerium Angelorum de limo terræ in agro Damasceno, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: hoc est, animam creavit, quam cor

corpori facto univit. Factus est au- A tem homo ad imaginem Dei in naturalibus, & ad similitudinem in gratuitis. Dicitur autem homo factus ad imaginem Dei potius quam Angelus: quia convenientiam habet homo cum Deo intus & extra, quod non habet Angelus. Intus enim habet convenientiam cum Deo secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem, sicut Angelus: sed extra, convenientiam habet quam non habet Angelus. Nam sicut a Patre est Filius, sic ab homine homo ejusdem naturæ. Præterea sicut Deus prælatus est omni creaturæ simpliciter, sic homo omnibus in suo universo. Item sicut Deus ubique est, sic anima ubique est in suo habita- B bili, id est, in corpore, non quidem per essentiam, sed per potentiam. Dignitas humana est in hoc, quod Deus fecit hominem ratione sapientem, vita innocentem, dominio potentem. Primum notatur in hoc quod homo factus est ad imaginem
Gen. 1 Dei: secundum, quod ad Dei similitudinem: tertium quia præpositus est homo cunctis animantibus, & alii creaturis, quæ omnia sibi serviunt. Ex his nota quod voluntati bonorum hominum non solum subditur creatura, sed etiam ipse Deus
Psal. 144 omnipotens. Psal. Voluntatem timentium se faciet, &c. Item Angeli, qui deputantur ad custodiam. Item dæmones, qui dantur ad exer- C citium bonorum. Item homines boni, qui sunt socii tribulationum, & erunt socii consolationum. Item homines mali qui bonos magis promovent persequendo, quam possent facere serviendo.

Corpus tale dedit Deus primo homini, quod animæ subjectum esset, ut esset obtemperans sine rebellione, esset etiam propagabile sine libidine, esset vegetabile sine mortalitate, esset proportionabile quantum ad complexionem æqualem, esset quoque conforme animæ, ut sicut anima erat innocens, & tamen poterat peccare, sic corpus esset impassibile, ut tamen posset mortalitatem incurrere: & ideo poterat mori, & non mori: poterat habere sufficientiam, & indigentiam: poterat obtemperare, & rebellare, & hoc fuit ratione naturæ defectivæ ex nihilo creatæ, nec per gloriam confirmatæ. Fuit tamen corpus ita conditum, ut in eo nulla esset pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis. Hæc autem immortalitas corporis Adæ principaliter fuit ab anima, Gen. 3 sicut ab influente: a corporis æquali compositione, sicut a disponente: a ligno vitæ, sicut a vegetante: a regimine vero providentiæ divinæ, sicut ab interius conservante, & exterius protegente. Factus est itaque homo absque omni culpa, & miseria, nec ad culpam habuit fomitis incitamentum. Insuper datum est ei quadruplex adjutorium. Primum ad recte volendum, quod est conscientia. Secundum ad murmurandum contra malum, & ad stimulandum ad bonum, quod est synderesis. Tertium fuit scientia illluminans intellectum ad cognoscendum Deum suum, sicut seipsum, & mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum. Quartum fuit charitas accendens affectum ad diligendum Deum super omnia, & proximum suum sicut seipsum. Prima duo pertinent ad perfectionem naturalium, alia duo ad perfectionem pertinent gratuitorum, quorum unum fuit gratiæ gratis datæ, scilicet scientia: aliud gratiæ gratum facientis, scilicet charitas. Accepit homo triplicem oculum, primum carnis, quo videret mundum: secundum rationis, quo videret animum: tertium contemplationis, quo videret Deum. Et sic oculo carnis videt homo quæ extra se sunt, oculo rationis quæ intra se sunt, oculo contemplationis quæ sunt supra se. Notitiam enim Dei habuit, cujus præsentiam quodam interiori aspectu rationis contemplabatur, non tamen ita excellenter ut in patria, nec ita in ænigmate, ut modo in via. Res etiam factas novit, quia animantibus omnibus nomina imposuit. Notitiam quoque sui habuit: quia qualis factus erat, scivit: & quod agere, & quod cavere debet, intellexit. Fuit quoque sine pœ- Gen. 2

na.

nalitatibus; quia nec esurivit, nec sitivit. Item frigus vel æstus, labor aut infirmitas eum non læsit. Nec mortem expectavit, quia vivus erat ad gloriam transferendus: Vestibus non eguisset, & nudus verecundiam non sensisset. Natura in eo, quoad deformitatem membrorum non errasset. Conceptus fuisset sine pudore, partus sine dolore. Motus membrorum subjecti fuissent voluntati.

Gen. 2

Caput LXIII.

De præceptis Adæ datis.

ADam factum Deus in paradisum transtulit, & ibi de costa dormientis Evam sibi sociam formavit. Hanc non fecit de capite, ne viro dominaretur: nec de pedibus, ne contemneretur: sed de latere, ut amoris vinculum probaretur: Duplex bonum illis Deus præparavit, unum temporale, aliud æternum. Primum dedit, secundum promisit. Ideo duplex præceptum primus homo habuit, unum naturæ ad custodiendum bonum datum: aliud disciplinæ ad promerendum bonum promissum: & hoc non poterat promereri melius, quam per puram obedientiam, quæ tunc mera est, quando præceptum ex se solo obligat, & non ex alia causa: & tale dicitur præceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ. Unde & disciplinæ præceptum dicitur: quia vitare lignum scientiæ non suadebat natura, sed disciplina. Præceptum vero naturæ duplex fuit: unum de conservatione individui: ut ibi in Genesi: De omni ligno paradisi comedetis. Inter quæ ligna fuit in medio paradisi specialiter nominatum lignum vitæ, sic dictum a defectu, quia corpora primorum parentum debebat continue vegetare. Aliud fuit præceptum naturæ pro conservatione speciei, ut illud: Crescite & multiplicamini. Circa præceptum disciplinæ nota, quod aliquid prohibetur, quia malum, Non furtum facies. Aliquid, quia occasio mali. In Matthæo: Non jurare omnino: sicut prælatus multa prohibere potest, quæ tamen non sunt expresse in sua regula. Aliquid ad probationem obedientiæ, & tale fuit præceptum de ligno vitæ.

Gen. 2. — Gen. 1 — Exod. 20 — Matt. 5

A — B — C

Caput LXIV.

De paradiso.

HOmo prædictis fultus auxiliis accepit locum paradisi terrestris in habitationem tranquillam. Fuit autem locus ille, ut ait Damascenus exultationis universæ promptuarium, qui terra excelsior est positus, & temperato ac purissimo aere circumfulget, plantis semper & floribus ornatus est, bono odore plenus, nullumque irrationabilium animalium ibi habitat. Præterea habetur in Genesi, quod a Domino paradisus plantatur, fonte, qui dividitur in quatuor capita, irrigatur: ligno vitæ ac scientiæ boni, & mali decoratur: per Cherubim & flammeum gladium custoditur. Notandum insuper quod ibi nullæ sunt tempestates. Duæ quoque ibi sunt hiemes, & duæ æstates, & bis fructificant ibi arbores. In utroque solstitio habent hiemem, & in utroque æquinoctio æstatem Hujus autem ratio est, quia paradisus sub circulo æquinoctiali situs est. Idem semper habent æquinoctium.

Dam. l. 2 de fid. ort. c. 11 [illegible] a p inc. — Gen. 2 — Gen. 3. 4 [illegible]

Caput LXV.

De casu primi hominis.

INvidens ergo diabolus felicitati hominis, in specie serpentis ipsam mulierem, tamquam fragiliorem aggreditur tentandam: quam cum in responsione dubitantem cerneret, fortius institit: & tandem vincens eam, virum illa mediante dejecit. Processit ergo sic: Primo scilicet quærendo. Cur præcepit vobis Deus, &c. Secundo asserendo falsum. Nequaquam moriemini. Tertio promittendo. Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. Processus iste fuit maximæ versutiæ, quia processit experiendo, impellendo, & alliciendo.

Gen. 3.

Ex-

Experientiam enim accepit interrogatione, impulit in mendacii assertione, allexit in falsa promissione. Allexit autem diabolus mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quæ est appetibilis rationi: per excellentiam ad modum Dei, quæ est appetibilis irascibili: per suavitatem ligni, quæ est appetibilis concupiscibili. Igitur vir in uno peccavit, quia lignum vetitum gustavit: unde & pœnam accepit, ut in sudore vultus sui pane suo vesceretur. Mulier autem in duobus peccavit. *Gen. 3* Nam superbivit, & vetitum comedit: unde & duplicem maledictionem habuit: scilicet: Sub viri potestate eris, & hoc propter primum. Item: In dolore paries, & hoc propter secundum. Diabolus vero in serpente tria fecit, invidit, mentitus est, decepit: unde propter primum dictum est ei. Supra pectus tuum gradieris: *Gen. 3* propter secundum, Terram comedes: Propter tertium. Ipsa conteret caput tuum. Si autem scire volueris quis eorum plus peccavit, scilicet vir an mulier, notandum est quod quantum ad aliqua plus peccavit mulier, & quantum ad aliqua plus vir. Nam mulier plus peccavit quoad pejoris finis intentionem. Voluit enim fieri sicut Deus: sed vir intendebat non contristare delitias suas. Item mulier peccavit in plures, quia in se, in Deum, & in proximum. Item damnosius peccavit mulier, quia plures maledictiones recepit. Vir autem peccavit plus quantum ad originem, quia ex certa scientia. Item vir peccavit majori ingratitudine.

Quærunt multi cur Deus hominem fecerit qui peccare posset, & ad hoc assignantur plurimæ rationes. Prima est, ut ostendatur divina potentia, qui solus invertibilis est, omnis autem creatura vertibilis est. Secunda, ut declaretur Dei sapientia, quæ de malo scit elicere bonum: quod non potuit fieri nisi Deus creaturam fecisset vertibilem in malum: Tertia, ut manifestetur Dei clementia, qua Christus per mortem suam hominem perditum liberavit. Quarta, ut ostendatur Dei justitia, qua non solum reddit bonis præmia, sed etiam malis supplicia. Quinta, ut homo non sit pejoris conditionis, quam aliæ creaturæ, quas omnes Deus sic administrat, ut eas propriis motibus agere sinat: unde & hominem in proprio arbitrio relinquere debuit. Sexta est, laus humana; Laus enim est viri justi, qui potuit transgredi, & non est transgressus. *Eccl. 31* Septima est decor universi, quia opposita juxta se posita magis elucescunt, ita mali bonos commendant ad invicem comparati. Octava ratio est, quia boni exercitantur & probantur per malos. Adam autem & Eva ob *Gen. 3* peccatum de paradiso expulsi sunt, sicut Lucifer de cælo: & in hac valle miseriæ habitantes facti sunt mortales. Nam sicut in cælo est non *Apoc. 12* posse mori, & in paradiso posse non mori: sic in terra est, non posse non mori: sic in inferno est semper mori. Ex his patet quod primus status hominis fuit innocentiæ: secundus gratiæ: tertius culpæ: quartus pœnitentiæ: quintus gloriæ. Dum enim inordinate erexit se supra se, cecidit miserabiliter infra se, scilicet a statu innocentiæ & gratiæ, in statum culpæ & miseriæ. Item quia factus est inobediens suo superiori, justo Dei judicio factum est, ut sibi fieret inobediens suum inferius, scilicet caro, & maxime circa membra virtuti generativæ deservientia.

CAPUT LXVI.

De ordine tentationis in nobis.

Ordo tentationis qui fuit in primis parentibus, etiam in nobis completur. Nam sicut serpens ubi suggessit, mulier delectata est, vir comedit: sic in nobis secundum Gregorium, diabolus gerit serpentis officium: sensualitas vero, quæ in carne est, officium mulieris, & ratio tenet locum viri per consensum. *Greg. l. 3 reg. Past. c. 1 ad monit. 30* Vel dicas secundum Augustinum, quod suggestio serpentis est primus motus ex fomite: comestio vero mulieris, delectatio cogitationis, scilicet per inferiorem partem rationis, sed comestio viri est consensus superioris partis rationis. Per hæc enim *Aug. l. 1 de Gen. cont. Manich. c. 14 t. 1*

tria,

tria, scilicet, suggestionem, delectationem, & consensum, homo in tentationem ducitur: quia tentatio per suggestionem inchoatur, sed per delectationem progreditur, per consensum autem consummatur.

Sunt autem alia tria, per quæ quis in tentatione detinetur, scilicet opus paravum, consuetudo, & desperatio. Sciendum item est quod tentatio est triplex. Prima est a diabolo, vel per modum suggestionis, vel per modum afflictionis. Secunda est a mundo, qui voluptate, vel vanitate allicit, vel persecutione frangit. Tertia est carnis, quæ per sensualitatem, ac fomitem ad peccatum impulit: quibus ratio consentiens peccatum perficit. Duæ sunt tentationis species: Prima scilicet diaboli, secunda mundi, & sunt extra nos, & non habent peccatum. Unde Augustinus: Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. Tertius modus tentandi est intra nos, & est peccatum veniale, cum primus motus est tantum: sed mortale, si con-
Psal. 93 sensus advenerit. Contra prædictos tentatores dedit nobis Deus tria remedia, quia contra diabolum habemus spiritus & Angelos bonos, qui ad bonum nos stimulant, & contra insultus diaboli defendunt. Item contra mundum habemus exempla Sanctorum, quos nec alliciebant mundi blandimenta, nec terrebant supplicia. Item contra carnem habemus bona naturalia, scilicet synderesim, & vim irascibilem, quæ naturaliter nos docent non acquiescere carni, sed spiritui. Habemus etiam gratuita, scilicet charitatem, temperantiam & hujusmodi, quibus carnis vitia mortificamus. Est autem differentia inter tentationes, quæ sunt a diabolo, & quæ sunt a carne. Tentationes enim quæ a diabolo sunt, sæpe oriuntur præter rationem, ut cum nuper satiatus famem patitur, & post longam dormitionem somno gravatur. Tentationes vero quæ sunt a carne, frequenter surgunt propter necessitatem, sed interdum excrescunt in superfluitatem, ut si cibus post jejunium immoderate appetitur, vel

A in comedendo mensura & modus non tenetur

Tentatio autem multiplex est: quædam est probationis, & hæc est a Deo secundum quod Dominus tentavit Abraham. Gen. 22 Quædam examinationis, & hæc est ab homine. Quædam præcipitationis, & hæc est a diabolo, qui sic primos parentes tentavit. Gen. 3 Quædam delectationis, & hæc est a carne. Quædam consensus, & hæc est rationis.

Tentationum quatuor sunt species. Prima est aspera, hæc autem fit de laboribus inconsuetis in principio conversionis. Secunda est vana, & oritur de spiritualibus prosperitatibus, ut cum quis de virtutum suc-
B cessibus gloriatur. Tertia est dubia, ut quando quis ambigit quid certum de aliqua re tenere debeat: unde accidit quod lentior quisque ad bonum redditur, quando id quod agit, bonum esse dubitatur: & pronior fit ad malum, quando malum esse nescitur. Quarta fraudulentia, ut quando diabolus in angelum lucis se transfigurat, 2 Cor. 11 sub specie scilicet virtutum inducens vitium, hæc fit quando suadendo honestatem, inducit superbiam, vel suadendo discretum obsequium, inducit nimium carnis commodum, vel dissuadendo justum judicium, inducit crudelitatem: vel suadendo misericordiam, inducit remissionem & negligentiam: vel suadendo largita-
C tem, inducit prodigalitatem, & sic de aliis. In talibus autem periculosissimum est periculum non videre. Primam appellat Psalmista timorem nocturnum: per noctem enim adversitas designatur. Secundam appellat, sagittam volantem in die: quia per diem prosperitas designatur. Tertiam appellat negotium perambulans in tenebris, & hæc propter dubium perplexitatis. Quartam vocat dæmonium meridianum, unde ait: Non Ps. 90 timebis a timore nocturno, a sagitta, &c. De his quatuor generibus tentationum, idem ait: Super aspidem, Ibid. quoad primum, & basiliscum, quoad secundum, & conculcabis leonem, quoad tertium: & draconem, quoad quartum.

Propter prædictas tentationes: vel de-

deceptiones diaboli non sunt etiam licita facienda: & hoc in quinque casibus. Primus est, si diabolus suadet homini aliquid esse bonum faciendum, quod videtur suis consiliis
Matt. 4 consentire: unde Christus ipso suadente noluit facere panem de lapidibus, quod tamen opus bonum fuisset. Secundus, si proponatur aliquod opus contra legem Dei, non est fa-
2 Mac. 7 ciendum. Uude Machabæi nolebant comedere carnes, quas tempore ne-
1 Cor. 8 cessitatis comedere licuisset. Tertius, quando bonum fit cum scandalo aliorum. Peccantes in fratres, &c. & Aloquitur de idolothytis. Quartus est quando bonum fit per ostentationem. Si osculatus sum manum meam, quæ Job. 31
est iniquitas maxima. Quintus, cum impedit obedientiam superioris, quia licet propter mandatum prælati numquam malum debeat fieri, potest tamen bonum aliquando propter obedientiam prætermitti. Remedia autem contra tentationes sunt, memoria Dominicæ passionis, mortificatio carnis, utile exercitium, declinatio occasionum, conculcatio principii tentationum,

COMPENDII

THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER TERTIUS

De corruptela Peccati.

CAPITA HUJUS LIBRI.

CAPUT I.

De malo in genere.

MALUM triplex est, videlicet culpæ, pœnæ, & damni: quod opponitur triplici bono, scilicet honesto, delectabili, & utili. Nam culpæ opponitur honestum, pœnæ opponitur delectabile, damno opponitur utile. Malum est utile multis modis. Primo propter suam ordinationem, quia per vilificationem ponitur in loco inferiori in universitate rerum, unde bene ordinatur: sicut ordinate ponitur diabolus in inferno, & fur in patibulo. Secundo modo utile est propter suam coactionem: Amaritudo enim conscientiæ cogit hominem a peccato recedere. Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Item in eodem: Vide quam malum & amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum. Tertio, est utile per ipsius mali considerationem. Ex hoc enim quod homo malum videt, naturaliter proficit: quia sicut homo naturaliter bonum appetit, ita naturaliter horret malum & fugit.

Hier. 2.

CAPUT II.

De peccati diffinitione.

POst malum in genere, sequitur de malo culpæ in specie. Diffinitur autem peccatum multis modis. Primo sic ab Augustino: *a* Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat. Secundo sic ab eodem: *b* Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Tertio sic ab Ambrosio: *c* Peccatum est prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum. Quarto sic ab Augustino: *d* Peccatum est spreto incommutabili bono rebus mutabilibus adhærere. Prima diffinitio datur secundum causam efficientem, secunda secundum causam materialem, tertia secundum causam formalem, quarta secundum causam finalem. In quarta diffinitione nota

a Aug. l. 1 Retract. c. 15. t. 1 & l. de duab. animab. 11 t. 6
b Idem lib. 22 contr. Faust c. 27 t. 6
c Ambro. l. de Parad. c. 8
d Aug. l. 1 de li. arb. c. 16 t. 2

A quod in peccato duo sunt, scilicet aversio a Creatore, & conversio ad creaturam: quorum primum est quasi formale, secundum quasi materiale. Et in actione non est peccatum ratione conversionis, si non sistatur in creatura: sed ratione aversionis, in qua est deformitas & contemptus. Quod autem ratione conversionis non sit peccatum principaliter, patet: quia potest fieri venialiter quandoque, ut quando quis delectatur in creatura plus debito, sed tamen citra Deum. Quandoque etiam quis potest delectari in creatura sine omni peccato, ut cum delectatio naturalis est tantum, secundum quod visus delectatur in viridi, & gustus in
B dulci, & sic de aliis. Interdum potest etiam quis delectari meritorie, quando scilicet ad Deum refertur. Unde Psalmista: Delectasti me Domine in factura tua, &c. Sed tunc sumitur delectatio pro motu, non pro passione.

Psal. 91

CAPUT III.

Quid sit peccatum secundum rem.

TEnendum est de peccato quod non est substantia vel res aliqua, sed defectus & corruptela. Et dicitur peccatum nihil propter tria. Primo, propter defectum, quia pec-
C catum non est aliqua res naturalis, sed corruptio boni. Secundo, propter effectum, quia peccatum annihilat hominem, & deficere facit a vero esse. Tertio propter despectum, quia vilem facit hominem & indignum præmio. Circa prædicta tamen sciendum est quod aliud est peccati actus, aliud habitus, & aliud macula peccati, sive reatus. Actus peccati est aliquid: sed quando amplius non fit, esse desinit etiam sine gratia: sed peccati habitus qui relinquitur malis ex actibus, etiam aliquid est, & remanet interdum etiam cessantibus actibus, & post infusam gratiam ac peccati remissionem. Peccati vero macula secundum rem, nihil est, & tamen deformat animam non per modum positionis, sed privationis, sicut

sicut truncatio membris deformat A corpus & maculat. Dicit etiam Augustinus quod etiam sicut abstinentia nulla est res, & tamen ex ea corpus languet, ita peccatum non est res aliqua, vel substantia aliqua, & ex eo tamen natura corrumpitur, sed deletur per gratiam. Notandum præterea quod peccatum quandoque transit actu, & remanet reatu, sicut peccatum actuale. Quandoque est e converso, cum peccatum transit reatu, & remanet actu, sicut patet in peccato originali post baptismum. Quandoque transit actu simul & reatu, sicut peccatum actuale post pœnitentiam perfectam. Quandoque remanet actu & reatu, sicut peccatum originale ante baptismum.

Aug. l. de natura & grat. contr. Pelegi. n. c. 20 c. 7

CAPUT IV.

Quid sit peccatum secundum nomen.

PEccatum habet multa nomina: Vocatur enim macula, & hoc quia imaginem animæ deformat. Item reatus, quoniam ad pœnam æternam obligat. Item pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Item vocatur pœna, inquantum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta fuit. Item delictum, secundum quod est recessus a dignitate gratiæ habitæ. Item vocatur culpa, prout respicit pœnam. Item offensa, & hoc quia contra Deum est. Item prævaricatio, & hoc inquantum mandatum Dei respicit. Item vitium, id est, defectus bonorum naturalium. Item peccatum, prout est conversio ad bonum commutabile. Item vocatur scelus propter injuriam Dei magnam. Item nefas, prout est illicitum personæ perpetranti. Item vocatur crimen, prout est dignum accusatione & pœna.

CAPUT V.

De origine peccati.

QUamvis peccatum sit contrarium ipsi bono, non tamen habet esse in bono, nec ortum trahit nisi a bono, quod quidem bonum est liberum arbitrium, ac voluntas, a qua peccatum est sicut a prima origine, in qua est sicut in proprio subjecto. Voluntas igitur est causa peccati: causa dico, non efficiens, sed deficiens. Voluntas enim secundum quod habet respectum ad suum principium a quo est, scilicet ad Deum, non est nata elicere ex se, nisi bonum: sed se- B cundum quod habet respectum ad principium ex quo est, quod est nihil, cum ipsa voluntas sit ex nihilo, tendit ad defectum. Si ergo volumus scire unde sit malum culpæ materialiter, dicemus, quod ex nihilo. Si vero volumus scire unde sit formaliter, dicemus quod ex absentia debiti boni, scilicet speciei, modi & ordinis. Sed si velimus scire unde sit originaliter, dicemus quod sit a voluntate, sive a libero arbitrio.

De progressu autem peccati nota, quod peccatum initiatur in cogitatione, procedit & crescit in delectatione, perficitur in consensu.

C Circa progressum peccati sciendum, quod quædam antecedunt ipsum peccatum, quædam sequuntur, quædam circumstant: Peccatum antecedunt aliqua ex parte aversionis, aliqua ex parte conversionis. Ex parte aversionis antecedunt ipsum peccatum ista, contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, prævaricatio. Illa vero quæ peccatum antecedunt ex parte conversionis, sunt hæc, cogitatio, libido, concupiscentia, delectatio, perversa intentio, consensus. Alia sunt quæ sequuntur peccatum, sicut est macula, id est, deformatio imaginis Dei: & reatus, id est, obligatio ad pœnam æternam. Sunt adhuc alia quæ peccatum comitantur, ut sunt peccatorum circumstantiæ, quæ peccatum aggravant,

vant, aut diminuunt, quæ continentur in hoc versu:

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Actio etiam illa per peccatum depravatur, quæ est de genere bonorum, quandoque in principio, quandoque in medio, quandoque in fine: & hoc per malam intentionem, vel per negligentiam, vel per vanam gloriam. Unum peccatum dicitur majus altero multis modis, scilicet causalitate, ut peccatum Luciferi: vel generelitate, ut peccatum Adæ: vel deformitate, ut peccatum Judæ: vel difficultate remittendi, ut peccatum in spiritum sanctum: vel periculositate, ut peccatum ignorantiæ: vel inseparabilitate, ut peccatum cupiditatis: vel pronitate, ut peccatum carnis: vel offensione, ut peccatum idololatriæ: vel expurgandi difficultate, ut peccatum superbiæ: vel mentis cæcitate, ut peccatum iræ. Circa peccati gravitatem, nota quod nihil est peccatum in viro perfecto, quod non sit peccatum in imperfecto, nisi in his quæ novit: Nam perfectio non mutat genus peccati, sed ejus quantitatem auget.

Caput VI.

De divisione peccati.

Divisio peccatorum multiplex est. Alia enim est secundum causam efficientem secundum se, ut hæc. Peccatorum aliud est ex impotentia, aliud ex ignorantia, aliud ex malitia. Alia sumitur secundum causam efficientem ratione annexi, secundum quam sumitur hæc divisio: Peccatorum aliud est ex amore male accedente: aliud ex timore male humiliante, hoc est dicere, quod homo potius vult peccatum committere, quam amato carere, aut malum pœnæ, quod timet, incurrere. Sumuntur etiam peccatorum divisiones secundum causam materialem, circa quam primo sumitur hæc divisio: Peccatorum aliud est cordis, aliud operis. Item hæc: Peccatorum aliud cogitationis, aliud locutionis, aliud operationis. Secundo

A modo sumitur sic, Peccatorum, aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum. In Deum dividitur sic: Aliud in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum sanctum. Aliis tribus modis peccatur in Deum, scilicet male per infidelitatem de Deo sentiendo, item blasphemando, item sacra Dei indigne tractando. Alio modo peccat quis in Deum, scilicet ipsum tentando: & hoc fit tripliciter. Nam quandoque tentat quis Dei potentiam, ut cum signa petit. Quandoque Dei justitiam, ut cum per candens ferrum, vel per duellum, vel similia quis judicium petit. Quandoque Dei misericordiam, ut cum quis Dei boni-
B tatem examinans committit se stultis periculis.

In seipsum peccat quis tripliciter, scilicet necessaria sibi subtrahendo, ita superflua sumendo, item ultra vires quippiam aggrediendo.

Item in proximum peccat quis tripliciter, scilicet proximo suo auferendo. Item sua sibi in necessitate non communicando. Item malo exemplo illum ad peccatum trahendo.

Sumuntur præterea divisiones peccatorum secundum causam formalem: & hoc tribus modis: quandoque naturaliter secundum qualitatem, vel secundum relationem. Secundum qualitatem sumitur hæc di-
C visio: peccatorum aliud est commissi, aliud delicti: quorum primum est prævaricatio præceptorum negativorum: secundum vero est prævaricatio præceptorum affirmativorum. Item prædictum peccatum est duplex contra duas partes justitiæ, quæ sunt declinare a malo, & facere bonum. Item alia divisio sumitur secundum quantitatem sic: Peccatorum quædam sunt carnalia, quædam spiritualia, sed carnalia majoris sunt infamiæ, spiritualia majoris sunt culpæ. Secundum quantitatem sumitur hæc divisio: Peccatorum aliud est mortale, aliud est veniale: quorum primum dicitur perversio, secundum vero inordinatio: quoniam peccatum mortale est aversio totalis a bono incommutabili, & conversio tota-

totalis ad bonum commutabile. Sed peccatum veniale est amor voluptatum in creatura, citra Deum tamen. Secundum relationem sumitur hæc divisio. Peccatorum aliud est originale, aliud actuale.

Ultima divisio est secundum causam finalem: & hoc dupliciter, quia vel secundum ipsum appetibile, vel secundum actum hominis appetentis. Secundum ipsum appetibile
1 Joan. 2 sumitur hæc divisio: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: quorum primum est appetitus voluptatum, secundum appetitus divitiarum, tertium appetitus honorum. Secundum actum hominis appetentis dividitur peccatum in septem vitia capitalia, scilicet superbiam, invidiam, iram, acediam, avaritiam, gulam, luxuriam.

Nota quod quinque sunt genera operum. Nam quædam sunt mala in se, ut illa, quæ secundum suam naturam mala sunt, possunt tamen per aliquam circumstantiam fieri bona, ut homicidium. Quædam sunt mala secundum se, ut illa quæ per nullam circumstantiam possunt fieri bona, sicut odire Deum, fornicari, & hujusmodi. Quædam sunt bona in se, ut quæ sunt bona ex genere, & tamen possunt fieri mala ex circumstantia, sicut est dare eleemosynam. Quædam sunt bona secundum se, ut quæ per nullam circumstantiam possunt fieri mala, sicut diligere Deum ex charitate. Quædam sunt indifferentia, ut quæ nec bona, nec mala sunt, possunt tamen vel bona, vel mala fieri; sicut est movere pedem sine deliberatione, vel quandoque comedere.

CAPUT VII.

De effectu peccati.

Multa mala facit homini peccatum, ante mortem, in morte, & post mortem. Ante mortem hæc mala operatur. Naturalia vul-
Luc. 10 nerat, ut significatur in illo, qui incidit in latrones. Item intellectus A obscuratur in cognitione veri, & affectus tepescit in operatione boni.
Thren. 4 Gratuitis spoliat: Dispersi sunt lapides sanctuarii, &c. Sed ne aliquod bonum pereat, illa bona quæ quis peccando mortificat, aliis salvandis dabuntur, sicut quando corporali morte quis moritur, fratres, & propinqui in bonis ejus succedunt. Ani-
Thren. 4 mam maculat: Denigrata est super carbones facies eorum. Ad pœnam
Gen. 2 æternam obligat: Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.
Hier. 2 Conscientiam amaricat: Vide quam malum & amarum est te dereliquis-
Prov. 18 se Deum tuum. Indurat: Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Insensibilem red-
B dit: Visus est eis quasi ludens loqui.
Gen. 18 Simile habes in cane submergendo, qui non sentit lapidem in collo, donec in aquam extra navem projiciatur. Animam occidit, quia vera vi-
1 Reg. 31 ta, id est, Deo privat. Saul irruit in gladium suum. Sed nota quod peccatum veniale disponit ad mortem, mortale vero infert mortem: sed obstinatio detinet in morte. Ad alia
Gen. 4 peccata trahit. Exemplum habemus de Cain, qui egressus in agrum, occidit fratrem suum Abel. De hoc
Greg. l. 25 Mor. c. 9 non longe a princ. dicit Gregorius: Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Exemplum
Gen. 8 habes etiam in figura: Corvus egres-
Gen. 34 sus de arca, interceptus est aquis.
C Et Dina egressa, ut videret, &c.
Matth. 26 virginitatem amisit. Et Judas egressus, Christum tradidit. Et post adul-
2 Reg. 11 terium David, secutum est homicidium. Et sic patet quod peccatum est pœna peccati. Peccatum enim secundum quod in se est culpa, præcedentis peccati dicitur pœna: & ita dicitur aliquid simul culpa & pœna: sed ratione actionis dicitur culpa, pœna vero ratione passionis: quia culpa est quod facimus: pœna vero quod patimur. Licet igitur omnis culpa sit a nobis, non tamen omnis pœna est a nobis, immo quædam est a nobis acta, quædam a Deo inflicta, quædam a primis parentibus contracta. Et quia eum qui facit, quod non debet, justum est pati quod debet; ideo omnis pœna est ju-

sta, & a divina providentia ordinata. A Quod autem unum peccatum nascatur ex alio, sic apparet. Superbia enim quia vult omnes excellere, dolet si aliquis ei æquetur, & sic ex ea nascitur invidia. Invidus vero quia de facili irascitur ei, cui invidet, ideo ex ea nascitur ira. Sed ira cum non potest se vindicare, tristatur: & ideo ex ea nascitur acedia. Acedia vero consolationem quærens in exterioribus, facit avarum. Avaritia autem quia in temporalibus abundat, potest magis exercere gulam. Gula vero propter ventris repletionem de facili spumat in libidinem, & ita generat luxuriam. Item bona, quæ fiunt, infructuosa reddit, & quantum ad meritum, & quantum ad B præmium: sicut ramus præcisus ab arbore, non profert fructum, sed arescit, & habilitatur ad incendium.
Dan. 15 Jud. 23 De talibus dicitur: Maledictus eris ingrediens, & egrediens, scilicet Ecclesiam materialem ad orandum: quia talium oratio non est meritoria, immo dicit Augustinus, quod si tales cruce se signent, includunt potius in se diabolum, quam excludant, quia jam in eis per effectum habitat. Ex homine infernum facit: quia in peccatore est ignis avaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conscientiæ., sitis concupiscentiæ, dæmones per effectum & hujusmodi.
Gen. 1 Hier. 2 Vacuum tandem hominem relinquit. Terra erat inanis & vacua, C & merito: quia mundo adhærentes fugiunt ubera arida, eo quod relinquunt fontem vitæ, & venam aquarum viventium, & paludibus turbidis se satiant. Item fallendo decipit, sicut lignum putridum de nocte lucens, & sicut esca in hamo latens piscem decipit. Stultum hominem demonstrat, quia peccando quis sibi onus ad se deprimendum imponit, & ligna super dorsum suum cremanda colligit, & illi servit, qui eum pro servitio torquebit. Augustinus: Stultum est in tali statu vivere, in quo quis non audet mori. Sequitur quod peccatum in morte gravat hominem: quia in morte privatur homo solatio visibilium, quæ dilexit, scilicet cibo, potu, amicis, rebus, lumine, requie, & proprio corpore, quod numquam in tali forma suscipiet, immo vellet non habere, sicut quando pro dimidia parte corrosum est a vermibus, quia stupebit anima peccatoris, quando corpus resumendum videbit. Turbabitur peccator in morte, quando videbit concursum dæmonum ad animam: Omnes inimici ejus apprehenderunt *Thren. 1* eam inter angustias.

Postremo videndum est, qualiter peccatum premat hominem post mortem. Confusionem habebit ex malorum operum denudatione. Prophe- *Nahum. 3* ta, Revelabo pudenda tua in facie tua. Exprobrationem Christi audiet in judicio: Esurivi, & non dedistis mihi, &c. Requie & luce privabitur: *Matt. 25* Ligatis manibus, & pedibus mittite *Matt. 22* eum, &c. Unde non valebit ei ille cantus, Requiem æternam, &c. Suffragiis Ecclesiæ non gaudebit: Ver- *Isa. 66* mis eorum non morietur, & ignis eorum non, &c. In infernum præcipitabitur. Exemplum de lapide molari, quem Angelus in Apocalypsi *Apoc. 18* projecit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa, &c. A Deo, & electis, & omnibus bonis separabitur. Ite maledicti, &c. A sta- *Matt. 25* tu pœnitendi cadet. Transiit æstas, *Hier. 8 Isa. 30* finita est messis. Omnis spes misericordiæ præcidetur: Non remanebit testa, ut portetur igniculus, scilicet charitatis, de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea, scilicet divinæ misericordiæ. Sicut itaque peccatum nocet in peccato existenti, ac in peccato morienti, sic quoque multipliciter etiam nocet peccatum ipsum deserenti, & de illo pœnitenti, quia gloriam primæ innocentiæ numquam recuperabit. Sicut enim corrupta de cetero virgo non erit, ita semel peccans numquam se non peccasse gaudebit. Istud multis ostenditur exemplis. Nam post sanationem vulneris semper manet cicatrix. Item qui semel furatur, semper fur dicitur. Item domus ejus domus discalceati de cetero dici potest.

Item Simon, quem Dominus a lepra mundavit, post mundationem semper vocabatur Simon leprosus. Item templum quod reædificatum fuit post destructionem primi, nullo modo fuit si-

simile in pulchritudine templo priori. Ad temporalem pœnam obligat. Unde non exibit inde, donec reddat novissimum quadrantem. Item regnum cœlorum non intrabit, donec lignum, fœnum, stipula, id est, pœna peccatorum tam mortalium, quam venialium, quæ in præsenti soluta non est, super ipsum cremetur. A gloria retardat, quod figuratum est in Absalon, qui postquam patri reconciliatus fuit, tamen mansit duobus annis, quod faciem ejus non vidit: quia tamdiu differtur quis a gloria, quousque fiat sine omni macula, sicut erat in Baptismo. Tempus amissum, & meritum quod sibi conquirere potuit cum præmio, numquam recuperabit. Qui vendit, ad id quod vendidit, non revertetur. Obscurat oculum cognitionis, & hoc propter trabem, quæ intus erat: & propter stercora hirundinum, quæ ipsum excæcaverant, ut patet in Tobia. Unde August. Oculis ægris odiosa est lux, sicut noctuis, & vespertilionibus. Ad hoc nota de quodam cæco, quem licet Dominus illuminaverit, non statim perfecte vidit, sed vidit homines primo quasi arbores ambulantes. Affectum reddit tepidum sicut in pede vulneratus, etiam sanatus claudicat: & arbor de loco suo mota, aliquid virtutis amittit. Unde dictum est homini post peccatum: Spinas & tribulos germinabit tibi, & dictum est serpenti: Supra pectus tuum gradieris. Fastidium boni generat. Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Augustinus: Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis. Idem de se dixit, postquam conversus fuit: Plus valebat malum inolitum, quam bonum insolitum. Ad bene operandum impedit: Uxor Loth respiciens retro, versa est in statuam salis, quod, scilicet sterilem facit terram. Item: In dolore paries filios, sc. bonorum operum. Ad resistendum tentationibus debilitat. Samson post crinium abscissionem amisit vires, & arbor læsa per securim, cito a vento deicitur. Fervorem minuit charitatis, sicut eclipsis Solis diu post modum nocet terræ, eo quod modico tempore sibi virtus radiorum Solis subtrahitur. Rex David senuerat, & cum operiretur vestimentis, non calefiebat. Et aqua calorem ignis minuit, vel extinguit. Dolorem & timorem de cetero semper infligit. Dolorem quidem, quia certus est de perpetrata culpa. Timorem autem, quia incertus est de venia. Augustinus. Pœnitens semper doleat, & de dolore gaudeat, non semper doluisse se doleat. Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrii dupliciter, sc. in agendo, & suscipiendo. In agendo quidem, quia non potest semper facere quod oportet, vel vitare quod nocet. In suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter, sc. quantum ad discretionem judicii inter bonum & malum, & quantum ad deliberationem consilii inter expediens, & inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter, sc. in ordine, & in modo, quia nec semper est ordinatus, nec semper moderatus. Peccatum multis nocet, sc. ipsi facienti. Peccatum meum contra me est semper. His qui sunt in purgatorio, quos non possunt peccatores tam efficaciter juvare, sicut si essent in gratia: ipsis damnatis, & hoc per modum conjunctionis: quanto enim plures sunt in inferno, tanto major est horror & pœna. Fallit enim in inferno regula illa, Solatium est miseris socios habere pœnarum. Salvatis, & hoc per modum subtractionis. Nam ex consortio, & societate glorificatorum habetur gaudium accidentale. Denique ipsis viatoribus nocet, tum pro eo quod acies eorum contra dæmones minuitur in illo qui peccatum perpetrat, tum pro eo quod alios malo exemplo corrumpit, & scandalizat. Multa mala similiter eveniunt homini ex eo, quod in peccatum a quo per pœnitentiam surrexerat, recidivat. Primum est, quia homo fit impotentior ad resurgendum. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, &c. & prolapsi sunt, iterum renovari. Secundum, quod vitium fortificatur ad impugnandum. Augustin. de se oquens: Plus, inqut, valet malum inolitum, quam bonum insolitum. Tertium est, quod

Matt. 5 | 1 Cor. 3 | 2 Reg. 14 | Ezech. 7 | Luc. 6 | Tob. 2 | Aug. l. 7 conf. c. 16 | t. 1 | Mar. 8 | Gen. 3 | Num. 21 | Aug. ibid. ubi sup. prox. | Gen. 19 | Gen. 3 | Gen. 18 | Judic. 16 | 3 Reg. 1 | Ps. 50 | Heb. 6

B C

culpa sit difficilior ad remittendum. In Hieremia: O quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. Unde etiam dicitur, quod vulnus iteratum tardius sanatur. Quartum est, quod Deus sit difficilior ad placandum, de Semei, qui ad primam petitionem invenit misericordiam, eo tamen pacto, quod staret in Hierusalem: sed quando secundario peccavit, sine ulla misericordia occisus est. Quintum est, quod diabolus difficilior est ad expellendum. Tunc assumpsit septem spiritus nequiores se, & ingressus habitat ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

Hier. 2

3 Reg. 2

Luc. 11

Sequitur de corruptione speciei, modi, & ordinis. Unde nota quod bonitas naturalium comparata ad animam quam speciosam facit, dicitur species: sed comparata ad opus quod modificat, dicitur modus: comparata vero ad finem, sc. Deum ad quem ordinat, dicitur ordo. Alio modo corruptio speciei est dissimilitudo animæ ad Deum. Nam species animæ, similitudo Dei est. Corruptio vero modi est diminutio extensionis virtualis, sive infirmatio potentiæ, quæ ex hoc est, quod animæ non sustentantur cibo spirituali, gustando, quam suavis est Dominus. Corruptio autem ordinis est in anima, cum aspectus & affectus deorsum est ad creaturas extra naturalem situm. Cum enim hæc, quæ sunt quasi caput animæ, sursum sunt ad Deum, in naturali situ & ordine sunt: alioquin homo erit quasi eversus. Aliter privatio speciei est deformitas sive carentia debitæ rectitudinis voluntatis. Rectitudo autem voluntatis est, ut non declinet a suis extremis, scil. a Deo principio, & a Deo fine, ut videlicet omnia, quæ habet a Deo principio, referat etiam ad Deum finem. Cum enim quis quod habet sibi attribuit aut ponit alium finem, quam Deum, curvus est. Item privatio modi est excessus propriæ voluntatis sc. cum vult aliquid divinæ voluntati contrarium. Item privatio ordinis est aversio voluntatis a Deo, & conversio ipsius ad creaturam. Item & aliter, Creatura rationalis aliter a summo bono est secundum triplicem habitudinem, sc. efficientis formalis, ac finalis: & ideo nata est agere opera sua a Deo, & secundum Deum & propter Deum, & hoc secundum modum, speciem, & ordinem sibi insitum. Sed quoniam eadem rationalis creatura de nihilo facta fuit, potuit deficere in suis actionibus, ut sc. operationes suæ non essent a Deo, ac per hoc, nec secundum Deum, nec propter Deū: hoc autem est peccatum ipsius speciei, & modi, & ordinis corruptivum.

A

CAPUT VIII.

De peccato originali secundum rem.

B

Expedito de peccato in genere, dicendum est de peccato in specie: & primo de originali, & post de actuali. Licet igitur anima non sit ex traduce, tamen originalis culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum mediante carne per concupiscentiam generata, ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad libidinem; ita seminata caro secum trahens infectionem, vitiat animam. Ex quo patet quod peccatum originale est in carne, & in anima. In carne est materialiter, & originaliter: & in anima formaliter tamquam in subjecto. Sola enim anima est susceptibilis virtutis & vitii, & tamen (sicut dictum est) ex conjunctione ad corpus contrahit illud vitium, sicut quando cadit quis in lutum, fœdatur & maculatur. Talis autem infectio animæ non tantum est pœna, sed etiam culpa. Ipsa vero culpa, quæ macula est, deletur in Baptismo: pœna autem quæ fomes appellatur, sive peccandi pronitas, remanet post baptismum. Licet enim curetur in Baptismo culpa quantum ad reatum damnationis æternæ, tamen remanet ipsa pœna quantum ad actum, & motum concupiscentiæ, cum qua nos oportet quandiu vivimus, pugnare: quia non extinguitur concupiscentia per gratiam communem in aliquo homine: quod dico propter Beatam Mariam Virginem, in qua fuit extincta in conceptione Filii per gratiam singularem. Ex prædictis

C

pa-

patet quod persona corrumpit naturam, & econtra natura corrupta corrumpit personam. Nam per peccatum primi hominis corrupta est humana natura, sed natura sic corrupta corrumpit alias personas. Notandum autem quod corruptio personæ est reatus mentis: corruptio vero naturæ est infectio carnis, prout est principium ad carnem alteram. Denique nullo modo debet imputari Deo infectio animæ, licet eam creando infundat, & uniat cum carne infecta: quoniam ordinatissimum fuit, ut humana natura ita conderetur, quod condita propagaretur, & pro peccato puniretur. Unde sicut in conditione servatus est ordo sapientiæ, & in propagatione servatus est B ordo naturæ: sic in punitione servari debuit ordo justitiæ. Et ita patet quod non est contra divinam æquitatem, si ad posteros culpa transmittitur. Dicendum igitur quod originalis culpæ transfusio, vel transmissio non est a Deo, nec a natura condita, sed a vitio primi hominis perpetrato. Et hoc est, quod ait Augustinus, quod peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio, sed libido. Sic enim conditus est homo, ut spiritus præesset corpori, & corpus subesset spiritui, quamdiu scilicet, ille obediret suo conditori: & contra si spiritus non obediret Deo, justo Dei judicio corpus inciperet rebellare spiritui. Si C cut ergo si Adam stetisset, corpus suum obediens ei esset, & tale ad posteros transmitteret; sic ex quo Adam peccavit, & caro ejus facta est ei rebellis, opportet quod talem ad posteros transmittat, & quod Deus secundum institutionem primariam animam corpori infundat. Ex quo patet quod pater est causa originalis peccati in filio, sed causam hic intelligas in genere causæ efficientis. Omnes per concupiscentiam generati nascimur filii iræ: propter quod incurrimus multiplicem defectum tam corporis, quam animæ, ad quos subsequitur pœna mortis, & pœna carentiæ visionis divinæ, & amissionis gloriæ cœlestis, non solum in adultis, verumetiam in par-

A vulis non baptizatis, qui pœna mitissima inter cæteros puniuntur, qui solam pœnam damni habent sine pœna sensus.

Originale peccatum sic lavatur & curatur per Baptismum in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est, & lavatus, transmittitur in prolem, sicut videmus, quod circumcisus generat filium cum præputio, & granum nudum seminatum generat granum cum palea: & hæc est ratio, quia homo generat filium, non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus est in carne: non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis.

Caput IX.

De peccato originali secundum nomen.

Originale peccatum habet multa nomina, & hoc multiplici de causa. Secundum enim quod originale peccatum comparatur ad animam, vocatur infirmitas, quia reddit animam impotentem ad resistendum motibus. Item fœditas, quia per ipsum anima fœdatur & maculatur. Item pronitas, propter continuam inclinationem appetitus ad malum. Item corruptio, quia ducit ad nihilum, id est, ad peccatum. Item vitium, quia est diminutio bonorum naturalium. Item languor naturæ, quia durat in natura corrupta. Sed secundum quod comparatur ad corpus, vocatur lex carnis, eo quod lege divina carni sit inflicta. Item lex membrorum, quia movet organa ad opera concupiscentiæ. Item tyrannus, propter dominationem quam habet, quasi violentam in ipso concupiscibili. Item fomes, quia sicut cinis fovet ignem, ita per ipsum fovetur peccatum in carne secundum actum nutritivæ & generativæ. Item stimulus carnis, quia stimulat carnem ad primos motus, & animum ad consensum. Sed prout comparatur ad actus delectabiles, vocatur concupiscentia, quæ sonat vitium in actu, prout est in adultis.

Item concupiscibilitas, quæ sonat vitium in potentia, prout est in parvulis. Secundum vero quod comparatur ad primum hominem, a quo contrahitur, vocatur peccatum originale, quod est carentia debitæ justitiæ.

Caput X.

De primis motibus.

CUM peccatorum aliud sit actum, aliud contractum, ipsum peccatum actuale frequenter a primis motibus habet ortum. Unde sciendum, quod in statu innocentiæ, non movebatur sensualitas nisi secundum motum rationis. Ideo stante primo homine in eodem statu, non poterat in eo esse peccatum etiam veniale. Primi motus & si particulariter, & singulatim possunt declinari, tamen nullo modo omnes possunt caveri, quia sic tot sunt peccata quot sunt etiam peccati pœnæ: & ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso sunt digna venia. Primus motus sic describitur, quod est motus sensualitatis secundum impulsum fomitis impetuose tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis. Dupliciter primus motus distinguitur quantum spectat ad præsentem materiam, scilicet primo primus, qui est naturalis, & secundo primus, quis est sensualitatis.

Cum ergo loquimur de primis motibus, quod sunt peccata, intelligendum est de secundo primis, qui sunt sensualitatis, quia primo primi non sunt peccata, cum sint naturales, & extra genus moris: quod patet per hoc, quod tales non sequuntur imaginationem, sed solummodo naturalium qualitatum actionem. Motus autem secundo primi sunt peccata, quia sunt actus inordinati in genere moris, quod patet per hoc, quod tales motus sunt sensualitatis, quæ subjacet in talibus dominio voluntatis. Voluntas autem est principium moralium, sicut habetur 7. Etic. Hinc est quod ibi genus moris incipit, ubi primo dominium voluntatis invenitur, hoc autem est in sensualitate. Quamvis ergo per rationem predictam sit in sensualitate peccatum, non tamen hoc erit mortale, sed tantummodo veniale, quia voluntas non habet dominium completum super primos motus, qui sunt sensualitatis, sicut in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt, sed habet in eis dominium incompletum, sicut in illis actibus, qui non imperium rationis præcedunt, & tamen voluntas tales motus sensualitatis impedire poterat, & ideo sunt peccata venialia. Primi quoque motus ideo sensualitati ascribuntur, quia talium motuum principium sensualitas est & subjectum. Dicendum quoque quod primi motus secundum prædicta sunt peccata venialia, triplici ratione. Primo, quia movent ad illicitum. Secundo, quia sunt quodammodo voluntarii, non secundum se, sed quia, sicut dictum est, non impediuntur a voluntate, vel etiam propter præcedentem apprehensionem. Tertio, propter delectationem annexam. Cum enim anima per delectationem conjungitur creaturæ, obtenebratur, & pejoratur: sicut quando conjungitur Deo, illuminatur & melioratur. Nota quod homo pronior est ad malum, quam ad bonum, & hoc multis de causis. Primo, quia sicut dicitur: Corpus quod corrumpitur, aggravat animam trahens illam ad malum, & non sic erigens ad bonum. Secundo, quia sicut dicit Augustin. Plus valet malum inolitum, quam bonum insolitum. Tertio, quia naturaliter facilius est descendere, quam ascendere: & unus magis trahit deorsum, quam decem sursum. Quarto, quia incitans ad malum præsens est, sed finis virtutum incitans ad bonum absens est. Delectabile autem apprehensum per sensum, vel imaginationem, quasi de necessitate movet concupiscentiam. Quinto, quia plures circumstantiæ requiruntur ad bonum, quam ad malum. Sexto, quia tendimus ad nostrum principium, scilicet ad nihilum. Septimo, quia fomes, qui movet ad malum, semper intra nos est: gloria vero quam quærimus, extra nos est. Octavo, quia vires animæ sunt activæ ad diligendum

Sap. 9.

dum temporalia: sed passivæ & materiales ad ea, quæ sunt gratiæ & gloriæ. Quia non possunt haberi virtutes per modum acquisitionis, sed per modum receptionis. Unde malum possumus facere per nos, sed bonum non possumus facere sine gratia adjutrice.

Caput XI.

De morosa delectatione, & consensu in peccatum.

Delectatio carnalis morosa peccatum est mortale. Sed nulla dicitur morosa, nisi quando ex consensu rationis est: unde non intelligitur ibi mora temporis, sed consensus. Sciendum est ergo quod delectatio si sistit circa consensum, veniale peccatum est: si vero procedit ulterius, ita quod vult interius delectatione voluptuari, nec tamen vult in opus procedere: talis consensus est inter mortalia computandus, quod maxime debet intelligi in peccatis carnalibus: Verumtamen ille consensus in illecebram duplex est, quia consensus in illecebram aliquis est subitus, non per præhabitam deliberationem, sed ex sola corruptione carnis, quam præcedit appetitus sensualitatis in primo motu. Talis autem consensus dicitur subreptio, & est peccatum veniale. Alius consensus est in delectatione motuum carnis, qui est cum deliberatione rationis, & iste est peccatum mortale, ut dictum. Si autem ratio consentit cum deliberatione, quæ fit per rationes divinas, hoc modo, quia omne lege Dei prohibitum est vitandum: tunc dicitur, peccatum esse in superiori parte rationis. Sed si deliberatio fit per rationes humanas vel naturales, hoc modo, omne in quo transgreditur medium virtutis, est vitandum, tunc dicitur peccatum esse in inferiori parte rationis. Et si adhuc procedit consensus ulterius, quando scilicet proponit opus consummare, tunc voluntas pro facto reputatur, etiam si facultas desit perficiendi ipsum opus. Si vero consequitur consensus & opus in his, quæ divina lege sunt prohibita, peccatum est mortale consummatum.

A Ex prædictis collige distinctionem, quia delectatio duplex est, scilicet naturalis, & voluntaria. In delectatione pure naturali, nec est meritum, nec demeritum. Voluntaria duplex est, quia alia est in Creatore, alia in creatura. Delectatio, quæ in Creatore est, bona est, de qua Psalmus: Memor fui Dei, & delectatus sum, &c. Quæ autem in creatura est, duplex est: quædam enim est propter Deum, & hæc bona est: sed hic sumitur delectatio pro opere rationis, non pro passione de qua Psalmista: Delectasti me Domine in factura tua: Quædam est contra Deum: & hæc similiter duplex est, quia quædam est non contra Deum, sed præter Deum, & hæc est peccatum veniale: quædam vero est contra Deum simpliciter, qua frangitur Dei præceptum, & hæc est peccatum mortale.

Ps. 76

Psal. 91

B

Caput XII.

De peccato veniali.

Peccatum veniale minoris est culpæ. Nam in parvulis post baptismum primo surgunt venialia, postea mortalia. Veniale autem peccatum est, ut ait Aug. quod hominem usque ad reatum perpetuæ mortis non gravat, sed pœnam meretur, & facile indulgetur. Peccatum veniale semper est a voluntate ad hoc movente, vel permittente, vel non prohibente. Peccatum aliquod est veniale tribus modis. Primo modo ex genere, sic verbum otiosum est veniale. Secundo ex eventu, secundum quod per pœnitentiam de mortali fit veniale. Tertio ex causa, ut quando fiunt quædam ex infirmitate vel ignorantia, quæ licet quandoque sint mortalia, tamen dicuntur venialia, sive remissibilia ex comparatione ad peccatum, quod fit ex certa malitia, quod est irremissibile. Sciendum quod peccatum veniale numquam potest fieri mortale, videlicet, si intelligatur idem secundum substantiam, quod prius fuit veniale, mortale fieri numquam potest: & hoc nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam. Ratio hujus est,

C

quia nulla res potest mutare suam speciem. Peccatum autem veniale & mortale sunt diversæ species peccati. Verumtamen actus qui ex se est de genere venialis, potest fieri mortalis quatuor modis. Primo ex conscientia: quia quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, etiamsi fiat contra conscientiam erroneam: & hæc est ratio, quia cum in peccato duo sint, scilicet aversio & conversio: penes primum judicatur peccatum, quoniam aversio a Deo, est quasi formale; & conversio ad creaturam, quasi materiale. Quamvis ergo levare festucam, vel calamum dextera, videatur esse leve, & indifferens, tamen quando fit contra conscientiam, peccatum est mortale: quia spernitur bonum incommutabile, & ita fit aversio a Creatore. Secundo ex complacentia. Unde Augustinus: Nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Tertio, ex dispositione, quia frequenter per lapsum in venialia, disponitur homo ad mortalia: & hoc secundum illud Gregorii: * Vitasti saxa grandia, vide ne obruaris arena. Et hoc ideo dicit, quia sæpe de minimis peccatis venitur ad magna, sicut de modica scintilla quandoque surgit magnus ignis. Qui minima spernit, paulatim decidet. Quarto, ex progressu, quia quando insurgit veniale, si non prohiberetur, posset progredi usque ad mortale: non quia ipsum veniale in substantia posset fieri mortale, sed quia ex ipso occasionaliter fieret progressus ad mortale. Et istud patet in primis motibus, qui inter venialia computantur: sed quando delectatio convalescit intantum quod consensus accedit, jam peccatum est mortale.

* Est apud August. in Ps. 39 t. 8 Eccl. 19

Differentia est inter peccatum mortale & veniale quia peccatum veniale est libido, sive voluptas in creatura citra Deum: mortale autem est libido, sive voluptas in creatura supra Deum, vel æque Deo. Rectus autem ordo est, ut bonum incommutabile præferatur bono commutabili, & honestum utili, & voluntas Dei voluntati nostræ, & ratio sensualitati: & quando iste ordo pervertitur, tunc peccatum committitur.

Utrum aliquis possit esse, vel vivere sine peccato veniali dum est in hac vita præsenti? Dicendum est, quod si loquimur de tota vita hominis, qui pervenit jam ad ætatem adultam, de excellenti & speciali gratia est, quod talis sine veniali peccato sit, sicut B. Augustinus dicit de B. Virgine. Si autem loquimur de aliqua particula vitæ præsentis, sic potest aliquis esse sine peccato veniali. Istud patet per exemplum, quia nauta potest singula foramina navis in numero obstruere, ne aqua intret, sed non potest simul omnia obstruere, ut aqua nusquam intret. Unde charitas etiam perfecta non facit, quod peccatum veniale non adveniat, sed facit quod non duret, quemadmodum caminus ignis non facit, ut gutta aquæ sibi non apponatur, sed facit tamen ut apposita citius extinguatur. Perfecta enim charitas statim inflammat hominem, ut de peccato veniali doleat, & pœniteat, quod non facit charitas imperfecta, unde in imperfectis aggregantur multa venialia, per quæ fit ad prostrationem major dispositio.

Aug. De natur. & gratia contra Pelag. c. 36 in me. to. 7

Caput XIII.

De effectu peccati venialis.

Effectus peccati venialis multiplex est. Primus, quia ad pœnam obligat, non autem determinate, neque præcise obligat ad pœnam æternam, vel purgatoriam, vel præsentis satisfactionis, sed ad aliquam illarum pœnarum: quoniam secundum forum Ecclesiæ præsentis satisfacit homo leniter, sed secundum forum purgatorii punietur gravius, secundum vero forum inferni punietur gravissime pro veniali: quia æternaliter, si cum mortali & veniali decesserit. Exemplum habemus de hoc: quia mensura vini quæ in uno loco valet sex denarios, si ducatur ulterius, valet solidum unum, & si ducatur adhuc ulterius, valet duos solidos. Pœna tamen illata pro veniali in inferno, incomparabiliter minor est, quam illata pro mortali. Unde solet dici quod pœna illata in inferno pro mortali, est sicut soliditas, illata vero

ro

ro pro veniali est sicut superficies. Illata pro veniali in purgatorio est sicut linea. Illata pro veniali in præsenti est sicut punctum. Unde sicut ista quatuor sunt improportionabilia, ita inter prædictas pœnas magna est differentia. Secundus effectus est, quod peccatum veniale animam maculat: & ponitur tale exemplum. Aliquando enim denigratur aliqua imago depicta, intantum ut videri non possit. Aliquando vero sic obscuratur, ut videri quidem possit, sed non plene discerni, & ideo propter talem differentiam dicit Gregorius, quod veniale obscurat, mortale vero obtenebrat. De macula autem ista dicitur, quod in salvandis omne peccatum veniale deletur in præsenti a gratia finali, & hoc quantum ad culpam, & non quantum ad pœnam: immo illa solvetur in purgatorio. Delet autem gratia finalis peccatum veniale in ipsa dissolutione corporis & animæ ex virtute suæ complexionis, & sui status, quamvis non sit motus contritionis ad illud directus, secundum quod intelligitur verbum Augustini, qui dicit, quod in purgatorio potest esse absolutio a pœna, & non a culpa. Hoc ab antiquis dictum est, sed nunc communiter tenetur, quod peccatum veniale cum hinc deferatur a multis, etiam quantum ad culpam, in purgatorio purgatur: quia etiam hoc, quod Dominus dicit de quibusdam peccatis, quod non remittentur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, exponit Gregorius, quod venialia remittentur in futuro: quod si intelligatur quantum ad pœnam tantum, tunc expositio Gregorii nulla est: quia etiam mortalia confessa, quantum ad pœnam purgantur, quæ hic soluta non sunt. Tertius effectus est, quod minuit fervorem charitatis, sicut aqua in igne projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Quartus est, quod potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Quintus est, quod retardat a gloria, quia homo qui decedens alioqui posset statim evolare ad cœlum, post mortem cogitur propter venialia ad tempus in purgatorio expectare. Numquam enim ab aliquo facies Dei videbitur, donec solvat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per pœnam. Oportet enim quemlibet ita mundum esse ante introitum Paradisi, sicut fuerat in innocentia baptismali. Sextus est, quod bona gloriæ cœlestis diminuit: non quidem illa, quæ jam debentur, & quæ jam habemus ibi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia non fierent, quia in eo tempore possent aliqua bona fieri quando illa fiunt. Propterea post perpetrationem venialium oportet nos opera quædam convertere ad solutionem hujusmodi debitorum, per quæ nobis deberet crescere cumulus æterni præmii. Septimus effectus est, quod venialia sæpe sunt occasio mortalium peccatorum, & hoc quatuor modis, sicut habes supra capite proximo, ubi dicitur, quod actus qui ex se venialis est, potest fieri mortalis quatuor modis. Hoc est etiam singulariter advertendum, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi cum voluntate in posterum abstinendi, sic quoque peccatum veniale in præsenti non dimittitur, nisi actu & proposito deseratur.

Greg. lib. 4 Dialog. c. 39

Matt. 5

Caput XIV.

De septem vitiis capitalibus in specie.

Peccatorum actualium mortalium unum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput. Unum initium dicimus superbia: juxta illud, Initium omnis peccati superbia. Duplex vero radix est, scilicet timor male humilians, & amor male accendens. Omnis autem timor ortum habet ab amore: nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere. Triplex peccati fomentum, sunt tria quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Septiforme caput sunt, Superbia. Invidia, Ira, Acedia, Ava-

Eccl. 10

1 Joan. 2

Avaritia, Gula, & Luxuria. Inter quæ sunt duo carnalia, quinque vero spiritualia. Sufficientia horum vitiorum sic potest colligi. Voluntas nostra deordinatur, aut quia appetit non appetendum, aut quia refugit non refugiendum. Si primo modo, aut est interius, & sic est vana gloria: aut exterius, & sic est avaritia: aut inferius, & sic est delectabile. Sed illud delectabile, aut est ad conservationem individui, & sic est alimentum quod appetitur inordinate a gula: aut est ad conservationem speciei, & sic est coitus, qui appetitur inordinate a luxuria. Si autem voluntas nostra deordinatur, quia refugit, quod non est refugiendum, hoc potest esse tripliciter. Aut enim refugit quod non est refugiendum, secundum perversum instinctum rationalis, & sic est invidia: aut secundum instinctum perversum irascibilis, & sic est ira: aut secundum perversum instinctum concupiscibilis, & sic est acedia. Ex his patet quod sunt quatuor appetibilia, & tres sunt vires secundum quarum instinctum est fuga: & ideo tantum sunt septem capitalia peccata.

Peccata quædam sunt, quæ quandoque se publice ostendunt, ut quando directe fiunt: quandoque vero sub quadam specie boni palliata decipiunt. Unde superbia quandoque dicit: Ad hoc volo præesse, ut possim prodesse. Ita dicit: Non debent illata mala tolerari, ne consuescant inferri. Invidia dicit: Aliis bona non cupio, ne in successibus eleventur. Acedia dicit: Ad hoc in laboribus mihi parco, ne temeritate indiscretionis arguar. Avaritia dicit: Ad hoc sunt multa congreganda, ne propter inopiam committatur furtum vel rapina. Gula dicit: Ad hoc est corpus cibis & potibus delicatioribus nutriendum, ut sit fortius ad Deo serviendum. Luxuria dicit: Ad tempus debet quisque ad libitum vivere, ut possit postea fortiter pœnitere.

Septem vitia comparantur septem bestiis. Superbia comparatur leoni. Invidia cani. Ira lupo. Acedia asino. Avaritia ericio. Gula urso. Luxuria porco. Alio modo comparantur septem infirmitatibus. Superbia comparatur inflationi. Invidia lepræ. Ira phrenesi. Acedia lethargiæ. Avaritia hydropisi. Gula epilepsiæ. Luxuria febri. Septem vitia Christi passione curantur. Capitis inclinatio in cruce curat superbiam. Oratio pro inimicis iram. Apertio lateris invidiam. Portatio crucis acediam. Traditio spiritus Patri, corporis cruci, matris discipulo, vestium crucifixoribus, hæc curant avaritiam. Flagellatio luxuriam. Potatio fellis gulam.

Joan. 19
Luc. 23
Joan. 19

Caput XV.

De superbia.

NUnc dicendum est de septem vitiis capitalibus in specie, & primo de superbia, quæ est regina omnium vitiorum, & mater. Est autem superbia, ut ait Augustinus perversæ celsitudinis appetitus. Unde sicut idem Augustinus ait, Superbia omnibus invidet, scilicet superioribus, quia eis non æquatur, inferioribus, quia eis æquari timet: paribus, quia eis æquatur.

Aug. lib. 14 de civ. Dei c. 13 tom. 5 Idem lib. 11 in Gen. c. 13 tom. 3

Superbia dicitur initium omnis peccati triplici ratione. Primo, propter causam, quæ invenitur in omni peccato: quia in omni peccato invenitur contemptus Dei, qui est quædam causa peccati. Iste autem contemptus est aversio a Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili: quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Abstrahe superbiam, & habebis gratiam: quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Convexum enim inquantum hujusmodi non est receptivum, sed concavum. Secundo, quia primum peccatum fuit: hoc enim genere peccavit diabolus in cœlo, & primus homo in Paradiso. Tertio, quia ex ea nascuntur alia vitia secundum prius & posterius, hoc est, mediate & immediate, sicut habetur supra cap. De effectu vitiorum. Est autem inter superbiam

Jac. 4

biam & vanam gloriam differentia, A quia licet utrobique sit appetitus propriæ excellentiæ, tamen superbus sibi apparet magnus intus, sed vaniglorius appetit in ore aliorum per laudem apparere extra.

Diversa peccata dicuntur radices, & initia sive causæ aliorum peccatorum, sed diversis respectibus. Superbia enim dicitur initium omnis peccati, propter tres causas superius enarratas. Libido etiam dicitur causa omnis peccati, sicut ait Augustinus, & hoc propter delectationem creaturæ, quæ inordinate trahit animam & avertit a summo bono. Est enim libido improba voluptas, qua movetur anima rationalis ad hoc quod delectetur in creatura. Cupiditas etiam dicitur radix omnium malorum: quam quidam appetentes erraverunt á fide, sicut dicit Apostolus: & hoc propter eamdem rationem sicut libido. Est enim cupiditas ex amore inordinato ad creaturam. Luxuria etiam secundum Cassianum dicitur radix omnis peccati: quia carnales delectationes nobis sunt naturales; ad naturalia autem prompti sumus, & difficulter resistimus.

1 Tim. 6

Cassia. lib. 5 de instit. renunc. c. 1

Inanis gloriæ septem sunt filiæ secundum Gregorium. Prima est inobedientia, qua vaniglorius in nullo vult videri inferior: quod fieret, si faceret mandatum. Secunda est con- C tentio, quia vult vincere cum clamore, & per hoc apparere. Tertia est jactantia, qua quis enumerat bona sua, ut laudibilis appareat. Quarta est hypocrisis, quæ quærit in exterioribus apparere. Quinta est pertinacia, quæ factum suum, vel dictum malum defendit, ne errasse videatur. Sexta est discordia, quæ contra omne dictum sustinet, vel assumit contrarium, propter vanam gloriam. Septima est novitatum præsumptio, qua quis nova, vel dicit, vel invenit, ut laudetur.

Greg. lib. 31 Mor. cap. 17

Quatuor sunt species superbiæ, quas assignat Gregorius. Prima est, cum homo a seipso æstimat habere bonum quod habet. Secunda, si desuper datum credit, pro suis tamen meritis accepisse se putat. Tertia, cum jactat se habere bonum, quod non habet. Quarta, quando cæteris despectis singulariter vult videri. Per primam & secundam speciem injuriatur homo Deo in se, quia per primam ponit se homo totam causam sui boni: sed in secunda ponit se causam principalem: in tertia vero specie injuriatur homo Deo in proximo: in quarta autem injuriatur homo Deo in eo, quod non habet.

Greg. lib. 23 Mor. cap. 4 non longe a princ.

Gradus superbiæ secundum Bernardum sunt duodecim, qui sunt, curiositas, mentis levitas, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, peccatorum defensio, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Numerus istorum sic accipitur. Homo per superbiam injuriatur Deo, B & homini: Deo, cui debet esse inferior: homini, cui debet esse par: Sex primi gradus determinantur secundum injuriam, quæ fit homini, cui debet esse par: quatuor alii secundum injuriam, quæ fit homini superiori. Duo ultimi determinantur proprie quantum ad injuriam, quæ Deo immediate fit: hoc ideo dicimus, quia & superiores gradus in Deum redundant, sed mediante proximo. Gradus autem vocantur, quia fit a minori progressus ad majus. Primus enim malus est, secundus pejor est, & sic scandendo invenitur, quod ultimus est pessimus. Unde injuria, quæ est respectu paris, est minor. Illa vero quæ est respectu superioris, est major: sed illa quæ est respectu Dei, est maxima. Propter quod isti gradus taliter ordinantur. Superbia multa mala facit. Primo id quod Dei est, usurpat, scilicet gloriam. Gloriam meam alteri, &c. In bonis enim operibus, quæ facimus, duo sunt, scilicet honor & utilitas: sed primum Dominus sibi reservat, aliud nobis tribuit. Unde debemus Deo suam partem reliquere, si nostra parte nolumus spoliari. Secundo perfectos viros impugnat. Superbia est enim quasi turris Babel, quæ usque ad cœlos, id est usque ad viros cœlestes debebat pertingere. Augustinus: Superbia etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Unde superbia inexpugnabilis est sicut castrum in

Ber. tract. de gradib. hum. §. Primus Itaque & seq.

Isa. 42

Gen. 11

Aug. Regula 1 c. 5 fe. 1

in alto monte situm. Tertio gratia Dei hominem denudat. Superbis Deus resistit, &c. Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniant super vos. Unde secundum naturam convexum non est receptivum, sed concavum. Quarto hominem Deo privat. Hugo de S. Victore: Superbia aufert mihi Deum, invidia proximum, ira meipsum. Superbia Deo est odibilis. Tria sunt quæ odit Deus, Pauperem superbum, &c. Deum impugnat, quia vexillum inimici sui, id est diaboli ponit in castro suo, & deponit vexillum Christi, scilicet crucem, quam semper homo debet portare, juxta illud: Qui vult venire post me, &c. Diabolo hominem assimilat. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Unde sicut Dominus ait de charitate: In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem: ita potest diabolus dicere de superbia: In hoc cognoscent, &c. Hominem stultum demonstrat, quia ancillam ornat, & dominam nudam relinquit. Item quia magna pro modico vendit, id est, pro laude humana. Item quia credit se posse cum superbia illuc attingere, ubi diabolus jam existens non potuit cum superbia remanere. Hominem deiicit, quia scandentes in altum de facili cadunt: & qui se elevant sub ostio humili, facile caput lædunt.

Jac. 4 — 2 Reg. 1 — Eccl. 25 — Mat. 16 — Job. 41 — Joan. 13

Caput XVI.

De invidia.

Aug. enar. in Psal. 104 tom. 8 Damasc. orthod. fid. lib. 2 c. 14

INvidia est, ut ait Augustinus, odium fælicitatis alienæ. Secundum Joannem Damascenum: Invidia est tristitia de alienis bonis. Dicitur autem invidia a non videndo, quia non potest videre bona aliorum. Unde displicentia boni, quæ est invidia potest notari per visionem interiorem & exteriorem, sicut vult Seneca, dicens: Quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus.

Greg. lib. 31

Invidia quinque filias habet secundum Gregorium: Prima est odium, A quod est velle malum alicui, & nolle bonum. Secunda est exultatio in adversis proximi. Tertia est afflictio in prosperis proximi. Quarta est susurratio, quæ est detractio latens. Quinta est detractio, hæc autem fit in aperto, quia intendit melior apparere illo cui detrahit. Mar. c. 15

Invidia multa mala facit. De lumine cæcatur, quia proximi bona videre non potest. Unde invidus comparatur noctuæ & vespertilioni. Augustinus: Ægris oculis odiosa est lux, quæ puris est amabilis. Aug. lib. 7 confess. c. 16 tom. 1

De vita moritur. Gregorius: Panis vitam fortium roborat, parvulorum necat. Unde invidus comparatur febricitanti, cui etiam boni cibi B sunt contrarii. Deo contrariatur, quia tam bonus est Deus, ut ait Augustinus, ut etiam de malis bonum eliciat: sed e contra tam mali sunt isti, ut de bonis malum eliciant. Item divina bonitas omnia sua communicat, isti vero non. Item Deo placet bonum hominis, ac malum displicet: isti autem e contra bonum gratiæ & naturæ pervertunt. Unde sicut omnia munda mundis, sic istis omnia sunt immunda. Et sicut bonis mala cooperantur in bonum: ita invidis bona cooperantur in malum. Unde tales aurum convertunt in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, gaudium in mœrorem, rosam C in paliurum, balsamum in sterquilinium, electuarium in venenum. Tales maledicit Isaias: Væ qui dicitis bonum malum, &c. Stultum efficit. Nimis errat, qui idcirco sibi vult unum oculum erui, ut aliis etiam unus eruatur: sic facit invidus & diabolus, qui per hoc quod aliis invidet, sibi magis nocet. Auctorem suum torquendo lædit. Seneca: Utinam invidi in omnibus civitatibus oculos & aures haberent, ut de omnium profectibus torquerentur. Proximum fraudulenter decipit. Unde invidus comparatur cani, qui blanditur in facie, & mordet a tergo. Item Judæ, qui osculo Christum tradidit. Item homini perfido, qui lædit hominem, qui eum numquam molestavit. Isa. 5 — Mat. 26

C 4

Caput XVII.

De ira.

Aug. lib. 14 de civ. Dei, c. 16 IRa est, ut ait Augustinus, ulciscendi libido, & secundum Cassian. Ira est motus animi concitatus ad pœnam. Hæc est definitio iræ per vitium, non per zelum, de qua est hic agendum. Ira igitur duplex habet esse, scilicet esse naturæ, & esse moris. Prout ergo deordinat ab optimo, habet esse morale, quo vitium est, quia ira non est peccatum ratione puræ passionis, imo pœna: sed cum hoc dicit quamdam actionem, per quam deordinat hominem, & quantum ad Deum, & quantum ad proximum. Vult enim a se expetere vindictam, quam non debet expetere nisi a Deo, vel a judice sub Deo constituto.

Utrum autem teneatur quis remittere injuriam inimico petenti? Nota distinctionem: quia ex injuria solent oriri tria. Primum est rancor in affectu. Secundum est rancoris signum in effectu. Tertium est actio contra injuriantem. Primum tenetur quis statim remittere, etiam si non rogetur. Secundum tenetur remittere veniam veraciter petenti, id est, parato emendare secundum facultatem suam. Tertium non tenetur remittere. Si vero volueris scire, utrum ille cui facta est injuria, debeat amicitiam quærere: sciendum quod duplex est debitum. Primum est necessitatis, sine quo non est salus. Secundum est perfectionis. Quantum ad primum debitum non tenetur quis reconciliationem quærere sive amicitiam, sed de secundo dicit Chrysostomus, quod debet quærere reconciliationem, ut duplicem coronam consequatur. Unam, quia injuriam passus est. Aliam quia prior rogavit. Dominus autem ponit tres gradus circa reatum iræ, cum dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. De his dicendum est, quod ubi crevit gradus culpæ, crevit & *Matt. 5*

A ordo pœnæ. Unde recte ira sine voce punienda est judicio: ira cum voce, concilio: ira cum voce contumeliæ gehennæ ignibus mancipatur. Secundum Augustinum enim in primo est ira tantum, in secundo ira & sermo, in tertio ira est, & certa expressio irrisionis.

Dicit autem Gregorius, quod judicium est causæ discussio, concilium sententiæ diffinitio, gehenna ignis sententiæ executio. *Greg. lib. 21 Mor. cap. 4*

Notandum quod reddere malum pro malo, est fragilitatis, sicut fecit Joab, quando interfecit Abner, scilicet intefectorem fratris sui Asael. *2 Reg. 2* Sed reddere malum pro bono, est perversitatis, sicut fecit Judas tradendo *Matt. 26*
B Christum. Reddere bonum pro bono, est æquitatis, sicut fecit Assuerus, *Esthe. 6* quando Mardochæum honoravit. Reddere bonum pro malo, est perfectionis, sicut fecit beatus Stephanus, *Act. 7* quando pro inimicis oravit.

Filiæ iræ secundum Gregorium sunt sex. *Greg. lib. 31 Mor. cap. 17* Prima est rixa, hæc est audax voluntas vindicandi injuriam factam, per se. Secunda est tumor mentis, hæc est vindicandi causa fugiens adversantem, ne cum eo colloquium habeatur propter æstimatas inimicitias. Tertia est contumelia, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum. Quarta est clamor, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, ad aliorum aures
C perveniens. Quinta est indignatio, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. Sexta est blasphemia, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel sanctis illatum.

Ex ira veniunt multa mala. Hospitium Spiritus S. turbat. Gregorius: Dum ira animum pulsat, Spiritui S. hospitium suum turbat. *Psal. 73* Nam sicut in pace factus est locus Dei, sic in discordia locus diaboli. Tales sunt incendiarii domus Dei. Unde Psalmista: Incenderunt igni sanctuarium tuum Domine in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui. *Psalm. 73* Unde isti sunt similes draconi, qui emittit ex ore ignem. *Deu. 32* Quod Dei est, sibi usurpat, scilicet vindictam.

Pro-

Rom. 12 Propheta: Mihi vindictam, & ego retribuam. Talis se facit judicem, & Deum vult esse tortorem, sicut dicit August. Dicit enim malus in orationibus suis: Domine occide malum inimicum meum. Respondet ei *Heb. 10* Dominus: Quem vestrum? Ambo estis mali. Imo talis vult esse actor, & judex in eadem causa. Sed stultum se demonstrat, qui per cor suum immittit gladium, ut lædat tunicam inimici sui. Imo si sapienter faceret, prius se de ipso vindicare deberet, iram, scilicet zelum adversus iram suam propter vitium assumendo: sed econverso limam purgationis convertit in rubiginem depravationis. Adversitates enim quæ ipsum deberent a peccato purgare, per impatientiam magis inquinant, & fornax probationis mutat ei aurum in cuprum, & flagellum ex grano facit paleam. Unde duram sententiam talis in judicio expectabit. Cum enim Dominus improperaturus sit quibusdam, *Matt. 25* Nudus fui, & non cooperuistis me, quid dicturus est illis, qui non solum nudos non vestiunt, sed vestitos spoliant? Bellum mundi, carnis, & diaboli contra se instaurant, sed sapientes sedant minores guerras propter majores, quæ imminent. Malam faciunt commutationem, quia auferendo pallium bonæ famæ, dant tunicam innocentiæ. Remedia iræ sunt, Silentii observatio. *Prov. 26* Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: quia sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, ita ex amaris verbis aliquorum ira concitatur. Responsio mollis frangit iram, & sermo durus excitat furorem. *Prov. 15* Quasi qui apprehendit carnem auribus, &c. Dominicæ passionis consideratione. Gregorius: Si passio Domini ad memoriam revocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. *Num. 21* Hoc figuratum est, ubi respicientes serpentem æneum sanabantur. Item præmii tolerantiæ animadversio. Unde consideratio præmii minuit vim flagelli.

A

Caput XVIII.

De acedia.

Acedia est de virtutum laudabili exercitio utriusque hominis languida dejectio. Item acedia est diffidentia de propriis viribus, & auxilio Dei, implendi ardua. Duo nomina sunt hujus vitii, scilicet, Tristitia & Acedia. Horum autem nominum hæc est ratio, quia in isto peccato est aversio a spirituali bono, quod æstimatur grave, sicut est jejunare, & hujusmodi: & ratione hujus dicitur tristitia. Est etiam ibi conversio ad creaturam, scilicet ad quie-

B

tem, quæ æstimatur levis, & ratione hujus dicitur acedia. Patet ergo ex his, quod hoc vitium prout vocatur tristitia, opponitur lætitiæ spirituali, quæ est in exercitio spirituali. Sed prout vocatur acedia, opponitur fortitudini, quæ consistit in aggrediendis arduis, & sustinendis adversis.

Acedia denominatur ab acedine, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili.

Acedia secundum Gregorium habet sex filias. *Greg. lib. 31 Mor. c. 17 post. med.* Prima vocatur malitia, quæ secundum Augustinum est voluntas machinandi malum alicui. Cum enim quis injuriatur alii, tunc irascitur, & postea tristatur. Secun-

C

da est desperatio: quia diffidentia meritorum mater est diffidentiæ præmiorum, ex qua iterum oritur tristitia. Tertia est pusillanimitas, quæ nascitur ex diffidentia proveniente ex consideratione propriæ infirmitatis, vel operis arduitatis. Quarta est rancor, qui est inveteratum odium. Sicut enim ex charitate sunt opera bona, ex quibus est confirmatio charitatis, ita ex ira est acedia, ex acedia vetustas iræ. Quinta est torpor circa præcepta, id est, quædam insuasibilitas, propter quam homo non potest induci ad executionem mandatorum Dei. Sexta est evagatio mentis circa illicita. Hæc autem evagatio quandoque est particularis, & certam habet materiam, & sic convenit omnibus vitiis: quando-

doque est generalis & incerta, & hæc est proprie evagatio acediæ. Qui enim est absorptus tristitia, non habens in se unde delectetur, evagatur ad omnia quærens delectationem.

Ex acedia eveniunt multa mala. Præceptum Domini negligit: In sudore vultus tui, &c. Maledictionem Dei incurrit. Exemplum de ficu, cui Dominus maledixit, quia folia tantum habuit. Discrepat a ceteris creaturis. Exemplum enim est in corporibus inanimatis, sicut in Sole, & Luna, qui quotidie surgunt & perficiunt cursum suum. Item patet in corporibus animatis, sicut sunt arbores, & herbæ: quæ licet in hyeme nudæ sint, tamen virtutem servant, & in tempore suo redeunt ad consueta. Idem ostenditur in sensibilibus: Vade ad formicam o piger. Pretiosum tempus perdit, quo nihil pretiosius est, quia brevi hora posset quis obtinere veniam, gratiam, & gloriam. Et tamen, ut ait Bernard. nihil vilius reputatur, quia dicunt homines otiosi, Venite, deducamus tempus. Spirituale lucrum negligit: quia qui non mercatur in nundinis, postea non habebit. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Incitamenta vitiorum colligit. Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ & cooperuerant superficiem ejus spinæ.

Genes. 3 — Matt. 21 — Prov. 6 — Ber. in declam. super Ecce nos longe post med. — Sap 2 — Prov. 20 — Prov. 24

Nota quod aqua corrumpitur quiete, & ferrum contrahit rubiginem: & porcus mactandus permittitur in quiete pinguescere. Locum diabolo præparat, quia homo otiosus est quasi pulvinar diaboli, & in olla tepida libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet. Unde legitur in collationibus Patrum, quod monachum operantem dæmon unus pulsat, otiosum vero innumeri. Est enim homo acediosus quasi urbs absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam. Mores pervertit, quia vult metere, & non seminare, sicut catus qui libenter pisces comedit, sed eos non libenter capit: Seneca: Incertum est, quo loco, quomodo mors te excipiat: & ideo tu

Jo. Cassian. lib. 10 de institut. renunc. c. 23

A illam in omni loco & tempore expecta. Furem fodientem parietem non repellit, quia mors fur est, & quotidie tollit unum asserem id est, unum diem. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, &c. Receptaculum sordium se facit. * Bernardus: Omnium tentationum sentina est otium. Ipsum enim est occasio luxuriæ. Factum est eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, &c. Item occasio est nugarum. Athenienses ad nihil aliud vacabant, &c. Item occasio curiositatis: Discunt circuire domos. Stultitiam ostendit, quia tonitrua audiens non surgit. Tonuit autem Christus in cruce, & in prædicatione: tonabit etiam in die judicii. B Item stultus est, qui immunditias de oculo non eiicit. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo. Ad cœlestia venire negligit: quia vix ad locum quis veniet, qui unum pedem hodie movet, & post annum, alium. Sic & illi quorum motus est pes intellectus, & non pes affectus, cum tamen sit affectibus ambulandum.

* Bern. de vita solitaria ad frat. de Monte Dei longe ante med. — Matt. 24 — 2 Reg 11 — Acto. 17 — 1 Tim. 5 — Matt. 7

CAPUT XIX.

De avaritia.

Avaritia, ut ait Tullius, est immoderatus amor habendi. Item secundum Bernardum: Avaritia est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. C Secundum Apostolum: Avaritia est idolorum servitus, quia homo avarus exhibet creaturæ, quod debet Creatori: scilicet, fidem, spem, & delectationem, hæc enim avari exhibent pecuniæ. In hoc ergo specialiter reprehenduntur isti, quia rei vilissimæ amorem suum exhibent, pecuniæ, quæ de terra tollitur, quam natura infimam ordinavit. Dicitur in Ecclesiastico, quod avaro nihil est scelestius, hoc propter quatuor causas. Primo, quia fere omnia scelera per avaritiam perpetrantur, ut furta, periuria, homicidia, & hujusmodi. Secundo, quia est contra legem naturæ. Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, &c. Tertio, quia est contra legem scriptam. Estote misericordes, sicut & pater ve-

Ber. ep. 42 ad Henric. Sanon. Archiep. post med. — Ephes. 5 — Eccl. 10 — Luc. 6 — Luc. 6

vester, &c. Quarto quia est contra legem universalem, quæ est in omnibus rebus, quæ compelluntur se dare: avarus enim quasi captivas detinet res ne se communicare possint.

Utrum autem cuiquam liceat thesauros congerere. Notandum quod est uno modo thesaurizare ex affectu avaritiæ absque intentione necessitatis propriæ vel alienæ: & hoc modo thesaurizare omnibus est prohibitum Alio modo est thesaurizare ex providentia: & hoc vel ex consideratione necessitatis, & sic conceditur parentibus sæcularibus ob necessitatem filiorum educandorum, vel filiarum conjugio tradendarum, non autem ditandarum, sed servato modo vel statu personæ. Alio modo est thesaurizare ex consideratione publicæ utilitatis, scilicet regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi, & sic concessum est regibus thesaurizare. Personis autem Ecclesiasticis proprie numquam thesaurizare licet, nec pecuniam tenere intentione servandi. Ambrosius: Aurum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget. *Ambr. lib. 2 off. cap. 28*

Ex prædictis patet, quod duplex potest esse amor pecuniæ sive temporalium, scilicet respectu necessarii, vel respectu superflui. Contra primum prohibet Dominus præsocantem solicitudinem. Contra secundum prohibet thesaurizationem.

Ex avaritia sequuntur multa mala. Primo, quia a Deo maledicitur. Augustinus: Maledictus dispensator avarus, cujus largus est Dominus. Semper eget Hieronym. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Stultus mercator est qui regnum cœlorum, imo ipsum Christum vendit pro paucis denariis: & propter hoc sæpe pejor est avarus homo, quam ipse Judas, qui vendidit Christum triginta denariis: iste autem interdum pro uno denario. Corpus eviscerat, quia divitiæ acquiruntur cum labore, possidentur cum timore, amittuntur cum dolore. Unde ipsi laborant, & alii in labores eorum sæpe intrant, scilicet fures, raptores, vel latrones, vel certe filii mali. Isti similes sunt araneæ, quæ faciendo telam pro capienda musca, seipsam eviscerat. Mentem suffocat. Augustinus: Naufragium fugis, & plumbum amplecteris. Unde Socrates, massam argenti projiciens in mare, dixit: Mergam te, ne mergas me. Inquinat: Filii Israel serviebant in luto & latere. Excæcat. Exemplum de Tobia, qui fuit excæcatus stercore hirundinum. Cor dilacerat. Unde divitiæ comparantur spinis. Insatiabilis est. Unde comparatur sacco pertuso & inferno, qui nunquam dicit, sufficit. Et mari, cui omnia flumina influunt, & tamen non redundat. Et hydropico, qui quanto plus bibit, tanto plus sitit. *Hieron. ep. 103 ad Paulin. prope fin. Matt. 26* *Exod. 5* *Tob. 2* *Luc. 8* *Agg. 1* *Prov. 30* *Eccl. 1*

Filiæ avaritiæ sunt septem secundum Gregorium. Prima est obduratio cordis, quæ fit omittendo eleemosynam. Istam filiam vocat Isidorus inhumanitatem. Secunda est violentia, hæc fit nocendo alicui palam per facta mala: quam vocat Isidorus rapacitatem. Tertia est inquietudo, hæc est appetitus lucri. Quarta est periurium, quod sæpe incidit in emptione & venditione. Quinta est fallacia, quæ fit per verba decipientis in occulto. Sexta est fraus, hæc est deceptio perfecta: & hoc in præsentia illius, qui decipitur. Septima proditio, quæ est idem quod deceptio, quæ fit in absentia decepti. *Greg. lib. 31 Mor. c. 17 post. med.*

Caput XX.

De gula.

Gula, ut ait Augustinus, est immoderata cibi aviditas. Item gula est vorax edacitas naturæ finibus non contenta.

Quinque modis peccatur circa gulam, ut dicit Gregorius: Primo, cum quis horam comedendi prævenit: & hoc fit per impatientiam expectandi tempus debitum. Secundo, cum quis quærit cibaria pretiosa & delicata, de quibus Ovidius: Est virtus placitis abstinuisse bonis. Sed contra hoc fecit dives ille, qui epulabatur quotidie splendide. Tertio, quando quis mensuram excedit, scilicet nimis comedendo. Sciendum tamen, quod uni est medium, & mensura debita, hoc *Greg. li. 30 Mor. c. 13 cir. med.* *Luc. 16*

hoc alteri est excessus. Unde non A consistit mensura in cibi quantitate, sed in comedentis qualitate. Verumtamen quidam jejunium suum recompensant postmodum nimietate superflua: sed hoc quid aliud est, quam dare duos obolos pro uno denario? Quarto, quando nimis ardenter, ac festine quis comedit. Non enim usus ciborum, sed concupiscentia in vitio est. Quinto, quando quis cibaria sua nimis studiose præparat. Unde Bernardus: Non sapor, sed fames excitet appetitum. In omnibus his sumenda sunt, non quæ voluptas, sed quæ requirit necessitas. Contingit etiam peccatum esse circa diminutionem cibi, sicut circa superfluitatem.

Bern. tract. de formula honestæ vitæ.

Filiæ gulæ sunt quinque secundum Gregorium. Prima est scurrilitas, quia gula movet ad verba scurrilia. Secunda multiloquium, scilicet detractio, vituperia, & alia verba inania. Tertia inepta lætitia, id est, lascivia carnis, sive gestus corporis inordinatus, lasciviam mentis demonstrans. Quarta immunditia, quæ solet provenire ex gula, ut est vomitus, & eructationes fœtidæ ac luxuria. Quinta est hebetudo mentis, id est, subversio rationis. Gula duo complectitur, scilicet comessationem & ebrietatem: & proprie loquendo parsimonia opponitur comessationi, & ebrietati sobrietas.

B

Greg. li. 31 Mor. c. 17 post med.

Gula nocet multipliciter. De Paradiso eiicit hominem: exemplum in Adam. Spiritualia bona perdit, exemplum in Esau, qui pro cibo vendidit primogenituram. Diabolo domum præparat. Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos. Servum contra dominum animat. Qui delicate nutrit servum suum, sentiet eum contumacem. Luxuriam inducit, exemplum de Loth. Homicidia perficit, exemplum de Joanne Baptista, qui in convivio periit. Inducit mortem naturæ. Propter crapulam multi perierunt. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Inducit mortem culpæ. Vidua in delitiis vivens, mortua est. Inducit mortem gehennæ. Dives epulo sepultus est in inferno. Remedia gulæ sunt quatuor. Primum est spiritualium ciborum frequens sumptio. Non in solo pane vivit homo, &c. Secundum futuræ carnis nostræ consideratio. Hieronymus: Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum. Tertium est æternæ cœnæ meditatio. Homo quidam fecit cænam magnam. Quartum est famis Christi, & suorum pensatio. Recordare paupertatis meæ, absynthii & fellis.

C

Gen. 3 Gen. 25 Matt. 8 Prov. 29 Gen. 19 Matt. 6 Eccl. 37 Genes. 2 1 Tim. 4 Luc. 16 Matt. 4 Hieron. ad Paul n. ep. 103 in fin. Luc. 14 Thren. 3

Caput XXI.

De luxuria.

Luxuria est ex immundis desideriis veniens lubrica mentis & carnis prostitutio. Item luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus, & intelligas hic appetitum, qui est ex consensu rationis, quia talis appetitus est peccatum mortale, & dicitur peccatum mortale, quando ratio non cohibet hujusmodi appetitum cum posset.

Differentiæ luxuriæ sunt octo. Prima est fornicatio, quæ est soluti cum soluta. Secunda meritricium, quod fit dupliciter, scil. per vagam libidinem cum diversis peccando, vel cum publice venali concumbendo. Tertia est adulterium, quo conjugalis thorus vitiatur. Quarta est stuprum, quo virginalis integritas corrumpitur. Quinta sacrilegium, quo continentia Deo dicata læditur, ut in clericis & religiosis sacris ordinibus sublimatis, & in his, qui emiserunt votum continentiæ. Sexta est incestus, quo vinculum consanguinitatis, vel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur. Septima est peccatum contra naturam, sive Sodomia, quo naturalis usus pervertitur. Notandum autem quod aliud est contra naturam speciei, aliud contra naturam generis. Primo modo omne peccatum mortale est contra naturam speciei, quia in rationali creatura remurmurat synderesis contra omne peccatum. Sed secundo modo peccatum Sodomiæ est contra naturam generis, quia non solum in homine, sed etiam in brutis diversi sexus in coitu conveniunt. Unde si isto

isto modo fit, contra naturam generis est. Octava est libidinosus coitus conjugalis, qui multipliciter accipitur. Coitus enim conjugalis alius licitus est, alius fragilis, alius impetuosus. Licitus tripliciter: ut quando causa prolis fit, vel ad ampliandum cultum Dei, vel causa reddendi debitum, vel causa vitandæ fornicationis non in se, sed in conjuge. Primus est pietatis. Secundus justitiæ. Tertius cautelæ. In his nullum dicitur peccatum esse. Fragilis est quando fit causa delectationis, & tunc distinguitur: quia si amor illius delectationis præponitur DEO, mortale peccatum est: si vero postponitur, veniale. Impetuosus est, qui ex sola libidine proveniens, metas honestatis, & rationis transcendit, quod fit, quinque modis: primo causa satiandæ libidinis per meretricias blanditias: secundo cum fit contra naturalem modum: tertio cum fit tempore prohibito: quarto quando fit in loco prohibito: quinto quando acceditur ad mulierem prægnantem, & vicinam partui, vel quæ est in fluxu menstruo.

Greg. lib. 31 Mor. cap. 17 Filiæ luxuriæ sunt octo secundum Gregorium. Prima est cæcitas mentis, quia secundum Augustinum in opere luxuriæ tota ratio absorbetur. Secunda est inconsideratio, mortis, scilicet & inferni. Tertia inconstantia, scil. ad cogitandum desiderandumque nunc istud, nunc illud. Quarta amor sui, scilicet quo aliquis desiderat longam vitam ad hoc, ut expleat voluptatem suam. Quinta præcipitatio, qua quis præcipitanter currit ad peccandum, exponens se periculo mortis propter luxuriam faciendam. Sexta odium Dei, quia Deus abstrahit se ab eis, & punit eos qui sequuntur carnis delitias ad quas inclinat luxuria. Septima affectus præsentis sæculi, scilicet appetitus honorum, divitiarum, sanitatis, fortitudinis, & hujusmodi, per quæ luxuriosus finem suum consequitur. Octava est desperatio futuri sæculi, quæ est diffidentia gloriæ, vel veniæ consequendæ, & hæc est filia luxuriæ consummatæ.

Luxuria nocet multipliciter. Deo est contumeliosa, quia templum ejus A inquinat. Dæmonibus placita. Behemoth dormit in locis, &c. Subiecto proprio nociva. Qui fornicatur in corpus, &c. Proximum scandalizat. Facti estis speculationi, & rete expansum super, &c. Animam propriam damnat. Non recedet gladius de domo tua, hoc dictum fuit ad David propter peccatum Bethsabee. Vilissimo domino se subiicit, scilicet carni & sensualitati. Quia obedisti voci uxoris tuæ, maledicta, &c. Mentem infatuat. Vinum & mulieres auferunt cor. Job. 40 1 Cor. 6 Osee 5 2 Reg. 12 Gen. 3 Osee 4

Remedia luxuriæ sunt hæc, Occasiones fugere. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem, &c. Qui tetigerit picem, inquinabitur B ab ea. Qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem. Mortis extrema cogitare. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. De se non præsumere; quia cecidit David sanctissimus, Salomon sapientissimus, Samson fortissimus. Frequenter se occupare. Hieronymus: * Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. Tentationi in principio resistere. Ipsa conteret caput tuum. Carnem domare. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione & jejunio. Job. 31 Eccl. 13 Eccl. 26 Eccl. 7 * Hieron. de reform. vita a Rust. ep. 4 Gen. 3 Mar. 9

CAPUT XXII.

Quomodo superbia sit mortale, vel veniale.

C OMnia prædicta quamvis semper sint peccata, non tamen semper sunt mortalia. Unde videndum est, quando unumquodque mortale sit, & quando veniale. Vana igitur gloria ex suo genere est veniale, quia genus operis sumitur ex obiecto. Vanum autem secundum se non est obiectum peccati mortalis, sed venialis. Unde cum vana laus sit hujus peccati obiectum, patet quod non semper est peccatum mortale. Erit tamen vana gloria mortalis dupliciter, scilicet ratione finis, propter quem laus appetitur. Opus namque tale est, quale est id propter quod appetitur. Item ratione operis in quo laus quæritur.

Cir-

Circa primum dicendum est, quod quadruplici fine laus appetitur. Primo, ad vitandum malum infamiæ, sicut Samuel se laudavit. Secundo, propter aliquam utilitatem spiritualem, ut est gloria Dei, vel ædificatio proximi, sicut Paulus se commendavit. Tertio, propter lucrum avaritiæ, sicut Pharisæi, qui devorant domos viduarum, longas orationes simulantes. Quarto, propter aliquem actum venialis peccati, sicut quando quis laudari vult, eo quod venialiter in laude delectatur. Primum est providentiæ: secundum est charitatis: tertium est peccatum mortale, & idem intelligendum est, quandocumque mortale peccatum finis alicujus operis ponitur: quartum est veniale.

1 Reg. 12 · 2 Cor. 11 · Mat. 23

Sequitur secunda causa, quare vana gloria sit peccatum mortale, scil. ratione operis, per quod laus quæritur. Hoc autem potest fieri tripliciter, quia laus quandoque quæritur per opera illicita, quandoque per opera ex se indifferentia, quandoque per opera virtutum. Si primo modo, sic tale est peccatum, quale & illud illicitum, scilicet mortale, aut veniale. Si secundo modo, sic est peccatum veniale, ut habere divitias, vel vestes pretiosas, cum abusu talium in laudem. Verumtamen si talia sunt de se ordinata, ut sint occasio peccati mortalis, secundum quod mulier cum ornatu meretricio præparat se ad animas capiendas, vel si factum illud est illicitum ex prohibitione superioris, ut torneamenta, & hujusmodi, cum excederet præceptum Ecclesiæ, sic sunt peccata mortalia. Si tertio modo, id est, si laus quæratur per opera virtutum, hoc est dupliciter, vel quia appetitus laudis adiungitur operi virtutis tamquam incidens, sicut contingit in cantu, vel in prædicatione quandoque, & tunc est veniale. Vel laus est finis principaliter præstitutus operi virtutis & operanti, ita quod ibi constituit finem ultimum, & sic est mortale: quia tunc inhæret ei, ut fini ultimo. Nota quod majus est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quam de temporalibus: quia minus habent

A motivum, eo quod minus appareant extra, quam temporalia.

Caput XXIII.

Quomodo invidia sit mortale, vel veniale.

INvidia ex suo genere est peccatum mortale, quia cum invidia secundum Remigium sit dolor de alieno bono, contrariatur directe charitati, quæ non æmulatur, sed congaudet veritati. Charitati vero nihil est contrarium, nisi peccatum mortale. Tamen 1 Cor. 13 illud quod ex genere est mortale, potest esse veniale, vel prout in primo motu consistit, vel extra suam rationem trahitur. Dolor autem de alieno bono est quadruplex: vel quia est primo

B primus motus ex natura veniens, sicut quidam naturaliter invidi sunt: & hoc nullum peccatum est, cum nullo modo sit in potestate nostra. Vel est secundo primus motus, quando, scilicet appetitus sine completa deliberatione tali passione afficitur, & sic est veniale peccatum. Vel est actus voluntarius deliberative, & sic est mortale peccatum. Vel trahitur per intentionem extra suam rationem, ut quando dolor de alieno bono surgit cuiquam ex causa bona, sicut quando dolet aliquis de bono temporali alterius, quia videt illud redundare in detrimentum animæ illius, vel etiam in detrimentum communitatis: talis dolor bonus est,

C quia majus bonum magis est appetendum. Notandum vero quod per dolorem boni comprehenditur gaudium de malo, quod ex ipso causatur.

Caput XXIV.

Quomodo ira sit peccatum mortale, vel veniale.

IRa ex suo genere est peccatum mortale, quia secundum Isidorum: Ira est animus concitatus ad pœnam provocanti inferendam. Talis autem motus contrariatur charitati, quæ non irritatur, nec cogitat malum. Ira igitur vel dicit iram zeli, quæ est detestatio vitii, & hæc non est peccatum, sed est perfectionis. Potest etiam quis sibi per hunc modum

irasci, sicut dicit Glossa super illud Psalmi: Irascimini & nolite peccare. Quid est, inquit, homo pœnitens, nisi irascens sibi? Vel dicit remissionem affectus circa proximum, per quem homo non dolet de malo proximi, nec gaudet de bono ejus, licet etiam non doleat de bono, nec gaudeat de malo ejus: sed est indifferens ei: & sic non est mortale, sed imperfectio charitatis. Vel dicit actualem impatientiam absque appetitu vindictæ: & talis motus etiam deliberatus est peccatum veniale, quia habet incompletam rationem iræ, sicut ex supradicta patet diffinitione. Vel dicit impatientiam cum appetitu vindictæ, & hoc est tripliciter. Quandoque enim hoc a natura, sicut in melancholicis, in quibus secundum Philosophum continue mordetur natura, propter quod semper sunt turbulenti: & sic nullum est peccatum, cum sit motus naturalis. Quandoque hoc est ab appetitu indeliberato, & sic est veniale, sicut alii primi motus. Quandoque est a voluntate deliberativa, & tunc est peccatum mortale.

Psal. 4

Caput XXV.

Quomodo acedia sit mortale, vel veniale.

Acedia ex suo genere est peccatum veniale: quia secundum Augustinum. Acedia est tædium interni boni: hoc autem non opponitur charitati, sed dicit diminutionem fervoris charitatis, in quo consistit omne veniale. Istud ergo tædium, vel est motus naturalis, & sic nullum est peccatum: vel est motus appetitus contristati de opere spirituali laborioso, & sic est veniale: quamvis etiam appetitus ille naturalis sit deliberativus, quia consensus in veniale non est nisi veniale; acedia vero ex genere, & per se venialis est: vel hoc tædium redundat in omissionem eorum, quæ sunt necessaria saluti, ut frangere præcepta Dei, vel Ecclesiæ sine causa rationabili, & tunc est mortale. Si autem tædium illud ex omissione boni, & difficultate aggrediendi bo-

A num, ducit in desperationem: tunc jam accedit ad peccatum in Spiritum sanctum. Et si tædium illud crescit, quod etiam ducit in tædium vitæ in tantum, quod iniiciat sibi manus, tunc jam similis est Judæ, qui laqueo se suspendit.

Matt. 27

Caput XXVI.

Quomodo avaritia sit mortale, vel veniale.

Avaritia secundum Marcum Tullium Ciceronem est immoderatus amor habendi. Hæc igitur consistit in appetendo, vel in acquirendo, vel in retinendo.

Si primo modo, hoc est quinque modis. Primo, quia appetit aliena B appetitu completo, qui procederet in opus, si adesset facultas, & sic est peccatum mortale. Secundo, quia appetit illicita voluntate incompleta, ut si aliquis indignus conatur beneficium Ecclesiasticum adipisci, sic iterum est mortale. Tertio, si appetit talia, sive sint illicita, sive aliena, cum voluntate conditionata, scilicet si posset habere sine offensa Dei, ac injuria proximi, & tunc vel nullum, vel veniale est, si talem conditionem actualiter, vel habitualiter addat, vel intendat. Quarto si simpliciter appetit habere superflua, & hoc appetitu suffocante mentem, scilicet a cura sui, & consideratione divinorum, & hoc est peccatum mortale. C Quinto si superfluo amore inhæret temporalibus, tamen infra Dei amorem, hoc est veniale.

Si autem avaritia consistit in acquirendo, hoc est tripliciter, quia vel acquirit injuste quocumque modo, & tunc est mortale: vel acquirit res per tale opus, aut artem, aut officium, quod per se est peccatum mortale, si etiam esset sine lucro, & tunc est mortale; vel acquirit talia per operam illicitam, quæ est veniale peccatum, ut cum aliquis verba jocosa componit ad lucrum, salva tamen honestate, & hoc est veniale, nisi aliquis propter delectationem dissolutionis totaliter se dedat talibus, tunc enim mortale est. Dico autem propter delectationem, quia si quis

quis propter necessitatem, per talia A sibi sustentationem acquireret, cum aliam artem lucrosam nesciret, non reputarem eum in statu damnandorum.

Si autem avaritia consistit in retinendo, hoc potest esse quinque modis. Primo, quia retinet scienter ea quæ restituere tenetur, & animo retinendi, sic est peccatum mortale. Secundo, quia retinet ea, quæ ad necessitatem suam, & suorum pertinent, vel ad conservationem status sui, & suorum secundum quod decet dignitatem suam, & hoc non est peccatum. Tertio, quia retinet superflua respectu utriusque jam dictorum, & hoc tempore extremæ necessitatis alicujus, sic est peccatum mortale. Quarto, quia retinet superflua, B etiam citra extremam necessitatem ex insatiabili cupiditate, sic est peccatum mortale: præcipuum autem signum talis effectus est, quod quis res potius sinit putrescere penes se, quam utiliter aliis dispenset. Quinto, quia retinet superflua quædam ex inordinato amore temporalium, per quem modum deficit a medio largitatis, salvo tamen statu virtutis, & sic est veniale. Nota quod avaritia ex suo genere est mortale: *Ephes. 5* quam Apostolus idololatriæ comparat, non quia sit de specie illius peccati, cum non habeat actum ejus, sed quia facit aliquid simile C idololatriæ serviendo creaturæ potius, quam Creatori.

Caput XXVII.

Quomodo gula sit mortale, vel veniale.

Gula ex genere suo est peccatum veniale, quia appetitus comedendi ex sua ratione non subiacet dominio voluntatis, sed natura nobis inest, quod potest esse quinque modis.

Primo, si est ibi solus appetitus cibi, & hic numquam est peccatum: nec etiam delectatio cibum consequens est peccatum, inquantum ordinatur contra defectum sibi contrarium: hæc enim sunt pure naturalia, in quibus non est meritum, nec demeritum. Secundo, si appetitui necessitatis adiungitur appetitus delectationis, & voluptatis in cibo, & hoc est peccatum veniale. & Tertio, si est ibi transgressio præcepti, ut cum aliquis sine necessitate solvit jejunium Ecclesiæ, vel quando religiosus comedit carnes, cum hoc in suo ordine sit prohibitum sub præcepto, sic est mortale peccatum. Quarto, si appetitus edendi est cum libidine, ut quando nimio & finali affectu inhæret delectationi cibi, & hoc est peccatum mortale. Quinto, si ducitur in consuetudinem talem, quæ facit totam vitam hominis delectationibus hujusmodi deputari, hæc tam vicina sunt peccato mortali, quod ebrietas ab Apostolo inter peccata mortalia computatur. *Rom. 13* Ebrietas tamen quandoque est peccatum veniale, ut quando ultra necessitatem quis accepit, secundum mensuram tamen imperceptibilem. Quando vero quis egreditur a mensura perceptibili secundum rationem bene ordinatam ad discernendum, & hoc in tali mensura, ex qua evertitur status mentis effrenata libidine, quando hoc Deo præponit, tunc peccat mortaliter. Si quis autem inebriat alium, ita videlicet invitans eum ad potum, ut intendat statum mentis ejus evertere, & hoc facit in ejus nocumentum, peccat mortaliter, quia aufert ei plus, quam si auferret aliquod bonum temporale, quia usum rationis tollit ei.

Caput XXVIII.

Quomodo luxuria sit mortale, vel veniale.

Luxuria ex suo genere est peccatum mortale, quia est contra illud præceptum: Non mœchaberis.

Concupiscentia luxuriæ distinguitur septem modis. *Exod. 20 Deut. 5* Primus est, cum concupiscentia consistit in primo motu tantum, & sic est peccatum veniale. Secundus est, cum sequitur consensus usque in delectationem, licet non in opus, & sic est mortale peccatum. Tertius est, cum consentitur etiam in opus, & sic est iterum mortale. Quartus est, cum concupiscentia non solum tenetur corde, sed etiam pascitur visu, & sic iterum est mortale. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœcha- *Matth. 5*

tus est eam in corde suo, id est, si A hoc fine & animo attendat mulierem, ut eam concupiscat: quia secundum Aug. hoc non est tantum titillari, sed plene consentire libidini. Bene autem dicitur ad concupiscendum eam, quia si aliquis videret mulierem, ut rem pulchram, & ulterius non procederet, tunc nullum peccatum esset, vel solum peccatum curiositatis. Quintus modus est in stultiloquio: ut cum quis mulierem precatur, vel propter libidinem habet cum ea familiaria colloquia, & est mortale. Sextus modus vocatur ab Apostolo turpitudo. Glossa, ut in osculis & in amplexibus, hoc est etiam peccatum mortale: & tanto gravius præcedentibus, quanto magis libido per B talia accenditur propter nimiam approximationem ad ignem. Notandum vero quod tangere mulierem præter intentionem, non est peccatum: similiter cum intentione tangere, sed ex necessitate, non est peccatum. Sed tangere ex libidine, vel osculari ad se non pertinentem, peccatum mortale est. Septimus modus est, quando concupiscentia procedit in opus, & constat esse mortale.

Aug. lib. 1 de sermon. Dom. in monte, c. 23 tom. 4

Ephes. 5.

Nota quod differentia est inter primos motus generativæ & nutritivæ: quia primus motus in generativa semper est peccatum, nisi per Sacramentum matrimonii excusetur, sed non semper in nutritiva: quoniam potentia concupiscibilis non tantum C corrupta est in nutritiva, sicut in generativa. De hac materia require supra titulo proximo, ubi agitur de speciebus luxuriæ.

Caput XXIX.

De peccato in Spiritum sanctum.

Quamvis generaliter omne peccatum sit contra Deum trinum, & unum, appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum sanctum. In Patrem enim peccatur ex impotentia, in Filium ex ignorantia, in Spiritum sanctum ex malitia certa, hoc est, quando voluntas potest, & scit resistere alicui malo, & tamen ex sola malitia illud eligit.

Peccatum in Spiritum sanctum procedit ex libera & improba voluntate liberi arbitrii, & directe impugnat gratiam Spiritus sancti, & ideo non habet colorem excusationis, quia quantum est de se, directe impugnativum est medici, & remedii per quod fieri habet remissio peccati. Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile in hoc sæculo & in futuro, non quia dimitti non possit, sed quia raro aut vix dimittitur in hoc sæculo, quantum ad culpam, aut in futuro quantum ad pœnam. Item quia non legitur dimissum, propter quod dicitur irremissibile: sicut Melchisedech dicitur sine patre, quia non legitur de ejus patre. Item quia adversatur fonti remissionis, scilicet Spiritui sancto. Item propter impotentiam hominis, quia vix potest se præparare ad gratiam, quem tanta moles peccati premit.

Sciendum autem est, quod accipitur hoc nomen irremissibile tripliciter, scil. negative, ut quia nullo modo potest remitti, hoc modo peccatum Angeli & damnatorum est irremissibile. Item privative, ut quia non habet congruentiam de se, ut remitti debeat, licet ex congrua bonitate Dei possit omne peccatum remitti: hoc modo omne peccatum mortale est irremissibile. Item contrarie secundum quod habet aliqua culpa contrariam dispositionem ad remittendum: hoc modo peccatum in Spiritum sanctum est irremissibile, quia contrariatur gratiæ remittendi peccatum, & per hoc desperationem, vel præsumptionem, vel alias species hujus peccati.

Sex sunt species peccati in Spiritum sanctum videlicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia charitatis fraternæ, obstinatio, finalis impœnitentia. Horum numerus sic accipitur. In remissione tria sunt, scilicet ipse remittens, & ille cui remittitur, ac dispositio remittendi in eo cui remittitur. In ipso remittente duo sunt, scilicet misericordia, & justitia. Contra primum est desperatio, contra secundum præsumptio.

ptio. In eo cui remittitur, duo sunt, A scilicet dolor de commisso, & propositum de non committendo. Contra primum est obstinatio, contra secundum finalis impœnitentia. Præterea dispositio remittendi in eo, cui remittitur, duplex est, scilicet cognitio veri, & amor boni. Contra primum est impugnatio veritatis agnitæ, contra secundum invidentia fraternæ gratiæ. De finali impœnitentia nota quod sicut dicit continuationem peccati usque in finem, sic in omni peccato, in quo quis scienter decedit, est finalis impœnitentia: prout autem est una species peccati in Spiritum sanctum secundum quod hic sumitur, sic dicitur propositum non pœnitendi.

Caput XXX.

Dinumeratio peccatorum cordis.

PEccata cordis sunt hæc, cogitatio, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas perversa, infidelitas, indevotio, præsumptio, timor male humilians, amor male accendens, suspicio, ira, invidia, odium, timere serviliter, exultatio in adversis proximi, contemptus pauperum vel peccatorum, personarum acceptio, perfidia, affectus parentum carnalis, inepta lætitia, sæculi tristitia, impatientia, avaritia, superbia, perplexitas, obstinatio mali, tædium boni, acedia, inconstantia, pœna pœnitentiæ, dolor quia non facit plus malum, hypocrisis, amor placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor privatus, sensus singularis, ambitio dignitatum, vana gloria de bonis naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, verecundia de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, immisericordia.

Caput XXXI.

De peccatis oris.

PEccata oris sunt hæc, crebra juratio, periurium, blasphemia, nomen Dei irreverenter assumere, veritatem impugnare, de mendacio & vanis alios instruere, contra Deum murmurare, irreverenter horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordiæ, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, invertere facta bona, in Ec- B clesiis placitare, ad iram hominem provocare, reprehendere proximum in aliquo quod ipse facis, vaniloquium, stultiloquium, proferre verba otiosa, vel superflua, vel curiosa, jactantia verborum, superflua politio, peccatorum defensio, clamor, risus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantare cantilenas sæculares, in cantu divino magis studere vocem frangere, quam devote psallere, murmurare, verba scurrilia proferre, in injusta causa advocare, malum commendare.

Caput XXXII.

C

De peccatis operis.

PEccata operis sunt hæc, gula, luxuria, ebrietas, simonia, sortilegium, violatio dierum solemnium, sacrilegium, indigne communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in divino officio, scandalizare suo malo exemplo, proximum corrumpere, lædere hominem, vel in rebus, vel in persona, vel in fama, furtum, rapina, usura, deceptio, ludus, venditio justitiæ, exactio indebita, telonea injusta, auscultare mala, joculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, ultra vires proprias quiddam aggredi, consuetudo peccandi, recidivatio, simultatio, tenere officium, ad quod non sufficit, vel quod sine peccato non agi-

tur, choreizare, novitatem inveniare, majoribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu, lucta, osculis, muneribus, itineribus, nutibus, mendaciis, scripturis, circumstantias aggravantes omittere (quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ætas) tentationem prævenire, seipsum ad peccatum cogere.

Caput XXXIV.

De peccatis omissionis.

PEccata omissionis sunt hæc, de Deo non cogitare, ipsum non timere, vel amare, gratias de beneficiis non agere, opera quæ quis facit ad ipsum non referre, de peccatis, sicut debet non dolere, ad gratiam recipiendam se non præparare, gratia accepta non uti, nec eam servare, ad inspirationem divinam se non convertere, voluntatem suam voluntati divinæ non conformare, ad orationes dicendas non attendere, orationes debitas ommittere, ea ad quæ tenetur ex voto, vel præcepto, vel officio negligere, communionem, & confessionem semel in anno non expedire, parentes non honorare, seipsum non recognoscere & reprehendere, conscientiam negligere, ecclesias, & prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias injunctas negligere, aut negligenter facere, & quæ statim facienda sunt, differre, bonis proximi non gaudere, & malis non condolere, injurias non remittere, fidem proximo non servare, & beneficiis ejus non respondere, delinquentes non corripere, lites non sedare, ignorantes non instruere, afflictos non consolari, admonitionibus non acquiescere.

COMPENDII

THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER QUARTUS

De Christi humanitate.

CAPITA HUJUS LIBRI.

Caput I.

De incarnatione Christi.

Sicut Deus est rerum principium effectivum in creatione, sic est refectivum in redemptione, & perfectivum in retributione: quoniam sicut Pater omnia creavit per Verbum increatum, sic omnia recreavit & renovavit per Verbum incarnatum. Porro circa incarnationem Christi talis fuit ordo: Salutatio Angelica, responsio Virginis, sanctificatio materna, conceptio divina: de quibus nunc per ordinem est agendum.

Caput II.

De salutatione Angelica.

Luc. 1 Missus est Angelus Gabriel, qui est de ordine Archangelorum, ad beatam Virginem, cui ad sensum apparuit visione corporali, quamvis ei loqueretur locutione spirituali. Ad illud nobile sacramentum nuncius debuit esse Angelus, propter tria: primo propter cognationem virginitatis ad naturam Angelicam. Secundo propter ordinem perditionis humanæ, quia sicut ibi venit diabolus in serpente ad mulierem, ita hic Deus venit per Angelum ad Virginem: ut sic ex opposito medicina respondeat morbo, & reparatio lapsui, & remedium nocumento. Tertio quia sicut illa gratia fuit reparatio naturæ humanæ, sic fuit & ruinæ Angelicæ: unde communi beneficio utraque natura communiter debuit ministrare, Angelica scilicet, & humana.

Luc. 1 Dividitur autem salutatio beatæ Virginis in tres partes. Primam partem incœpit Angelus, cum dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Secundam subjunxit Elisabeth, cum ait: Et benedictus fructus ventris tui. Tertiam apposuit Ecclesia, ut in reverentia nomen Mariæ haberetur: nam Maria non est de textu. Ista salutatio commendabilis est propter A quatuor: primo propter auctorem, quia missus est Angelus a Deo. Secundo propter nuncium, non enim homo dignus fuit hoc nuntiare, sed Angelus, nec quilibet Angelus, sed Gabriel. Tertio ab ea quæ salutatur, quia Virgo: nec quælibet Virgo, sed Maria. Quarto ab ipso modo salutandi, qui indicat innocentiam Virginis, cum dicitur, Ave: vel gratiam conversationis cum dicitur, gratia plena. Item Excellentiam conceptionis cum dicitur, Dominus tecum. Item privilegium prærogativæ singularis, cum dicitur, Benedicta tu in, &c. Salutationes autem quædam inveniuntur optativæ salutis. Salve rex. Quædam gratiæ. 1 Reg. 16 Rom. 1 B Apostolus in pluribus locis. Gratia vobis & pax. Quædam gaudii. Gaudium tibi semper sit. Tob. 5 Quædam benedictionis. Benedicat tibi Dominus. Ruth. 2 Hæc autem salutatio Angeli ex omnibus prædictis conflata videtur. Continet enim salutem cum dicit, Ave. Item Gratiam cum dicit: gratia plena. Item gaudium cum dicit: Dominus tecum. Item benedictionem cum dicit, Benedicta tu in, &c. Præterea in hac salutatione notatur triplex prærogativa beatæ Virginis, scilicet naturæ cum dicitur, Ave: gratiæ, cum dicitur, gratia plena: gloriæ, cum dicitur, Benedicta tu, &c.

Nota denique sex in Angelica legatione: C primo quam reverenter beatam Virginem salutavit, cum dixit: Ave gratia plena. Secundo quam excellenter commendavit, ibi: Benedicta tu in mulieribus. Tertio quam dulciter confortavit, ibi: Ne timeas Maria. Quarto quam diligenter legationem suam complevit, ibi: Ecce concipies & paries Filium. Quinto quam eleganter modum exposuit, ibi: Spiritus sanctus superveniet in te, &c. Sexto quam convenienter prolem nascituram describit, ibi: Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Caput III.

De responsione virginea.

Luc. 1 DUos legimus in scriptura dialogos, unum inter Evam & diabolum, quo mors concludebatur: alterum inter Mariam, & Archangelum, quo vita oriebatur. Vide autem tria, quæ fecit beata Virgo in salutatione Angeli, scilicet cogi-
Gen. 3 tationem, seu deliberationem, quia cogitabat qualis esset ista salutatio, Interrogationem, quia quærebat: Quomodo fiet istud? Consensum, quia respondit: Ecce ancilla Domini, &c. Nec in deliberatione fuit
Gen. 3 subita, sicut Eva: nec in interro-
Luc. 1 gando dubia, sicut Zacharias: nec
Gen. 18 in consentiendo tarda, sicut Sara. In responsione consensus beatæ Virginis quatuor verba invenies, quæ quatuor virtutes maxime redolent. Ait enim: Ecce, quod est obedientiæ promptæ. Ancilla Domini, quod est humilitatis perfectæ. Fiat mihi, quod est charitatis inflammatæ. Secundum verbum tuum, quod est fidei indubitatæ.

Septem verba hæc locuta est beata Virgo in Evangelio. Primum
Joan. 2 fuit, Vinum non habent. Secun-
Luc. 2 dum, Filii quid fecisti nobis sic?
Luc. 1 Tertium, quodcumque dixerit vobis, facite. Quartum, quando salutavit Elisabeth. Quintum, Quomodo fiet istud, &c. Sextum, Ecce ancilla Domini. Septimum, Magnificat anima mea Dominum. Verbum primum fuit pietatis: secundum charitatis: tertium instructionis: quartum consolationis: quintum discretionis: sextum humilitatis: septimum orationis, & gratiarum actionis. Et nota quod verba prædicta fuerunt brevia præter ultimum.

Caput IV.

De sanctificatione materna.

SAnctificatio triplex est: quædam communis, quæ fit per sacramenta: quædam specialis, quæ fit per gratiam specialem: quædam spe-
A cialissima, quæ fit per gratiam singularem. Prima removet culpam, & confert gratiam, remanet tamen fomes, & pronitas ad peccandum, & talis est in baptizatis. Secunda removet culpam & pronitatem peccandi mortaliter, & talis fuit sanctificati Joannis Baptistæ, & Hieremiæ in utero. Tertia removet cul- Luc. 1
pam originalem, & pronitatem ad Hier. 1
peccandum tam venialiter, quam mortaliter, & talis fuit in beata Virgine. Et licet gratia sanctificationis in utero sit quantum ad essentiam major, quam sacramentalis: tamen quantum ad aliquos effectus, major est gratia sacramentalis: quia baptismus imprimit characterem, &
B aperit januam cœli, & habilitat hominem ad alia sacramenta, quorum nihil facit sanctificatio in utero ex se. Verumtamen gratia sanctificationis in utero præcellit in hoc gratiam baptismalem, quia taliter sanctificatus non potest mortaliter peccare, & ad veniale minus inclinat eum fomes: propter quod minora & pauciora venialia committit: & talis gratia fuit in Joanne Baptista: & ideo ne in vanum gratiam Dei reciperet, fugit hominum societatem, & arctissimam in se pœnitentiam tenuit, ne levi saltem maculare vitam famine posset. Patet igitur quod in sanctificatione in utero confertur gratia media inter gratiam sacramen-
C talem, & gratiam plenæ confirmationis in patria, quæ habet conjunctum sibi finem ultimum. Ad confirmationem enim perfectam tria pertinent. Primum est inseparabilis adhæsio, & conjunctio rationis ad Deum. Secundum est indeflexibilis subjectio inferiorum potentiarum animæ sub imperio rationis. Tertium est indiscontinuabilis conversio actualis totius hominis in Deum, quando homo divina dulcedine affectus, ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus semper actu tendit in Deum, & in quodcunque aliud in quo relucet Deus. Primum horum habet gratia sanctificationis simpliciter, ut scilicet nullus, qui particeps ejus fuerit, possit peccare mortaliter. Secundum habuit beata Virgo,

go, & ideo nec venialiter unquam peccavit, sicut dicit Augustinus. Tertium autem non potest convenire gratiæ viæ, eo quod illud ex fruitione Dei causetur, quæ tantum est in patria.

Aug. l. de natura, & grat. c. 36 t. 7

Tres autem fuerunt sanctificationes matris Dei. Prima fuit sanctificatio in utero, & hæc tres habuit effectus, scilicet originalis culpæ expiationem, & gratiæ infusionem, & fomitis tantam restrictionem, ut non posset in aliquod mortale peccatum duci: licet tamen ipse fomes maneret secundum essentiam. Secunda sanctificatio fuit in Spiritus sancti obumbratione, & filii Dei conceptione, quæ tribus præmissis duo superaddit, scilicet omnimodam fomitis extinctionem & confirmationem in bono, ita quod quæ prius tantum poterat non peccare mortaliter, jam non posset peccare. Hos autem duos effectus expressit Angelus: Spiritus sanctus superveniet in te: quoad primum. Et virtus altissimi obumbrabit tibi: quoad secundum. Ista confirmatio non fuit liberi arbitrii ablatio, sed ejus per gratiam completio. Præterea Spiritus sanctus supervenit in eam non solum ad sanctificandum, sed etiam ad fœcundandum, cujus virtute Virgo concepit, Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Tertia sanctificatio fuit in Filii Dei inhabitatione, qui novem mensibus in utero ejus mansit, & his omnibus prædictis duos effectus addidit. Unus fuit, quod omnes dispositiones fomitis sublatæ fuerunt, sicut quando morbus est curatus, adhuc interdum remanent reliquiæ curandæ. Secundus fuit dedicatio ad divina, ita quod etiam licitis usibus mundanis, scilicet matrimonialibus eam aptare esset impossibile: quia tunc non solum mens, sed etiam corpus luce divinitatis resplenduit, ut significatum est. Ex prædictis collige quod fomes & personam inficit, & naturam. Personam quidem, quia ad malum pronam facit, & stimulat ad peccatum. Naturam vero, quia carnem inficit, prout est principium ad alteram carnem. Sed beata Virgo in

Luc. 1

A prima sanctificatione, quæ fuit in utero, mundata fuit ab originali peccato, inquantum fomes respicit personam suam: quia nihil in persona sua purgandum remansit. In secunda vero sanctificatione, quæ fuit quando Spiritus sanctus supervenit in eam, purgata fuit a fomite, prout ipse fomes respicit naturam in comparatione ad prolem propagandam, non opere naturæ, sed opere Spiritus sancti. Remotus enim fuit essentialiter, propter quod pars ab ea separanda in corpus Christi, nihil habuit de fomite, sicut nec mater.

Nota similiter ex prædictis, & ex sequentibus, quod beata Virgo ex prima sanctificatione excellebat puritate omnes baptizatos, ex sanctifi-

B catione secunda excellebat puritatem Adæ, quam habuit ante peccatum: per confirmationem excellebat puritatem Angelorum, quoniam illi nec crescere possunt in præmio substantiali, sive essentiali, sicut nec decrescere: sed beata Virgo proficere potuit in merito, & non deficere.

Puritas matris Dei fuit quadruplex, in qua nulla creatura sibi poterit comparari. Prima est puritas sanctificationis in utero. Omnis enim rationalis creaturæ puritas, vel est naturæ, ut in Angelis: vel est gratiæ gratis datæ, ut fuit innocentia primi status hominis: vel est gratiæ gratum facientis, & ista est major

C aliis duabus. Unde cum in illa specie gratiæ sanctificatio matris Dei fuerit suprema, patet quod vincit puritatem omnis puræ creaturæ. Secunda est puritas innocentiæ in vita, in qua similiter omnes excellit: quia beata Virgo vixit sine omni peccato, & hoc oportuit esse maximæ gratiæ, quæ non solum ipsius naturam perficeret, sed eam supra legem naturæ corruptæ extolleret. Tertia est puritas virgineæ castitatis, in qua excellit & Angelos, & homines. Angelos quidem, quia secundum Hieronymum, hoc retinuit per virtutem castitatis, quod in Angelis est necessitatis naturæ. Item excellit homines in hoc, quia primum exemplar fuit hujus integritatis. Adducentur regi virgines post eam, &c. Prætea

Hier. in ep. 10 ad Paul. & Eustoch. c. 9

Psal. 44

rea

rea ostenditur istud alia ratione: A quia summa est hæc puritas, quæ potius potest suum contrarium secum pati, quam possit violari: & talis fuit virginitas Dominæ nostræ, quæ gaudium matris habet cum virginitatis honore: & ideo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Quarta est puritas sanctificationis ex superventione Spiritus sancti, & præsentiæ Dei, in qua excellit omnem creaturam. Cum enim esse matrem Dei, sit dignitas superior, quæ puræ creaturæ communicari possit, necesse est gratiam ad hoc disponentem esse majorem omni gratia puræ creaturæ. Oportet ergo privilegium sanctificationis suæ in hac parte omnem aliorum sanctifica- B tionem excedere.

CAPUT V.

De conceptione divina.

Luc. 1 MOx ut Virgo beatissima assensum Angelo præbuit dicens: Fiat mihi secundum Verbum tuum: Spiritus sanctus super eam venit, ac Filium Dei concepit. Hæc autem tria simul fuerunt tempore, non natura. Tunc impleta sunt præambula figurarum, & documenta scripturarum, & desideria Prophetarum: propter quod etiam adventus Christi dicitur plenitudo temporis.

Quare autem Christus, nec prius, C nec posterius venerit, nonnullæ sunt
Gal. 4 rationes, Prima est, ut ordinem universi non turbaret. Singula namque suis fiunt temporibus, quanto magis in maximo Dei opere, scilicet Filii Dei incarnatione? Secunda, ne fides & spes promissa incarnatione, & nimis tardata, perirent: Si enim tardasset venire, quotidie decrevissent homines in fide, & tepuissent. Sed prius venire non fuit necesse, quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis. Tertia est, ut supremæ infirmitati culpæ immediate succederet melioratio, sicut summum statum acutæ febris sequitur crisis & sanatio. Quarta, ut homo de lege naturali & scripta prius convinceretur, sicut ait August. quia si Christus statim venisset, diceret homo quod per legem naturæ salvari poterat, & superfluum crederet adventum Christi. Similiter dicere poterat de lege scripta: sed comperto quod nec sic, nec sic salvari poterat, cum omnes ad inferos descenderent, tunc venit ipse, quia tunc erat tempus
miserendi ejus. Quinta, ut sicut pri- Gen. 1
mus homo conditus fuit sexta die ad totius mundi complementum, sic Deus homo fieret in sexta ætate, ad totius creaturæ perfectionem. Sexta enim ætas apta est ad exercitium sapientiæ, ad remissionem culpæ, ad meritum vitæ æternæ, ad transitum de statu miseriæ ad statum gloriæ, & ista notantur in sexta ætate ratione perfectionis senarii. Sexta, quia Christus non debuit venire in principio temporis, quia adventus ejus nimis fuisset festinus: nec in fine ultimo, quia tunc nimis fuisset tardus: sed decebat Salvatorem inter tempus morbi, & tempus judicii introducere tempus remedii. Septima, qui decebat ductorem perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad bravium, hoc est in fine temporum, & tamen ante terminum, ut per timorem judicii stimulati, per spem præmii attracti, & per exempli perfectionem animati sequi possemus efficaciter ducem nostrum. Octava, quia decebat mediatorem quædam membrorum suorum præcedere, quædam sequi. Incarnationem Christi multæ figuræ præcesserunt, & prophetæ, de quibus aliquas assignemus.
Abraham descendit in Ægyp- Gen. 12
tum, ut peregrinaretur ibi: Lapis Dan. 2
præcisus est de monte sine manibus. Gen. 2
Fluvius egrediebatur de loco volupta- Prov. 9
tis ad irrigandum paradisum. Sa- 3 Reg. 10
pientia ædificavit sibi domum, exci- Hier. 31
dit columnas septem. Thronum Joan. 1
fecit sibi Salomon de ebore grandem. Joel. 3
Novum faciet Dominus super ter- Cant. 6
ram: fœmina circumdabit virum. Judic. 6
Jonas in mare projicitur, & mare Exo. 16
sedatur. Stillabunt montes dulcedi- Num. 17
nem. Descendi in hortum meum, ut Isa. 11
viderem poma convallium. Vellus Gen. 8
Gedeonis rorificatur. Manna serva- Exod. 13
tur in urna aurea: Virga Aaron Exod. 2
floret. Flos de radice ejus ascendet. Gen. 37 Psal. 18 Num 13 Gen. 38 Isa 26 Isa. 45 & 19

Emit-

Emittitur columba de arca Noe. Mittitur lignum in aquas Marath. Paradisus plantatur. Moyses ponitur in fiscellam scirpeam. Israel induit Joseph tunica polymita. In Sole posuit tabernaculum suum. Duo viri ferunt in vecte botrum de terra promissionis. Mittitur Joseph in cisternam. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus. Emitte agnum Domine. Rorate cæli desuper, &c. Ascendet Dominus super nubem levem. Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Gemma carbunculi in ornamento auri. Simul in unum dives & pauper. Ego primus & novissimus. Charitate perpe-
Dan. 15 tua dilexi te. Mittitur Daniel in lacum leonum. Apparet in camino quartus similis Filio hominis. Umbra descendit in horologio Achaz decem gradibus. Ignis apparet in rubo non comburens. Solem nube
Eccl. 17 tegam. Quid lucidius Sole? & hic
Psal. 18 deficiet. Psalmus: A summo cælo egressio ejus.

Caput VI.

De rationibus incarnationis.

PER Verbum igitur incarnatum facta est humani generis reparatio, non quia aliter salvari non poterat, sed quia nullus alius modus fuit ita congruus ipsi reparatori, & reparabili, ac reparationi. Congruebat inquam iste modus reparatori, quem decebat suam potentiam, sapientiam, & bonitatem ostendere. Quid autem potentius quam conjungere extrema summe distantia, hoc est Creatorem & creaturam? Magna potentia fuit in conjunctione disparium elementorum: major in conjunctione illorum ad spiritum creatum: maxima in conjunctione illorum omnium ad spiritum increatum, ubi & maxima disparitas est. Quid vero sapientius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret conjunctio primi & ultimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ creaturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum? Quid autem

A benevolentius, quam quod Creator rerum communicare se voluit rebus creatis? & hæc benignitas magna fuit in communicatione sui omnibus rebus per præsentiam: major quia communicavit se bonis per gratiam: maxima, quia communicavit se homini per unionem, & per consequens generibus singulorum in unitate personæ.

Fuit etiam iste modus congruentissimus ipsi reparabili: quia homo per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam, per quæ ineptus factus est ad virtutem divinam imitandam, & ad veritatem cognoscendam, & ad bonitatem diligendam. Ideo Deus factus
B est homo, per quod se reddidit homini imitabilem, cognoscibilem, & amabilem. Fuit etiam iste modus congruentissimus nostræ reparationi, quia Dominus in forma servi procuravit salutem servi.

Sunt & aliæ rationes quare conveniens fuit Deum incarnari. Prima est, quia prævaricator abstulit nobis Deum, unde conveniens fuit ut reparator redderet nobis Deum. Secunda, quia humilitas decuit eum, sed non potuit humiliari usque ad pœnas in natura divina, oportuit ergo quod in alia. Tertia, ut prophetias impleret. Ego qui loquebar, *Isa 52*
ecce adsum. Apparebit in finem, & *Abac. 2*
non mentietur: si moram fecerit,
C expecta eum, quia veniens veniet: ut, scilicet doceret potius vincere per justitiam, quam per potentiam. Quarta, propter vitandum inconveniens, quia si Deus incarnari non potuisset, vel nescivisset, vel noluisset, videretur ei inesse impotentia, vel ignorantia, vel invidia, quod absit. Quinta, ut tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuit superbia in prævaricatore: quia tanta fuit superbia, ut homo vellet esse ut Deus: unde humilitas tanta debuit esse, ut Deus fieret homo. Sexta, ut nostrum amorem excitaret, & nostram spem erigeret. Septima, ut exemplum imitandæ virtutis nobis daret in forma visibili & humana. Quamvis autem opera Trinitatis sint indivisa, ita quod aliquid

ope-

operatur una persona, operetur & alia, tamen solum Filius accepit carnem, & non Pater, vel Spiritus sanctus. Et habemus simile in tribus domicellis induentibus tertiam ipsarum, de quibus potest dici, quidquid facit una, facit alia, una tamen sola induitur. Eodem modo dicendum quod incarnationis opus quandoque attribuitur Patri, ut ibi: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Quandoque attribuitur Filio, ut ibi: Exivi a Patre, & veni in mundum. Quandoque attribuitur Spiritui sancto, ut in Symbolo. Qui conceptus est de Spiritu sancto. Sed hæc ideo dicuntur: quia opus incarnationis fuit maximæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: quæ tribus personis attribuuntur.

Gal. 4

Joan. 16

Sunt autem multæ rationes quare Filius incarnatus sit, & non Pater, vel Spiritus sanctus. Prima, ut per eamdem sapientiam, quæ mundum condiderat, fieret reparatio. Secunda, ut qui Filius est in divinitate, esset Filius in humanitate. Tertia, ne idem esset Pater & Filius, si Pater de homine nasceretur. Quarta, quia congruentius mittebatur, qui est ab alio quam qui est a nullo. Quinta, propter confirmationem hæreditatis nobis promissæ ne scilicet possemus dicere Patri, Domine tu habes Filium, cui competit hæreditas quam homini promisisti. Sexta, ut Patris erga nos ostenderetur charitas. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Septima, ut ostendatur, quod Deus Pater nihil habet quod non sit nobis paratus dare, cum Filium suum unigenitum dederit. Octava, ut sicut Dei filius factus est homo, sic homo fieret filius Dei. Apostolus ad Galatas: Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus. Nona, ut esset occasio salutis, qui dicitur occasio ruinæ, quia homo appetendo scientiam divinam, quæ Filio appropriatur, cecidit. Decima, quia imago debuit per imaginem reparari. Undecima, quia sicut verbum mentis mediante grossiori natura emittitur, scilicet per vocem, sic verbum æternum per assumptionem naturæ. Duodecima, quia medius inter personas debuit esse mediator Dei & hominum. Decimatertia, quia sapientia Patris reparare debuit appetitorem sapientiæ. Eritis sicut dii, scientes, &c. Quartadecima, quia decentissime conjungitur humilitas cum sapientia. Ubi humilitas, ibi & sapientia: unde Filium Dei præcipue decuit incarnatio. Quintadecima, quia ideæ non sunt nisi sapientia Dei, quæ filio Dei appropriatur. Unde cum singulæ ideæ singulorum ideatorum sint causæ, tunc demum omnia perfecta & completa erunt, cum per unionem ad suum principium redierint. Sextadecima, quia si Pater fuisset incarnatus, tunc nulla persona fuisset sine principio. Decimaseptima, quia oportuit incarnatam personam tamquam sacerdotem supplicare Patri pro natura assumpta, sed magis decuit Filium supplicare Patri, quam e converso. Decimaoctava, quia si Spiritus sanctus fuisset incarnatus, tunc duo essent Filii. Decimanona, quia nullum magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo Pater se declarat, quod est unibile carni, sicut & Verbum voci. Vigesima, quia nullum magis decet reducere hominem ad filiationem adoptivam, quam filium naturalem.

Rom. 8
Joan. 3
Gal. 4
Gen. 3
Prov. 11

CAPUT VII.

De modo incarnationis.

IN communi reparatione omnium decens erat, ut fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica, & humana: unde in mysterio incarnationis fuit concursus Angeli nunciantis, Virginis concipientis, & Verbi Dei carnem assumentis. Cum Filius Dei mittitur in mundum, non fit loci mutatio, sed naturæ humanæ assumptio, quia ipsius mitti, est esse ubi prius fuit, sed aliter ibi esse, quam prius fuit: & hæc alteritas non est ex parte ejus qui est, cum sit immutabilis: sed ex parte ejus in quo est, quia

quia unitur nostræ carni: unde mutatio non fuit ex parte Filii, sed ex parte assumpti. Præterea in mutatione loci exigitur non esse quis ubi prius erat, sed nec hoc est in filii missione, quia post incarnationem fuit in Patre sicut semper.

Christus assumpsit naturam nostram quinque modis, scilicet misericorditer. Apostolus: Secundum suam misericordiam salvos nos fecit. (*Tit. 3*) Utiliter sc. pro salute nostra. Operatus est salutem in medio terræ. (*Psal. 36*) Sapienter, quia assumpsit bonum naturæ, reprobando malum culpæ. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. (*Isa. 7*) Fortiter, quia sic assumpsit naturam humanam, quod numquam deposuit eam: quia post mortem unita fuit divinitas carni in sepulchro, & animæ in inferno. Mirabiliter, quia conjuncta sunt in incarnatione summum & imum, hoc est Deus & limus. (*Joan. 1*)

Verbum caro factum est quinque modis, scilicet secundum carnem, quia secundum veritatem carnis. Vere languores nostros ipse tulit. (*Isa. 53*) Præter carnem, quia præter operationem carnalem. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. (*Mat. 1*) Supra carnem, quia meritis nostris non exigentibus. Apostolus: Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos. (*Tit. 3*) Propter carnem, quia ad salvandam carnem, & hoc quantum ad fideles efficaciter, licet quantum ad omnes sufficienter. Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum. (*Mat. 1*) Contra carnem, quia ad majorem damnationem infidelium. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. (*Joan. 15*)

Opus assumptionis humanæ naturæ, non animatio, sed incarnatio nominatur, cum tamen a digniori res consueverit nominari: hoc autem est propter quatuor rationes, scilicet, ut expressior fiat nominatio, & ut profundior explicetur dignatio miserentis, & quia nobis magis nota est pars carnis, ut major humiliatio exprimatur, eo quod magis a Deo distat caro, quam anima; & quia caro est a parentibus propagata, anima a Deo creata.

Caput VIII.

De unione & carne assumpta.

Sicut in divinitate una est essentia & tres personæ, ita in Christo est e converso una persona, & tres essentiæ, scilicet deitas, anima & caro, hoc est æternum, novum, & antiquum, quia deitas est æterna, anima est nova, quia in assumptione carnis creata: caro vero antiqua, quia ab Adam propagata: & Christus secundum naturam divinitatis est genitus, secundum animam vero creatus & secundum carnem factus.

Unio fuit triplex in Christo, scilicet deitatis ad animam, & e converso, & deitatis ad carnem, & e converso; & animæ ad carnem, & e converso. Duæ primæ uniones semper manserunt, tertia separata fuit in morte. Unio ergo deitatis ad humanam naturam non est in unitate naturæ, sed personæ: non dico personæ humanæ, sed divinæ, hoc est non assumptæ, sed assumentis: nec personæ cujuslibet, sed solius Verbi. Quia enim impossibile est, quod natura divina concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertii, vel quod ipsa transeat in aliam: vel alia in ipsam propter simplicitatem & unitatem ipsius perfectissimam: propterea divinitas & humanitas non uniuntur in unitate naturæ, sed personæ, & sic intelligitur illud in Symbolo Athanasii: Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Ibi namque ponitur similitudo quantum ad unitatem personæ, & non naturæ: quia caro & anima differunt in homine quantum ad essentiam, & constituunt tamen unam personam. Eodem modo inter divinitatem & humanitatem Christi est differentia, & tamen est una persona: & quia divina natura in nullo supposito potest subsistere, præterquam in propria hypostasi, ideo unio illa non potest esse in propria persona hominis, sed Dei: & propterea Deus in una personarum suarum

rum

rum facit seipsum suppositum humanæ naturæ: unde tantum una est ibi personalitas, & unitas personalis, scilicet ex parte assumentis. Ad esse namque personæ triplex exigitur distinctio: scilicet singularitatis, & naturalis incommunicabilitatis, ac excellentiæ sive dignitatis. Propter primum nullum unibile est persona. Propter secundum anima non est persona: sed propter tertium Christus secundum quod est homo, non est persona. Ex his patet quæ sit vera, vel falsa inter has quatuor propositiones. Prima, persona assumpsit personam. Secunda, Natura assumpsit personam. Tertia, Natura assumpsit naturam. Quarta, Persona assumpsit naturam. Primæ duæ simpliciter sunt falsæ. Tertia uno modo est falsa, alio modo est vera. Si enim sumatur natura, prout est communis tribus personis, sic est falsa. Si vero sumatur prout est in persona filii, sic est vera. Quarta autem propositio simpliciter est vera.

Ad intelligentiam autem horum, nota quod tres fuerunt opiniones de incarnatione Christi. Prima autem opinio dicebat quod Filius Dei assumpsit hominem. Secunda dicebat, quod assumpsit humanam naturam. Tertia dicebat, quod assumpsit hominem ut vestem. Prima opinio non tenetur, quia ponit quod in Christo sunt duæ personæ, quod est falsum. Secunda communis est, & vera, ac celebris: quia ponit quod Christus est unum solum, licet sit aliquid secundum quod homo. Item ponit, quod assumens non est assumptum. Item quod ille homo divina est essentia, & e converso. Item quod omnis proprietas Filii Dei inest ei, & e converso. Tertia opinio tamquam hæretica reprobatur: quia ponit non esse in una persona Christi duas naturas, & quod duæ substantiæ, humanæ naturæ, scilicet, & divinæ, non personalitatem Filii constituunt, sed extrinsecus se habent ad ipsam. Dicimus ergo quod tanta est ibi unio, ut quidquid dicitur de Filio Dei dicatur de Filio hominis, & e converso, his tamen exceptis in quibus exprimitur unio, ut clauditur

A negatio. Si enim sit vocabulum in quo aliqua repugnantia includitur; sicut est uniri, incarnari, assumi, assumere, in quibus includitur respectus unionis unius naturæ ad alteram: tunc non tenet prædicta regula. Similiter non tenet, quando in vocabulo includitur negatio alicujus, cujus oppositum alteri competit, sicut incipere esse, creari, &c.

Nota quod proprie loquendo, compositio & corporis & animæ, unio est divinæ naturæ ad humanam: tamen unum quandoque ponitur pro reliquo.

Quinque fuerunt status primi hominis, & de quolibet statu accepit Christus aliquid. Primus status fuit B innocentiæ de quo Christus accepit peccati immunitatem. Secundus gratiæ, de quo accepit plenitudinem gratiæ. Tertius culpæ, de quo accepit recompensationem pœnæ. Quartus pœnitentiæ, de quo accepit passionem doloris & tristitiæ. Quintus gloriæ, de quo accepit plenam fruitionem.

Corpus Christi secundum Damascenum, formatum fuit ex sanguine beatæ Virginis, non ex carne. Nam veræ matris est, secundum Philosophum, materiam tantummodo ministrare: sed dare virtutem formativam, quæ active naturam, seu materiam formet, est patris, & non matris. Cum igitur beata Virgo C proprietatem veræ matris habeat, oportet quod materiam contulerit, quæ secundum naturam sit materia conveniens humano corpori, & tamen integritatem virginalem non polluat. Talis autem materia non est caro, quia dicit Philosophus, quod id quod est actu pars, non est materia generationis, cum non sit potentia totum: caro autem est actu pars, unde non est materia generationis. Talis quoque materia non fuit semen virgineum, vel fœmineum, quia hoc puritati Virginis non conveniebat: nec etiam secundum Philosophum est necessarium ad generationem: quia aliquæ mulieres concipiunt sine seminatione. Talis ergo materia fuit sanguis, quia ipse secundum Philosophum est etiam in no-

nobis materia generationis, quod autem dicit Apostolus: Qui factus est ei ex semine David, intelligendum est originaliter, non materialiter. Virtus autem formativa in beata Virgine non fuit ex patre carnali, sed ex virtute altissimi. *Rom. 1*

Caput IX.

De utilitate incarnationis.

Amisimus per peccatum propriam excellentiam, mentis innocentiam, ac Dei amicitiam. Hæc autem recuperare oportuit per beneficium Salvatoris. Excellentiam etiam recuperare non potuimus nisi per excellentissimum recuperatorem: quia si per aliquam meram creaturam reparati essemus, tunc oporteret nos esse subjectos illi creaturæ. Innocentia enim reparari non poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum, qui videlicet esset Deus & homo: Deus quidem qui pro homine satisfacere posset: homo vero de genere Adæ, qui peccaverat. Ille namque congrue satisfacit, qui potest & debet, sed non potest, nisi Deus nec debet, nisi homo. Amicitia similiter non poterat reformari, nisi per mediatorem convenientissimum, qui scilicet utrique parti conformis esset, & utrique parti amicus, hoc vero Christo convenit, qui est Deo patri similis per divinitatem, & homini lapso per humanitatem. Venit ergo Deus in carnem, tamquam Dominus ad servos, ut eos corrigeret: tamquam magister ad discipulos, ut eos instrueret: tamquam medicus ad ægrotos, ut eos sanaret. Per primum ostendit Deus potentiam: per secundum sapientiam: per tertium bonitatem.

Quatuor fructus incarnationis ponit Bernardus, dicens: Manna de cælo descendit, ut gaudeant esurientes: vineæ cæli botrus erupit, ut gaudeant sitientes: oleum effusum est, ut gaudeant ægrotantes: lapis sine manibus de monte præcisus est, ut timeant negligentes. *Exod. 16 Cant. 1 Dan. 2*

Christo homini plures actus conveniunt, nobis multum salutiferi: A propter quod diversis rebus naturalibus, & artificialibus comparatur. Ipse namque Christus dicitur caput nostrum propter sensum & motum spiritualem, quem suis membris influit. Mediator, quia participat proprietates divinæ, & humanæ naturæ, & ideo inter Deum, & nos efficaciter potest mediare. Fundamentum, propter fidem, qua in nobis illuminat intellectum. Ostium propter charitatem, qua perficit affectum. Pastor in quantum incorporat nos Ecclesiæ per sacramentorum participationem. Hostia, quia solvit obligationem contractam per peccatum originale, & actuale. Sacerdos, quia ipse se rogat, ipse se exaudit, B ipse servus rogat se dominum, & ipse Deus exaudit se hominem. Via, exemplo, vita in præmio.

Item Bernardus enumerat quatuor utilitates adventus Domini, dicens: Venit medicus ad ægrotos, Redemptor ad venditos, via ad errantes, vita ad mortuos. Ostenduntur adhuc multæ utilitates incarnationis Christi: quia, scilicet Deus factus est homo, ut fieret homo Deus, dominus factus est servus, ut fieret servus dominus: Deus de cælo ad terras descendit, ut homo de terris ad cælos ascenderet. Deus factus est Filius hominis, ut homo fieret Filius Dei. Immortalis factus est mortalis, ut mortales fierent immortales. Dives C innocens factus est pauper, ut pauperes fierent divites. Obscurata est lux, ut nos illuminaret. Esurivit panis, ut nos reficeret. Sitivit fons, ut nos inebriaret. Tristata est lætitia, ut nos lætificaret. Pavebat fiducia, ut nos confortaret. Lassata est via, ut iter nostrum ad cælestia dirigeret. *Ber. ser. 3 in vigilia Nativ. in prin.*

Caput X.

De mirabilibus circa incarnationem Domini.

Excellebat incarnatio Christi nostram conceptionem in pluribus: per quæ apparet, quod ibi natura perdidit sua jura. Inveniuntur enim multa tam ex parte matris, quam

ex parte prolis, quam etiam ex parte modi, quæ non secundum vitam naturæ, sed secundum potentiam virtutis infinitæ, quæ solius est Dei. Mira igitur fuerunt in matre, quæ secundum Bernardum sine corruptione fœcunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Ibi portavit stella Solem, palmes vitem, rivus fontem, filia patrem, creatura Creatorem. Fuit inquam mater patris, filia nati. Fuit quoque prole posterior, contento minor, mater & virgo fuit, cum Deo filium communem habuit. Maledictionem legis evasit, ubi maledictæ fuerunt virgines & conjugatæ. Virgines quidem, quia non genuerunt: conjugatæ vero, quia in dolore pepererunt. Sed utrumque beata Virgo evasit, quia Virgo genuit, & dolorem non sensit. Augustinus: Speculum non rumpit radius Solis: & ita integritatem Virginis ingressus, aut egressus Dei vitiare non potuit.

Bern. ser. de B. Virgine ex ver. Apoc. ante med.

Mirabilia quoque fuerunt in prole quia in instanti fuit ibi sanguinis separatio, consolidatio, figuratio animatio, deificatio. Et quod ista non fuerint successiva, patet ex scriptura. Femina circumdabit virum. Patet etiam ex virtute agentis, scilicet Spiritus sancti, cujus est subito operari. Quamvis autem membra corporis Christi fuerint in conceptione completa, & perfecta usque ad animæ susceptionem, ipsorum tamen membrorum distinctio, secundum Augustinum, tam parva & tenuis fuit, quod humano visui vix posset subiici: quia in tanto fuit minus corpus illud, quam alius conceptus cum formatur, quantum augeri posset in utero infra quadraginta sex dies. Unde miraculosum fuit quod in tam parvo corpore recepta fuit anima, sed hoc ideo factum fuit, ut conceptio Christi quantum ad tempus manendi in utero non esset nostræ conceptioni dissimilis. Præterea ab instanti suæ conceptionis scivit omnia etiam secundum quod homo. Item in fruitione perfecta fuit anima ejus: unde quantum ad hoc non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Item mundus fuit ab omni

Hier. 31

Est expositio Mag. l. 3 Sent. dist. 3 Illi autem. E.

A peccato, & plenus omni gratia & virtute. Habuit quoque Patrem in cælis, & matrem in terris: sed patrem sine matre, & matrem sine Patre. Item per incarnationem ipse Dominus factus est servus, æternus factus est temporalis, immensus factus est parvulus. Summus fit imus, incomprehensibilis fit localis, simplex fit compositus. Dicit Augustinus, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, immortalis occiditur. Item Augustinus: Quis umquam existimare posset, ut portaretur manibus fœmineis portator orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cælorum infirmaretur, vita omnium moreretur.

Aug. in natali Do. ser. 9 de temp. 13 to. 10

B Hic quoque notandum est, quod sicut in divinis est trinitas personarum in unitate essentiæ, sic in Christo est trinitas essentiarum, seu naturarum in unitate personæ: quia sicut in divinis per diversas personas non distinguitur essentia, sic in Christo per diversas naturas non distinguitur persona. Denique Christi incarnatio fuit mirabilis ex modo, quia cum tres modi producendi hominem præcessissent, primus videlicet nec de viro, nec de muliere, sicut in Adam: secundus de viro sine muliere, sicut in Eva: tertius de viro & muliere, sicut in omnibus concupiscibiliter natis: ad complementum decuit universi quartum modum introduci, ut sc. homo de muliere fieret sine viro per virtutem summi operatoris. C In conceptione ergo Filii Dei simul concurrerunt virtus innata, infusa, & increata. Virtus innata materiam ministravit, virtus infusa purificando ad unionem Verbi adaptavit: (adaptatione dico congruentiæ naturæ) Virtus increata subito perfecit, quod natura non potuit nisi successive.

CAPUT XI.

De nativitate Christi.

NAtivitas Christi triplex est, scilicet divina, humana, gratuita. Prima est ex parte: secunda ex matre: tertia fit in mente. De patre nascitur æternaliter, de matre temporaliter, in mente spiritualiter. Et istæ tres nativitates sumuntur secundum

dum tres substantias, quæ sunt in Christo, scilicet deitas, caro, & spiritus. Nam ex Patre nascitur Deus, ex matre caro, in mente nascitur spiritus, sc. per gratiam. Ex patre nascitur, semper, ex matre nascitur semel, in mente nascitur sæpe. Secundum nativitatem divinam Christus habet patrem sine matre: secundum humanam habet matrem sine Patre: secundum gratuitam habet Patrem & matrem: secundum illud: Qui fecerit voluntatem patris, &c. Has tres Christi nativitates repræsentat Ecclesia in die nativitatis ejus. Primam, scilicet divinam, in Missa, quæ cantatur in nocte. Est enim hæc nativitas nobis occulta. Generationem ejus quis enarrabit? Secundam in Missa, quæ cantatur in aurora: quia nativitas humana partim fuit occulta, partim manifesta. Occulta quidem quantum ad modum, quia natus est de Virgine: sed manifesta quantum ad factum. Tertiam, scil. gratuitam, in Missa, quæ cantatur in die: quia nativitas gratuita est manifesta, in qua Christus per effectum concipitur, per affectum nascitur, & per amorem perfectum nutritur. A timore tuo concepimus, & peperimus, &c. De divina itaque generatione habetur in 1 lib. sed nunc de humana prosequendum est.

Mat. 12

Isa. 53

Isa. 26 et. lxx.

Nota itaque quod secundum verba Apostoli: ubi ait: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, &c. Nativitas Christi fuit gratiosa, gloriosa, copiosa, fructuosa. Gratiosa, id est, gratis, non meritis nostris exhibita. Apparuit enim gratia. Gloriosa, quia Dei Salvatoris nostri. Copiosa, quia omnibus hominibus. Fructuosa, quia erudiens nos. Iste fructus nativitatis Christi duplex est, sc. respectu temporis præsentis & futuri. Item respectu temporis præsentis duplex est fructus, primus est declinatio mali, ibi: Ut abnegantes impietatem quoad malum quod est contra fidem: & sæcularia desideria quoad malum, quod est contra bonos mores. Secundus fructus est operatio boni, ibi: sobrie, quoad nos: juste, quoad proximum: & pie quoad Deum. Item respectu futuri temporis duplex est fructus: primus est spei in resurrectione, ibi expectantes beatam spem: secundus gaudii in glorificatione, ibi: & adventum gloriæ magni Dei. Apparuit in nativitate Christi benignitas & humanitas Salvatoris de triplici latibulo, sc. de sinu Patris, in quo celabatur: de umbra legis, in qua figurabatur: de ventre matris, in quo formabatur. Iste namque agnus solvit signacula libri signati.

Tit. 2

Apoc. 5

Nativitas Christi fuit utilis, honesta, & jucunda. Quid autem utilius salute hominis? Vocabis, inquit, nomen ejus JESUM, qui salvum faciet populum suum: certe a formidine timoris, ab immanitate languoris, a detentione carceris, a subjugatione hostis. Quid honestius partu Virginis, ubi Virgo est quæ generat: Deus est qui generatur: Spiritus Sanctus, qui operatur in generatione? Quid jucundius nativitate Dei & hominis? Gavisi sunt, qui præcesserunt, ut Abraham, qui exultavit ut videret diem Domini. Item qui sequuntur: Gaudete in, &c. Item qui præsentes erant, ut Angeli decantantes, & pastores videntes: & Joannes eum in utero sentiens, & Simeon amplexans, sed maxime Virgo ipsum generans. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Protulit in nativitate nobis beata Virgo fructum, qui fuit seminatus in conceptione, germinavit in nativitate, collectus in pannorum involutione, ad Dominum allatus in purificatione, flagellatus in stipite, ventilatus in falsorum testium accusatione, commolitus in passione, purgatus in resurrectione, comeditur in quotidiana Eucharistiæ susceptione, & in cælesti fruitione. Beata itaque Virgo est cælum quod Christum roravit: ipsa nubes, quæ Christum pluit: ipsa terra, quæ Salvatorem germinavit. In nativitate Domini fuit beata Virgo terra, de cujus limo formatus est novus Adam: terra de qua orta est veritas: terra de qua ortus est fructus terræ sublimis: terra bona in qua semen cecidit: terra fluens lacte & melle: terra germinans herbam virentem: terra de qua oriebatur fons irrigans universam superficiem terræ.

Mat. 1

Joan. 8

Philip. 4

Luc. 2

Luc. 1

Isa. 45

Isa. 4

Luc. 8

Num. 13

Gen. 2

Caput XII.

De circumcisione Domini.

Circumcisionem accepit Christus multiplici ratione. Primo, ut legem, quam dedit aliis, ipse compleret. Secundo, ut humilitatem ostenderet, quia cærimonialibus ad quæ non tenebatur, se subjecit: ipse namque dominus legis fuit. Tertio, ut sanguinem suum pro nobis non solum in ætate virili, sed etiam infantili funderet. Quarto, ut nos circumcidendos fore spiritualiter ostenderet. Quinto, ut hæreticos confunderet, qui dixerunt eum non verum corpus, sed phantasticum habuisse. Sexto, ut Judæis satisfaceret qui scandalizati fuissent, si circumcisionem non accepisset. Septimo ut legem veterem approbaret, quæ usque ad ipsum observanda fuit. Legalia enim secundum Augustinum fuerunt ante passionem viva, post passionem Domini mortua: sed postquam per mundum claruit Evangelium, sepulta.

Gen. 17

Aug. epist. 19 ad Hieron. t. 2

Circumciditur JESUS non solum circumcisione legali, sed etiam circumcisione spirituali. Unde possumus Domini circumcisionem quadruplicem assignare. Primo circumcidit eum Pater cultello paupertatis in nativitate. Secundo circumciderunt eum parentes ejus octavo die cultello legis. Tertio circumcidit seipsum in omni vita sua cultello humilitatis. Quarto circumciderunt eum Judæi in passione cultello crucis: & hoc per milites Pilati. Circumciditur etiam JESUS in suis quadrupliciter. Primo per detractores, qui auferunt amicos, & famam. Secundo per raptores, qui auferunt bona temporalia. Tertio per hæreticos, qui auferut animam. Quarto per tirannos qui auferunt corpus.

Circumcisio nostra spiritualis duplex est. Prima mentis in præsenti a culpa. Secunda corporis in futuro a pœna. Prima figurata fuit per circumcisionem solemnem, quæ facta est in Ægypto: & hæc triplex est scilicet incipientium, a vitiis, & hoc cultello justitiæ. Item proficientium, a superfluis, cultello miseri-

Exod. 4

A cordiæ. Item perfectorum, a necessariis cultello charitatis perfectæ. Secunda figurata est per circumcisionem factam in Galgalis in terra promissionis: quia in octava resurrectionis per petram Christum circumcidemur ab omnibus miseriis. Ex quo patet quod circumcisio nostra spiritualis efficacior est, quam Judæorum carnalis, & legalis: quia illorum circumcisio licet peccatum originale tulerit, tamen januam paradisi non aperuit, sed nostra utrumque facit. *Josue 5*

In hac materia duo nobis tanguntur: Primum est Christi humilitas in circumcisione, secundum ejus sublimitas in nominis impositione. B Vocatum est, inquit, nomen ejus JESUS. Dignitas autem hujus nominis multiplex est. Est enim ab æterno consecratum, ut dicit sanctus Bernardus: Ab antiquis præfiguratum, scilicet In Josue. A Prophetis desideratum. Nomen tuum in desiderio animæ. A sanctis Patribus prophetatum. Bernard. Dulce nomen JESU preophetatum Salomonis oraculo. A Dilo nominatum. Apostolus: Dedit illi nomen, &c. Ab Angelo prænunciatum, ut dicitur, A beata Virgine prædicatum Sanctum nomen ejus. Ab Apostolis magnificatum: Ibant Apostoli gaudentes, &c. A martyribus testificatum, quia pro nomine isto passi sunt. A C confessoribus collaudatum: Laudate pueri Dominum, &c. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. A sanctis virginibus prægustatum. Oleum effusum nomen tuum. Bernardus: JESUS est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Ab omnibus sanctis exaltatum. Magnificate Dominum mecum, & exaltate nomen ejus in idipsum: Petrus: Non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat nos salvos fieri.

Isa. 26 *Phil. 2* *Luc. 1* *Act. 5* *Ps. 112* *Cant. 1* *Bern. in Can. ser. 15 post med.* *Psal. 33* *Act. 4*

In hoc nomine JESU sunt quinque litteræ, quæ possunt esse initia istarum dictionum, Jucunditas mœrentium, æternitas viventium, sanitas languentium, ubertas egentium, satietas esurientium. Et hoc nomen JESU CHRISTO convenit tripliciter. Primo ratione naturæ, ut qui ex di-

divina natura erat Salvator auctoritate; ex humana natura fieret Salvator ministerio, & vendicaret sibi nomen Salvatoris. Secundo ratione decentiæ, quia decuit ut ex re nomen haberet. Unde quia salvat a peccato, diabolo, & ab inferno, merito nomen habet illi beneficio congruens. Tertio ratione efficaciæ, quia Christus nos sua passione salvavit.

Caput XIII.

De baptismo Christi.

IN baptismo Domini notatur ipsius humilitas, & nostra utilitas. Ipsius humilitas notatur in quatuor. Primo, quia venit JESUS, scilicet dator salutis, & non indigens salute. Secundo quia ad Jordanem, ubi Creator elementorum subjecit se humili elemento aquæ. Tertio, quia ad hominem, id est, Joannem, scilicet dominus ad servum, rex ad scutiferum, Sol ad Luciferum. Quarto, quia venit ut baptizaretur ab eo, scilicet fons a rivo, plenitudo a stilla, auctor baptismi a baptismi ministro. *Matt. 3*

Utilitas nostra notatur in quatuor, quæ circa Christum baptizatum evenerunt. Primo quia Christus confestim cum baptizatus fuit, ascendit de aqua: per quod notatur in nobis gratiæ infusio: homo enim per baptismum liberatus a culpa, ad virtutes statim ascendit. Secundo apertum est cælum, per quod notatur hominis post baptismum ascendentis evolatio. Tertio descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: per quod notatur quod baptismus facit hominem Spiritus sancti templum. Quarto vox patris facta est. Hic est filius meus dilectus: in quo notatur quod per baptismum de filio iræ fit filius gratiæ. In baptismo Christi notantur substantialia baptismi nostri, scilicet baptizans, baptizatus, materia, forma, & intentio. Baptizans fuit Joannes, in quo ministri sanctitas designatur. Baptizatus fuit Christus, nostrum baptismum consecrans: quia tactu

A suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Materia fuit aqua, magis conveniens, & communis cæteris liquoribus ad baptismum existens. Forma notatur per testimonium Trinitatis: Fuit enim ibi Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columbæ specie. Intentio consequitur formam. Voces enim, ut ait Philosophus, signa sunt earum, quæ sunt in anima passionum. *Arist. l. de interpretatione c. 1*

Per vocem Patris, quæ audita est in baptismo Christi, notantur quinque dignitates & excellentiæ ejusdem Domini nostri JESU CHRISTI. Cum enim dicitur, hic est, commendatur Christus a vera essentia, qui solus B Deus habet verum esse. Omne enim esse a forma est: Deus autem forma est sine materia, ut dicit Boetius. Cum dicitur, Filius, commendatur Christus a similitudinis paternæ convenientia. Ex eo namque dicitur Filius, quia sit ut ille: propter quod Filius sic dicitur imago Patris potius etiam, quam Spiritus sancti, propter rationem quam habes supra in lib. 1. Cum dicitur Meus, commendatur a substantiæ indifferentia, dicitur enim, meus, id est, mihi consubstantialis. Cum dicitur, dilectus, commendatur ab amoris benevolentia. Pater diligit Filium: & omnia, quæ habet, dedit in manu ejus. Cum dicitur. In quo C mihi complacui, commendatur a speciali complacentia. Sed nota quod placitum est quieta voluntas: unde complacui, id est, cum Spiritu sancto in Filio secundum naturam assumptam quievi. *Coloss. 1* *Joan. 3*

Caput XIV.

De plenitudine gratiæ Christi.

POst hoc considerandum est Verbum incarnatum, quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium, quæ sunt plenitudo gratiæ in effectu: plenitudo sapientiæ in intellectu: ac plenitudo meriti in opere, & effectu.

Circa primum notandum est quod in Christo a sui conceptione fuit pleni-

nitudo gratiæ quantum ad gratiam personæ singularis, & quantum ad gratiam capitis, & quantum ad gratiam unionis: & hæc triplex gratia est eadem in essentia: sed differunt in effectu. Gratia enim personæ singularis est gratia habitualis, quam habuit Christus completissime, & plenissime, excepta fide & spe, quas virtutes non habuit, sed quod eis in patria succedit: quia fidei succedit cognitio, spei vero succedit comprehensio rei. Sciendum autem quod prædicta gratia personæ singularis exuberat in Christo, ita quod influit in membra corporis sui mystici sensum & motum spiritualem, secundum fontalem plenitudinem omnis gratiæ in ipso habitantis.

Dicitur gratia capitis Christo inesse, unde nota quod Christus secundum utramque naturam dicitur caput Ecclesiæ, quia non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo influit sensum & motum spiritus, & gratiæ in omnes qui adhærent ei, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramentum. Sed inquantum homo influit eam per modum meriti, & meritum, quod non solum ex congruo, sed etiam ex condigno meruit membris gratiam, hoc habuit ex unione ad Verbum. Ex prædictis collige quod Christus in quantum homo dicitur caput Ecclesiæ triplici ratione. Primo propter influentiam gratiæ, sicut dictum est. Secundo, propter conformitatem naturæ, quam habet caput ad membra: quia licet Christus excellat membra sua, quantum ad naturam divinitatis, tamen conformis est illis in natura humanitatis. Tertio dicitur caput metaphorice, quia sicut corpus Christi verum constat ex purissimis membris, ita corpus ejus mysticum ex puris fidelibus. Nam de plenitudine ejus omnes accipiunt beneficium gratiæ, & spiritus, qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramentum. Alia ratione Christus secundum quod homo dicitur caput Ecclesiæ scilicet propter naturæ conformitatem, quam caput habet ad totum corpus. Nam sicut corpus Christi naturale

Joan. 1

A constat ex purissimis membris, ita corpus ejus mysticum ex puris fidelibus. Præterea secundum quod eadem gratia singularis personæ quæ habilitavit humanam naturam Christi ad unionem Verbi, ut, videlicet, digna esset uniri tantæ celsitudini, vocatur gratia unionis, per quam Christus ipse non tantum felicitate gloriæ, verumetiam adoratione latriæ dignus fuit: dicendum quod verum est secundum quod est constructio transitiva cum dicitur gratia unionis: tunc enim aliud est gratia, aliud est unio. Sed secundum quod est constructio intransitiva, ut sit sensus gratia unionis, id est, unio humanæ naturæ ad divinam, quæ gra-

B tis, & sine meritis data est humanitati Christi: sic differt gratia unionis a gratia personali, & a gratia capitis: sicut unio differt a gratia habituali: propter quod dicitur in Joanne quod Spiritus sanctus datus est ei non ad mensuram quod dupliciter exponitur. Primo sic, non ad mensuram, id est, totaliter: non particulariter, ut quidquid potuit Deus ei de Spiritu sancto dare, dedit ei: secundo sic, non ad mensuram, id est, super omnem proportionem respectu aliorum hominum. *Joan. 3*

De hoc quoque quod dicit Joannes plenum gratiæ & veritatis, nota quod quintupliciter distinguitur plenitudo. Prima est sufficientiæ, quæ *Joan. 1*

C in quolibet justo reperitur. Secunda est copiæ, quæ fuit in Apostolis: Repleti sunt omnes, &c. & in Stephano: Stephanus plenus gratia & fortitudine. Tertia est universitatis quæ est in Ecclesia, cui nullum donum deest. Quarta est excellentiæ, quæ fuit in beata Virgine quæ omnes sanctos excedebat in gratia. In me omnis gratia. Ave gratia plena. Quinta superfluentiæ, quæ fuit in Christo. Plenum gratiæ, & veritatis. *Act. 2* *Act. 7* *Eccl. 24* *Luc. 1* *Joan.*

Circa innocentiam Christi hoc sciendum est, quod habuit immunitatem omnis culpæ, quantum ad actum, & quantum ad posse: quia nec peccavit, nec paccare potuit, nec peccatum originale a patre traxit, quia patrem non habuit carnalem, nec a matre habuit peccatum,

quam

quam Spiritus sanctus totaliter a so-A mite liberavit.

Caput XV.

De plenitudine sapientiæ Christi.

SIcut in Christo fuit omnis plenitudo gratiæ, ita & omnis plenitudo sapientiæ, non solum quantum ad cognitionem, verumetiam quantum ad modos, & differentias cognoscendi, qui sunt quinque. Primus est cognitio sempiternalis, ex parte divinitatis, & hoc modo cognoscit omnia simul, scilicet, finita, & infinita, quia apud Deum omnis infinitas est finita. Deus enim B videt multa uno, scilicet seipso: unde non differt ibi quod videt, & per quod videt: quia videt se per se, & in se videt omnia: non solum, quæ fecit, sed etiam quæ facere potest, quæ sunt infinita. Secundus modus est cognitio sensualitatis ex parte carnis, & iste modus est cognitio per experientiam, qua Christus non sensit omnia simul: quia sensus non est perceptivus rerum, nisi ad præsentiam objecti. Tertius modus est spiritualis ex parte mentis: & iste triplex fuit, scilicet per naturam, per gratiam, & per gloriam. Per naturam est igitur tertius modus cognoscendi, quo Christus cognovit omnia, quæ spectant ad universi constitutionem, sed C longe excellentius, quam Adam, etiam existens in natura instituta. Quartus modus est per gratiam: hoc modo Christus cognovit omnia, quæ spectant ad humani generis redemptionem, longe tamen excellentius, quam aliquis Prophetarum, vel etiam Angelorum. Non solum enim habuit Christus scientiam per habitum innatum, ut Adam & Angeli, sed etiam per habitum infusum, velut sancti per gratiam illuminati. Cognitionem vero non habuit per habitum acquisitum, qui propter imperfectionem in ipso non fuit. Quintus modus est per gloriam, hoc modo cognovit omnia Christus: finita quidem cognitione actuali, infinita vero non nisi cognitione habituali, vel excessiva. Anima enim Christi per gloriam comprehensionis, capiebat quæcumque capere potest natura finita unita infinito.

Sciendum ergo quod res dupliciter habent cognosci in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio artem contemplante, utroque modo cognovit Christus res. Primo modo per naturam divinitatis, secundo modo per gloriam comprehensionis. Patent igitur ex præmissis quinque differentiæ cognitionis quæ erant in Christo. Per primum enim modum habuit cognitionem, ut Deus, per secundum, ut homo, per tertium, ut viator, per quartum, ut illuminator, per quintum, ut comprehensor.

Christus secundum utramque naturam dicitur lux, quia secundum divinitatem illuminat intus animam, & secundum humanitatem informat exterius vitam, & hoc tripliciter scilicet miraculis, prædicationibus, & exemplis. Primum est potentiæ, secundum sapientiæ, tertium bonitatis. Nota præterea, quod scientia Christi hominis limpidissima est inter scientias creatas, quia nihil habet admixtum de suo contrario, vel actu vel potentia: præsertim cum non possit aliquid ignorare propter sui unionem ad verbum, & tamen quia anima Christi creatura est, non est scientia ejus ita limpida sicut Dei, quamvis sciat omnia, quæ scit Deus. Quod dicitur, JESUS proficiebat sapientia, & ætate coram Deo, & hominibus: non est intelligendum quod in se profecerit, quia ab instanti conceptionis sapientia plenus fuit: sed potius in aliis, qui doctrina sua & exemplo profecerunt, & hoc coram Deo, id est, ad gloriam Dei: & hominibus, id est, ad utilitatem hominum. Proficiebat tamen JESUS etiam in se cognitione experimentali & sensuali, quia secundum Apostolum, Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.

Luc. 2

Heb. 5

Caput XVI.

De merito Christi.

SImul fuit Christus viator, & comprehensor ab instanti conceptionis suæ. Ex tunc enim cœpit mereri & frui. Meruit autem inquantum viator, non inquantum comprehensor. Perfectio autem & plenitudo meriti Christi notatur in istis.

Primo quantum ad eum qui merebatur, quia non tantum erat homo, sed etiam Deus.

Secundo, quantum ad tempus quo merebatur, quia ab instanti conceptionis suæ usque ad horam mortis.

Tertio, quantum ad id, per quod merebatur, quia per habitum perfectissimæ charitatis, & per exercitium perfectissimæ virtutis.

Quarto, quantum ad eum cui merebatur, quia non tantum sibi, sed etiam nobis. Omnibus enim operibus suis, quæ procedebant ex libero arbitrio, meruit sibi vitam æternam jam habitam, & nobis habendam.

Quinto, quantum ad id quod merebatur nobis, quia veniam, gratiam, & gloriam, stolam quoque carnis, & apertionem januæ cælestis. Ante incarnationem Christi diabolus habuit manum attrahentem, & manum impellentem. Attrahentem dico potenter in culpam: impellentem autem sine obstaculo ad limbum in pœnam. Sed Christus primam manum suo merito debilitavit, secundam vero penitus amputavit. Igitur in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria pœnæ, sive meritoria vitæ æternæ, quia nec ab offensa Creatoris digni sumus absolvi, nec immensitatem præmii quod Deus est, digni sumus assequi, nisi per meritum hominis Dei.

Sexto, quantum ad id quod merebatur sibi, quia licet non mereretur glorificationem mentis, quam jam habebat, meruit tamen sibi per humilitatem passionis accelerationem resurrectionis, glorificationem sui nominis, & dignitatem judiciariæ po- A testatis, sicut ait Apostolus: Christus *Philip. 2* factus est pro nobis obediens usque ad mortem, & sequitur: Propter quod & Deus exaltavit illum, quoad primum, & dedit illi nomen, &c. quoad secundum, ut in nomine JESU omne genu flectatur, quoad tertium.

Septimo quantum ad modum, quo merebatur. Dicitur enim mereri quis tripliciter, scilicet de indebito faciendo debitum, vel de debito magis debitum, vel de debito uno modo faciendo debitum alio modo. Primo, vel secundo modo meruit nobis, & non sibi: quia non poterat facere sibi de indebito debitum, vel de debito magis debitum, cum a principio B fuerit sanctissimus, nec in sanctitate proficere potuerit. Tertio vero modo meruit sibi, quia bonum gloriæ, quod sibi fuit debitum per gratiam unionis, fecit sibi debitum alio modo, scilicet per meritum bonæ operationis: meruit enim sibi vitam æternam jam habitam, sicut nobis habendam.

Caput XVII.

De voluntate Christi.

VOluntas in Christo duplex fuit, scilicet creata, & increata. De voluntate increata supra lib. 1. dictum est: sed creata voluntas ejus C duplex fuit, scilicet rationis, & sensualitatis. Adhuc voluntas rationis duplex est, scilicet rationis, ut ratio est; & rationis, ut natura est: Voluntate rationis, ut ratio est, conformavit se in omnibus voluntati in- *Matt. 11* creatæ, sed voluntate rationis ut na- *Luc. 1* *Luc. 22* tura est, & voluntate sensualitatis *Matt. 26* voluit aliquid proprium, quod noluit voluntate rationis, ut ratio est, scilicet non mori: & in hoc istæ voluntates non fuerunt sibi contrariæ, licet volita contraria fuerint: quoniam secundum voluntatem divinam Christus quod justum erat voluit, sed voluntati rationis justæ consensit; secundum vero voluntatem carnis pœnam recusavit: & sic unaquæque voluntas quod suum erat tenuit, scilicet voluntas divina justitiam,

tiam, voluntas rationis obedientiam, A voluntas carnis naturam, id est, pœnæ recusationem. Unde patet quod aliquid velle est illicitum rationi, quod non est illicitum sensualitati, sicut fuit in Christo velle non mori. Quamvis autem voluntas non moriendi fuerit causaliter a sensualitate, fuit tamen occasionaliter a ratione; quia Christus sicut voluit fecit aliquid horribile venire in imaginationem, & æstimationem, quo facto naturaliter mortem refugit.
Matt. 26 Hoc autem voluit propter nostram instructionem: & sic ratio pro sensualitate advocavit dicens: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: & hæc petitio fuit tam sensualitatis, quam rationis: sed sensualitatis fuit tamquam affectantis, rationis autem tamquam proponentis: & hoc Christus fieri voluit ad triplicem instructionem nostram. Prima est, ut sciamus non esse peccatum aliquid velle ex sensualitate, quod est contrarium divinæ voluntati. Secunda est, ut martyres Christi non desperent, si mortem horreant, cum illam etiam filius Dei horruerit. Tertia est, ut discamus discrete petere, sc. supponendo voluntatem nostram voluntati divinæ: & hoc notatur in conditione apposita, si fieri potest, & ibi: Verumtamen non sicut ego volo.

Caput XVIII.

De defectibus, quos Christus assumpsit.

NOn solum Christus assumpsit humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam: quos, videlicet ipsum decuit assumere: unde cum pœnæ sint exercitativæ virtutis
Matt. 4 Joan. 4 perfectæ, & testificativæ humanæ naturæ, non simulate assumpsit pœnalitates tam corporales, quam spirituales, quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut famem, & sitim in absentia alimenti, tristitiam & dolorem in præsentia nocumenti, & hujusmodi, ut est calor, frigus, lassitudo, &c. Nec omnes defectus corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium: nec omnes defectus spirituales, sicut sunt peccatum, ignorantia, rebellio carnis ad spiritum. Præterea, quia nullus innocens debet invitus pœnam sustinere, cum hoc esset contra ordinem divinæ justitiæ, Christus sic pœnalitates suscepit, ut tamen pati non posset invite, quia passio sua nec fuit contra ordinem divinæ voluntatis, nec contra ordinem rationis, licet fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis. Dicimus etiam quod Christus vere timuit, & vere doluit, & vere tristis fuit, prout ista notant propassionem non secundum quod significant passionem. Differt autem propassio a passione: quia tunc affectio dicitur propassio, B quando anima sic afficitur, quod oculum mentis nequaquam turbat: passio vero dicitur quando ita fortis est, quod oculum mentis turbat, & facit a rectitudine, vel a Dei contemplatione deviare, & tunc ratio læditur & patitur, unde differunt ista duo, sicut dispositio & habitus.

Caput XIX.

De passione Christi.

CIrca passionem Domini commendamus in opere patientiam insuperabilem, in modo humilitatem admirabilem, in causa charitatem inæstimabilem. Circa opus nota quod C quod Christus sustinuit in tactu clavorum asperitatem, in auditu opprobriorum confusionem, in odoratu sputorum fœditatem, in gustu aceti & fellis amaritudinem, in oculis lacrymarum effusionem, in corde timorem.

De modo patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generali, quia secundum omnia Isa. 53
membra corporis. Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Item passione acerba. O vos omnes qui transitis per viam. Fuit Christi Thren. 1
passio maxima, tum ratione intensionis, propter optimam dispositionem ipsius patientis, tum propter innocentiam ejus, tum propter honoris ejus excellentiam. Honorabilis enim si confunditur, plus læditur, &

& præcipue inter suos: Item gravis A fuit ejus passio propter ipsius virtuositatem, quia homo vilis de morte sua dolere non debet, cum turpitudo sua tunc finem capiat. Item propter ignominiosam passionem. Vidimus eum despectum, &c. Hæc autem ignominia attenditur in patibulo crucis, quæ fuit supplicium pessimorum: & in consortio iniquorum, scilicet latronum cum quibus erat deputatus. Curat autem Christus passione generali infectionem universalem: passione acerba libidinem: passione ignominiosa superbiæ præsumptionem. *Isa. 53*

In causa passionis attenditur charitas maxima, qua nos liberavit a peccato, renovavit gratiam largiendo, qua cælum aperuit gloriam conferendo. Hæc tria notantur in titulo crucis. Nam propter primum dicitur JESUS, propter secundum dicitur Nazarenus, propter tertium, rex Judæorum.

Christus sex vicibus sanguinem suum fudit, quinquies vivus, & semel mortuus, scilicet in circumcisione, in oratione, in coronatione, in flagellatione, in crucifixione, in lanceatione. Per primum docemur peccata abiicere, per secundum mentis angustiam pro salute nostra tenere, per tertium animam nostram virtutibus ornare, per quartum carnem nostram domare, per quintum membra nostra mandatis Dei ligare, per sextum vulneratum cor Dei amore habere. Postremo quia istæ passiones non attingebant in Christo divinam naturam, sed humanam: ideo in morte Christi facta est divisio animæ sic a carne, ut tamen salva esset unio tam carnis, quam animæ cum divinitate. Hoc etiam sciendum est, quod Christus si passus non fuisset, tamen senio defecisset; quantum pertinebat ad conditionem humanæ naturæ in se consideratæ sine unione: sed in potestate naturæ unitæ fuit, vel sic deficere, vel non deficere.

CAPUT XX.

De effectu passionis Christi.

EFfectus passionis Christi multiplex est, sicut patet in his versibus.

Passio debilitat, spoliat, informat, honorat,
Excitat, inflammat, reparat, pacem dat, & armat.
Sanat, vivificat, ducit, dulcorat, obumbrat,
A culpa revocat, reserat, illuminat, ornat.

Primo, passio Christi debilitat virtutem dæmonum. Quasi in hamo B capiat Leviathan. Spoliat infernum. Voca nomen ejus, spolia detrahe. Informat per exemplum. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum: unde Christus est quasi liber positus in pulpito crucis, ut discamus obedientiam, patientiam, humilitatem, & charitatem. Disce autem specialiter quomodo se habuit in capitulo quando tenebatur: unde Bern. Stetit JESUS coram præside inclinato capite, vultu placido, sermone raro, voce submissa, deflexis in terram aspectibus, paratus ad opprobria, & ad verbera promptus. Honorat imitatores suos. Sic honorabitur quem rex voluerit honorare. Excitat ad pugnam spiritualem. Ostenderunt C elephantibus sanguinem. Inflammat ad diligendum. Bern. Super omnia te mihi reddit amabilem, bone JESU, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. Reparat naturam angelicam. Ipse enim Christus est lapis angularis, qui fecit utraque unum. Pacem dat inter Deum & hominem, & inter Angelum, & hominem. In tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Armat contra mundum, carnem, & diabolum: unde significatur per clypeum, quem levavit contra Hai. Sanat mentis vulnera. Aspicientes in serpentem æneum sanabantur. Vivificat spiritualiter. Apostolus: Cum essemus mortui peccatis, convivificavit, &c. Aug. Mortuus est unicus, ne maneret unicus. *Job. 40* *Isa. 8* *1 Pet. 2* *Esther. 6* *1 Mac. 6* *Eccl. 44* *Josue 8* *Num 21* *Ephes. 2*

Du-

Exod. 15 Ducit per mare hujus mundi de virga Moysi. Dulcorat de ligno misso in aquas Marath. *Cant. 1* Obumbrat: Sub umbra illius, quem desideraveram sedi. *Isa. 53* A culpa revocat. Attritus est propter scelera nostra. *Isa. 22* Reserat cælum. Dabis clavem David, id est, crucem super humerum ejus illuminat, unde crux est quasi candelabrum tabernaculi. *Tob. 11* Item illuminatus est per fel piscis. Ornat, unde dixit beata Agnes: Et sanguis ejus ornavit genas meas. Christus passione sua vicit diabolum, quem ligavit: infernum, quem spoliavit: mortem, quam superavit: mundum, quem contempsit: supplicium, quod pertulit: cælum, quod aperuit.

Passio Christi tollit semper vitia capitalia. Tollit enim superbiam capitis inclinatio, per quam videbatur titulum crucis fugere, in quo scriptum erat. Rex Judæorum. Invidiam brachiorum extensio, quasi ad amplexum invitans. Avaritiam, multorum erogatio, quæ in passione tradidit. Bernardus: Disce, Christiane, quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem suum in potum, animam in pretium, aquam lateris in lavacrum, vestem crucifixoribus, corpus discipulis, matrem Joanni. Acediam, festinatio ad passionem. Iram, mollis responsio. Gulam, fellis, & aceti potatio. Luxuriam, lateris vulneratio.

In redemptione nostra fuit gratia mirabilis. Primo ex parte motivi, quia charitas Dei vidit quod nec amicos, nec per pretium poteramus nos redimere: propterea fratrem nostrum se fecit, nostram naturam assumendo, & pretium dedit sanguinem suum pro nobis fundendo. *Psalm. 25* Redime me Domine, & miserere mei, quia unicus, id est, non habens amicos, & pauper, id est, non habens pretium, sum ego. Secundo ex parte redimentis, qui cum liberare nos posset ex potentia, fecit hoc potius ex misericordia, ut ad amorem suum nos adstringeret, & justitiæ suæ satisfaceret. Tertio ex parte redempti, qui opprimebatur criminum servitute, & detinebatur in carcere. Sed contra primum, magnum erat quod filius servus fieret, & servus fieret liber. Contra secundum magnum fuit quod dominus ad carcerem limbi descenderet, ut servus exiens cælum ascenderet. Quarto ex parte justitiæ, quia nulla justitia dictabat, ut innocens puniretur pro reo. Quinto ex parte excellentiæ divinæ, quia mirum erat, quod impretiabile ponebatur sub pretio vilis creaturæ. Sexto ex parte pretii dati. Si enim redemisset nos solum, adhuc ad gratias teneremur: nunc autem redemit nos anima, corpore, & vita, ut nihil horum sibi subtraheremus.

Circa passionem Domini nota septem suavitates, scilicet, capitis inclinationem ad osculum, in signum nostræ reconciliationis. Brachiorum extensionem ad amplexum, in signum receptionis in gratiam de peccato redeuntis. Lateris apertionem propter effusionem pretii nostræ redemptionis & ablutionis. Exivit enim sanguis & aqua. Clavorum in manibus & pedibus infixionem, propter memoriam nostræ recordationis. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum. *Isa. 49* Corporis denudationem, in exemplum nostræ confessionis, quæ scilicet debet esse nuda. Crucis portationem, in exemplum nostræ imitationis. Coronæ spineæ impositionem, in figuram nostræ glorificationis.

De effectu passionis Domini, ait August. Per redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cæleste regnum vocati sumus. Item dicit Augustinus quod Christus fuit sacerdos, per quem reconciliati sumus, fuit templum in quo reconciliati sumus, fuit Deus, cui reconciliati sumus.

Christus fuit mediator populi Judaici & Gentilis, & secundum hoc dicitur lapis angularis. Item hominum & Angelorum: & secundum hoc dicitur pacificus. Item Dei & hominum, & secundum hoc dicitur Redemptor, Bern. Quid ultra debuit facere, & non fecit? Absolvit vinctum, *Bern. in Cant. ser. 22 circ. fin.*

ctum,

ctum, illuminavit cæcum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Item Augustinus: Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas negatur, pro iniquo damnatur justitia, pro crudeli misericordia affligitur, pro misero miserator repellitur, sinceritas aceto inebriatur, dulcedo felle amaricatur, pro mortuo vita moritur.

Christus pro nostra infirmitate medicinas accepit in se. Curavit enim *Matth. 4* nos per dietam, quando jejunavit quadraginta diebus, &c. Per sudorem, *Luc. 22* quando factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis. Per minutionem, *Mar. 15* quando fuit clavis & lancea vulneratus. Per potionem, quando *Mat. 27* gustavit acetum cum felle mixtum. *Mar. 15* Per emplastrum, quando ejus facies fuit sputis illita. Per electuarium, quando corpus & sanguinem dedit in cœna discipulis.

Caput XXI.

De cruce Domini.

IN Cruce Christi notantur hæc. Supplicium, quo nullum majus. *Thren. 1* O vos omnes qui transitis per viam, *1 Pet. 3* &c. Nullum majus dico ex eo quod passus est ipse justus pro injustis, ab injustis, cum injustis, ex injustis causis, sub injustis judicibus, & injustis pœnis. Opprobrium, quo nullum vilius. Morte turpissima condemnemus *Sap. 3* eum. Pretium, quo nullum convenientius: quia sicut per lignum venit culpa, sic & per lignum redemptio. *Ephes. 3* Mysterium, quo nullum *1 Pet. 2* profundius, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, &c. quod exposuit Augustinus de cruce: Exemplum, quo nullum perfectius, Christus passus est pro nobis, &c.

Crux multis rebus comparatur. *Exod. 25* Ipsa enim est clavis cæli, Vectis arcæ, *Gen. 32* Navis maris, Arbor Danielis, Palma fructuum, Ferculum Salomonis, *Dan. 4* Baculus Jacob, quo transivit Jordanem. Speculum imitationis. Scala *Gen. 28* ascensionis. Hamus, quo Leviathan capitur. Torcular, quo Christi sanguis exprimitur. Cithara, qua dæmon *Job. 40* Saulis compescitur. Palus, in quo serpens æneus suspenditur. Thau, quo frontes fidelium signantur. *Isa. 63* *1 Reg. 18* Candelabrum, quo tabernaculum illuminatur. *Num. 21* *Ezech. 9* Lignum, aquas Marath dulcorans. *Exod. 25* Virga Moysi per mare rubrum populum Dei ducens. Gladius impium Goliam decapitans. *Exod. 15* Vexillum ad pugnam spiritualem colligens. *1 Reg. 17* *Esther. 6* Cathedra discipulos Christi *Josue 8* erudiens. Equus Dei amicos honorans. Clypeus Josue Hai impugnans, *Exod. 27* Liber mysteria profunda continens. *Luc. 23* Altare acceptissimam oblationem recipiens. *Matth. 27*

Septem verba Christus in cruce protulit: primum, Pater ignosce illis. Secundum, Hodie mecum eris in paradiso: Tertium, Mulier ecce filius tuus: Quartum, Sitio: Quintum, Eli, Eli, Lammasabacthani: Sextum, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Septimum, Consummatum est. Per primum docemur injurias dimittere. Per secundum petentes exaudire. Per tertium parentes honorare. Per quartum salutem nostram desiderare. Per quintum ad Deum in necessitatibus clamare. Per sextum auxilium nostrum in Deo ponere. Per septimum vitam nostram sine debito consummare.

Quatuor brachia crucis significant quatuor virtutes quibus extendi debet homo noster interior. Signat enim pars superior charitatem, inferior humilitatem. A dextris obedientiam. A sinistris patientiam. Item In quatuor brachiis crucis notantur beneficia crucis. Signat enim pars superior januæ cœlestis apertionem, inferior inferni destructionem. A dextris gratiæ collationem. A sinistris peccatorum remissionem. Quatuor ligna fuerunt in cruce, sicut dicit magister in historia: Pes namque crucis fuit de cedro. Stipes de cypresso. Transversale de palma. Tabula de oliva. Versus.

Crux Domini palma, cedrus, cypressus, oliva.

Significat enim cedrus altitudinem contemplationis. Cypressus famam bonæ opinionis. Palma fructum justitiæ. Oliva lenitatem misericordiæ.

CA-

Caput XXII.

De descensu Christi ad inferos.

Anima Christi post mortem descendit ad infernum sive ad limbum, ad liberationem eorum, qui Christi membra existentes de hoc sæculo transierunt. Diabolus enim dum manus in eum extendit, in quo nihil juris habebat, merito in aliis amisit potestatem.

Alia causa quare Christus ad inferos descendit, est ut tantus esset descensus, quantus fuerat liberandorum casus. Primus enim homo sic in statera liberi arbitrii positus fuerat, ut posset ad vitam æternam ascendere, vel ad mortem descendere, prout vellet. Sed peccato peracto sic alterum brachium stateræ per onus culpæ depressum est, ut esset in imo inferni, alterum vero in summo cœli. Non autem ascenderet brachium depressum, nisi descenderet brachium aliud. Descendit ergo Dominus usque ad infernum, ut hominem captivum elevaret usque ad cælum.

Tertia ratio quare Christus descendit ad infernum, est, ut sicut vivus fuerat lumen mundi per præsentiam corporalem, ita mortuus esset inferni lumen per divinitatis majestatem.

Quarta ratio est, ut hoc idem Christus exequeretur per efficaciam, quod passione sua meruerat secundum sufficientiam. Duo quippe meruit per suam passionem, scilicet satisfactionem, & januæ apertionem: & ideo hæc duo effecit in descensu suo ad inferos: quia per satisfactionem soluta sunt vincula captivitatis, per apertionem autem januæ, facta est illuminatio ipsius carceris, etiam secundum lucem exteriorem.

Liberavit autem Christus omnes illos qui meriti sui capaces esse poterant, sicut fuerunt sancti Patres, qui non propter reatum personæ, sed propter reatum naturæ detinebantur. Damnati autem hujus meriti capaces non sunt, neque parvuli in limbo detenti, quia de corpore Christi non sunt nec per fidem, nec per fidei sacramentum.

A Dicendum est quod anima Christi per triduum mortis suæ cum sanctis Patribus in limbo fuit, ibidem fuit & Latro, cui Dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso: quia nomine paradisi intelligitur Dei fruitio, quia peracta Dei passione, tam ipse latro, quam alii qui erant in limbo, viderunt Deum per essentiam. *Luc. 23*

Ad quem autem infernum Christus descenderit, si scire volueris, nota quod infernus sumitur dupliciter, scilicet pro pœna, & pro loco pœnæ. Secundum primum modum dicitur quod dæmones infernum secum portant semper. Item prout infernus sumitur pro loco pœnæ, quadrupliciter distinguitur. B Unus est infernus damnatorum in quo est pœna sensus & damni, ac tenebræ interiores & exteriores, id est, absentia gratiæ, iste semper habet luctum. Super hunc est limbus puerorum, ubi est pœna damni, & non sensus, & sunt ibi tenebræ exteriores & interiores. Supra hunc locum est purgatorius, in quo est pœna sensus & damni ad tempus, & sunt ibi tenebræ exteriores, & non interiores, quia per gratiam habent lucem interiorem, quia vident se esse salvandos. Supremus locus inter hæc est limbus sanctorum Patrum, ubi fuit pœna damni, & non sensus, & fuerunt ibi tenebræ exteriores, & non tenebræ privationis gratiæ. C Ad hunc locum Christus descendit, ac suos inde liberavit, & sic infernum momordit: quia partem abstulit, & partem reliquit: mortem vero quoad electos Deus penitus destruxit, sic dicitur: O mors: ero mors tua: ero morsus tuus o inferne. *Osee. 13* Hic quoque locus sinus Abrahæ dicebatur, quia ibi Abraham fuit. Sed nunc cælum empyreum dicitur sinus Abrahæ: quia jam est ibi Abraham. A nullo prædictorum locorum est transitus ad alium, nisi quod olim a tertio ad quartum, hoc est a purgatorio, ad limbum sanctorum Patrum. Ex jam dictis patet, quare cantamus: Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: quia infernus ibi sumitur pro purgatorio, sicut

sicut & ibi sumitur pro limbo, quando dicitur Christus ad inferos descendisse, vel infernum destruxisse.

Ex prædictis collige, quod Christus mortuus est in corpore, descendit ad inferos in anima, & surrexit in utroque. Dicendum est etiam quod Christus illo triduo totus fuit in sepulchro, sed non totum: totus fuit in inferno, sed non totum: quia totus dicit personam, totum vero substantiam & naturam. Similiter dicendum quod cum unio animæ cum corpore faciat hominem, Christus in illo triduo non fuit homo, licet anima & caro unita tunc essent cum Verbo.

CAPUT XXIII.

De resurrectione Christi.

CHristus resurrexit tertia die a mortuis, resumendo corpus non tale quale prius habuit, sed impassibile & immortale. Caro enim Christi, quæ in nativitate floruit, in passione aruit, per gloriam resurrectionis refloruit, & renovata est, ut aquilæ juventus Christi: tunc leo catulum suum suscitavit: tunc phœnix
Jere 18 revixit: tunc, sicut dicit Hieremias:
Figulus ex eodem luto fracti vasis
fecit vas aliud, sicut placuit in ocu-
Jona 2 lis ejus. Tunc Jonas de ventre Ceti
Matth 12 illæsus exivit: tunc vestitum est candelabrum auro: tunc suscitatum est tabernaculum David quod cecidit: tunc refulsit Sol, qui prius erat in nubilo: tunc vivificatum est granum frumenti quod cadens in terram mor-
Amos. 9 tuum fuerat: tunc cervus resumpsit
Joan. 12 Judic. 16 cornua: tunc Samson tulit portas
Gen. 41 cum postibus: tunc Joseph eductus de carcere tondetur, & constituitur Dominus Ægypti: tunc concissus saccus circumdatur lætitia. Dominus probavit resurrectionem suam esse veram per Angelos, qui non mentiuntur. Respondens autem Angelus
Mat. 28 dixit mulieribus, &c. Item per ini-
Mat. 28 micos, quorum validissimum est testimonium. Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus sacerdotum, &c. Item probavit eam non arte ma- A gica factam, & hoc per comestionem. Item non esse phantastici corporis, & hoc per tactum. Item probavit in eodem corpore, quo passus est factam, & hoc per ostensionem cicatricum. Item probavit eam fuisse in corpore glorificato unito deitati, & hoc per ingressum in domum janius clausis. Item probavit eam multis apparitionibus. Apparuit enim ipsa die resurrectionis quinquies.
Primo Mariæ Magdalenæ. Mulier Joan. 20
quid ploras? Secundo mulieribus re- Mat. ult. Joan. 20
deuntibus a monumento. Tertio Petro, sed non invenitur modus. Quarto duobus discipulis euntibus Emmaus. Quinto discipulis congregatis propter metum Judæorum, ja-
B nuis clausis, quando Thomas non Joan. 20
fuit cum eis. Item apparuit inter resurrectionem & ascensionem quin-
quies, scilicet Thomæ cum aliis. Joan.
Secundo discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis. Tertio discipulis in monte Tabor. Quarto in Hierusalem. Quinto quando comedit cum discipulis.

Multis de causis surrexit Dominus. Ut scripturas impleret. Quando enim
Dominus dixit: Ecce ascendimus Luc. 18 fi.
Hierosolymam, &c. subiunxit, & die tertia resurget. Ut nos ad surgendum spiritualiter provocaret: quia turpe est, ut sedeat servus, quando coram eo surgit Dominus. Ut futuram resurrectionem esse pro-
C baret. Ut potentiam suæ divinitatis ostenderet, quia mortuos suscitare non est opus naturæ, sed potentiæ divinæ. Non est enim regressus a privatione ad habitum. Ut nos ad contemnenda terrena pro adipiscenda tali gloria animaret. Surrexit
Christus velociter, quia tertia die. Joan. 20
Nam sicut janius clausis ad discipulos intravit, & sicut salva virginitate de utero matris exivit, sic eum mortuum, nec petra in qua jacuit, nec militum custodia potuit retinere. Integraliter, quia in corpore & anima. Socialiter, quia multa cor-
pora sanctorum qui dormierant, sur- Mat. 27
rexerunt. Æternaliter, Apostolus: Rom. 6
Christus resurgens ex mortuis jam non, &c. Similiter surgendum est nobis spiritualiter, sicut eisdem modis

dis resurgemus die judicii corporaliter. Resurrectio Christi est causa & figura nostræ resurrectionis spiritualis. Causam dico motivam, & hoc dupliciter, quia causa motiva est, in comparatione nostri. Dum enim consideramus gloriam resurrectionis Christi, movemur ad surgendum in novitate vitæ. Item causa motiva est in consideratione Dei Patris: quoniam Pater dans resurrectionem filio, movetur ad dandam eamdem gloriam fratribus suis: sicut rex quando facit filium suum militem movetur amore filii, ut cum eo faciat multos milites. Figura vero
Rom. 6 fuit: quia sicut Christus surrexit in novitate vitæ, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Item sicut diem resurrectionis Christi præcessit dies mortis in parasceve, & dies quietis in sabbatho sequenti, ita gloriam resurrectionis nostræ præcedat in nobis mortificatio membrorum & vitiorum, & quies contemplationis æternorum. Nota quod sicut duplex est mors, scilicet animæ per culpam, & corporis per extinctionem, ita duplex est resurrectio, scilicet animæ per gratiam, & corporis per gloriam. Et sicut animæ mors causavit mortem corporis, sicut habetur
Gen. 3. in Genesi: ita e converso resurrectio animæ causabit resurrectionem corporis gloriosam. Sciendum autem quod quidam suscitantur ficte, sicut Samuel, qui licet vere Sauli apparuerit, ut habetur in lib. Re-
1 Reg. 27 gum: Non tamen vere resuscitatus fuit, ut quidam dicunt. Quidam im-
Joan. 11 perfecte sicut Lazarus iterum moriturus. Quidam perfecte sicut CHRISTUS semper victurus. Prima resuscitatio significat conversionem, sive pœnitentiam hypocritarum. Secunda recidivantium. Tertia perseverantium.

CAPUT XXIV.

De ascensione Christi.

DIfferentia est inter ascensionem, & assumptionem, & evolationem: quoniam ascensio pertinet ad Christum: assumptio ad beatam Virginem: evolatio autem ad alios sanctos. Et ratio hujus est, quoniam ascensio fit propria virtute ascendentis, assumptio autem virtute Christi assumentis, quia filius specialiter obsequitur matri. Evolatio vero fit ministerio Angelorum. Alia est differentia, quia locus evolantium est distinctio chororum. Locus vero assumptæ Virginis est super choros Angelorum. Locus vero Christi ascendentis est supra, vel ultra locum assumptæ Virginis.

Circa ascensionem Christi octo sunt consideranda quæ circumstant ascensionem, & colliguntur ex officio de ascensione. Primum est quod, scilicet elevatus est videntibus omnibus Act. 1
B discipulis, ut desiderium veniendi ad ipsum excitaretur in eis. Secundum est, quod nubes suscepit eum ab oculis eorum. Per umbram nubis figuratur, quod in hoc mortali corporem JESUM in alto videre non possumus. Tertium est quod elevatis manibus ferebatur in cœlum. Luc. 24
Elevavit autem manus propter duo, scilicet ut suos patri offerret, & ut inimicos alte retracta manu percuteret. Quartum est, quod benedixit eis, ut eos contra hostem muniret, & bonis cælestibus augeret. Quintum est, quod ascendit in jubilatio- Psalm. 46
ne, quod refertur ad vocem jucunditatis Redemptorum ascendentium cum ipso, qui prius voce lacrymabi-
C li in portis inferni clamaverunt. Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris. Sextum est, quod ascendit in voce tubæ, quod refertur ad sonum prædicationis Apostolorum, qui sonus fuit eis injun- Rom. 10
ctus dicente Domino. Euntes in mun- Marc. 16
dum universum, prædicate Evange- Psal. 18
lium omni creaturæ, &c. Ex tunc enim in omnem terram exivit sonus eorum. Septimum est, quod ascendens in altum captivam duxit captivitatem, id est, captivos captivitate inferni, quos secum victor captivos eduxit. Octavum Ephes. 4
est, quod dedit dona hominibus: Psal 67
quia omnia bona nostra desursum sunt, quo Christus ascendit. Horum prima duo habentur ex Actibus, sed tertium & quartum ex fine Evange-

gelii secundum Lucam, quintum & sextum ex Psalmista. Item septimum & octavum ex Psalm.

Ascendit Christus regressus ad cælum multipliciter, scilicet tamquam obediens completa obedientia, quoad Patrem: tamquam bonus mediator facta pace, & concordia, quoad homines: tamquam strenuus propugnator contra dæmones. Ascendit Christus pluribus de causis, scilicet ad quiescendum post labores, quibus fatigatus fuit triginta tribus annis nobis serviens. Ad intercedendum pro amicis, pro quibus utiliter laboravit. Bernardus: Securum accessum habes o homo ad Deum, ubi habes Filium mediatorem, & matrem interventricem. Filius ostendit patri latus, & vulnera: mater ostendit pectus & ubera. Ibi nulla potest esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia. Christus ergo optimus advocatus est: quia tot habet linguas pro nobis loquentes quot vulnera pro nobis accepit. Ad conquerendum de inimicis pro quibus vires suas inutiliter expendit. In vacuum laboravi.
Isa. 40 Item ascendit Christus, ut nobis lo-
Joan. 14 cum præpararet. Vado vobis parare locum. Ut fiduciam in ipsum sperandi nobis tribueret, ut in corporalem possessionem æternæ hæredita-
Joan. 16 tis nos mitteret. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ut desiderium nostrum post se traheret. Trahe me post te. Ut viam nobis ad cœlum ostenderet, quia si-
Luc. ult. cut dicitur in Luca: Eduxit Dominus prius discipulos suos foras civitatem in Bethaniam, ut ipsa eductione cognoscerent se hic non habere manentem civitatem. Quod autem in Bethaniam eduxit eo prius, quæ interpretatur domus obedientiæ, significat quod per opera obedientiæ transituri essent ad cœlestia. Post hoc fecit eos transire in montem olivarum, ut per montem intelligatur eminentia spiritus in contemplatione, per olivas autem pinguissimi pectoris devotio. Ulterius vero post ista non restat nisi saltus animæ in cœlum.

Exaltatus autem fuit Christus tripliciter, scilicet in terra per vitæ A meritum: super terram per crucis suspendium: super cœlos per ascensionis jubilum. Ascensio Christi fuit Angelis mirabilis. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra: Dæmonibus terribilis. Non *Isa. 63*
fuit tantum gaudium heri & nudiustertius. Væ nobis. Hæc sunt verba Philistinorum, quando vociferaban- *1 Reg. 4*
tur filii Israel, dum adduceretur arca fœderis in Silo in castra, ut per eam haberent divinum adiutorium in prælio. Hominibus salutaris, sicut supra patet de multiplici fructu ascensionis Christi.

Ascendit Christus multipliciter, scilicet potenter: quia elevatis manibus ferebatur in cœlum. Patenter, *Act. 1*
B quia videntibus illis elevatus est. Gaudenter, quia ascendit in jubila- *Psalm. 46*
tione. Decenter, quia cum duabus turmis regrediebatur, scilicet hominum & Angelorum. Non autem di- *Gen. 32*
co, quod ibi fuerint Angeli in adiutorium necessitatis, sed in obsequium dignitatis. Homines quoque illos dico, quos de inferis liberavit, & qui post resurrectionem usque ad ascensionem mortui sunt de numero salvandorum, nec purgatorio ulterius indigentes. Clementer, quia benedixit eis.

Christus non statim post resurrectionem cœlum ascendit, triplici
C ratione. Prima, quia differenda erat *Luc. 24*
ascensio, ut multipliciter probaretur resurrectio, ut dicitur. In multis argumentis apparens ei per dies quadraginta. Secunda est, ut patientiam *Act. 1*
nostram informaret, quia mercedem debemus æquanimiter expectare, sicut agricola non statim post seminationem metit, sed fructuum maturitatem expectat. Tertia est propter discipulorum consolationem, unde *Act. 1*
dicit: Glossa: Sicut quadraginta fuerunt horæ mortis Christi, ita quadraginta diebus cum eis conversatus est post resurrectionem, quia consolatio divina excedit tristitiam humanam.

Nota quod Christo convenit descendere de cœlo tantummodo secundum divinam naturam, quia Deus illuc venire dicitur, ubi speciali effectu apparet: sed ascendere proprie ei

ei convenit secundum humanam naturam, quia secundum illam solummodo mutat locum, non secundum divinam naturam.

Caput XXV.

De consessu Christi ad dexteram Dei Patris.

Ascendens Christus in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Duo intelliguntur per dexteram: Primum est æqualitas majestatis, ad quam Christus sedet secundum divinitatem. De hac dextera loquitur Apostolus, dicens: Talem habemus Pontificem, qui consedet in dextera majestatis in excelsis. Secundum est, per dexteram intelliguntur potiora bona gloriæ, in quibus Christus sedet secundum humanitatem, quoniam collatum est ei a Deo quidquid conferri potuit. Et licet ab instanti conceptionis Christus accepit bona gratiæ & gloriæ in anima, eadem tamen bona fuerunt in ascensione manifestata, & in loci congruentia completa. De hac dextera dicitur: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, ubi dicit Glossa, quod sursum ubi sedet Christus, sunt potiora bona gratiæ, & gloriæ. Dicimus ergo quod ascensio Christi fuit tam ad locum, quam ad dignitatem. Inquantum quidem fuit ad locum, sic ascendit super omnes cœlos, id est, ad dignissimum locum cœli empyrei, sive ad altissimam ejus partem, eo quod nobilissimo Christi corpori congruit locus talis. Non tamen est dicendum quod corpus suum sit obligatum ad locum illum, sed quia locus ille sit sibi secundum congruentiam deputatus. Inquantum autem fuit ad dignitatem, sic sedet ad dexteram Patris, non tamen quoad situm, qui Patri non convenit, sed quoad excellentiam duplicem, sicut dictum est: quia per dexteram intelligitur vel æqualitas majestatis, quæ competit Christo secundum divinitatem, vel perfectio præmii, quæ sibi competit secundum humanitatem.

Marc. 16 *Hebr. 8* *Coloss. 3*

Prætereundum quoque non est, quod credimus Christum ad dexteram Dei Patris sedentem. Stephanus autem vidit eum stantem a dextris Dei: quia nos credimus eum regnantem & quiescentem, quod notatur in sessione: sed Stephanus in tribulatione positus habuit propugnatorem & susceptorem, unde vidit eum stantem.

Merito Christus sedere dicitur ad dexteram Dei. Sedere quidem, quia laboravit. In labore fui a juventute mea. Ad dexteram autem, quia diu fuit in sinistra adversitatis. Afflictus sum & humiliatus sum nimis; &c. Dei vero dicitur, quia post abiectionem merito debet consequi gloriam: quia qui se humiliat, exaltabitur.

Psal. 87 *Psal. 37*

COMPENDII

THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER QUINTUS

De Gratiarum Sanctificatione.

CAPITA HUJUS LIBRI.

Caput I.

De virtutibus, & origine gratiæ.

QUEMADMODUM de cœlis Deus non descendit per essentiam suam incommutabilem, sed per influentiam ab ipso manantem; ita spiritus rationalis non elevatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem, unde necesse est spiritui rationali, si debet esse dignus æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ spiritualis.

Caput II.

De origine virtutum, & gratiæ.

AD bonum gratiæ non potest quis per se venire, cum hoc non fit secundum limites naturæ, sed secundum influentiam largitatis divinæ. Sicut enim creatura pro sua defectibilitate suo principio semper eget, ut sit in esse naturæ, sic idem principium pro sua bonitate influere non cessat creaturæ rationali vitam spiritualem, ut bene sit ei in esse gratiæ, quam habere non potest sine Deo largitore. Verumtamen inexcusabilis est homo si gratiam gratum facientem non recepit: quia gratia gratis data semper præsto est liberum arbitrium excitare & commovere, cujus est huic admonitioni consentire: & hoc est quod in se est facere, quo facto potest homo gratiam gratum facientem habere, quia hoc est ad gratiam gratum facientem se præparare. Quamvis enim gratia Dei habeatur Dei dono efficiente, non tamen sine libero arbitrio consentire: quia sicut ait August. Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Igitur gratia gratum faciens a tribus est, sed aliter & aliter. Est enim a Deo efficiente, a gratia gratis data liberum arbitrium excitante, & movente, & a libero arbitrio consentiente. Quamvis enim liberum arbitrium non possit gratiam efficere in homine, potest se ad hoc habilitare, & præparare ut habeat: sicut aliquis non potest illuminare domum, potest tamen aperire fenestram, quo facto sol intrat & domum illuminat. Quod autem dico de libero arbitrio consentiente, intelligo de adultis: quia in parvulis sufficit fides, & Sacramentum Ecclesiæ & meritum Christi, & excusat impotentia sui.

August. De verbis Apostoli, ser. 15 post med. to. 10

Sciendum etiam quod habilitatio sive præparatio ad gratiam triplex est scil. efficiens, formalis & materialis. Prima est a Deo. Secunda a gratia gratis data. Tertia a nobis. Anima namque habet facultatem, & instrumenta cognoscendi & diligendi Deum ex natura, sed non habet cognitionem veritatis, & ordinem dilectionis, nisi ex gratia.

Ad opera bona tria nos incitant, scilicet lex naturæ, quæ scripta est in corde hominis, dicens: quæ vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite, &c. Ratio, quæ dicit ea esse delectabilia, & utilia & honesta. Gratia, quæ dicit serviendum esse Deo, quia summe bonus: subveniendum proximo, quia Dei filius, quia imago Dei, quia in beatitudine socius. *Matt. 7*

Gratia non datur ei, qui se non habilitat ad gratiam: & de hoc multa habes exempla, scilicet in illo, qui ad largiendum manum non extendit, quia Deus quantum in se est, dat omnibus affluenter. In illo qui contra lumen oculos claudit, cum Deus faciat oriri Solem suum super bonos & malos. In illo qui fontem recipiens, fundum vasis sursum erigit, quia Deus, sicut ait Augustinus ingenti liberalitate atque libertatis ubertate replet omnes creaturas pro captu earum. In illo qui domum suam sepit spinis, ne amicus ingrediatur. Ipse vero Deus semper stat ad ostium, & pulsat. In illo qui zizania non extirpat de agro suo, propter quod fructus proficere non possunt. In illo qui lingna igni subtrahit, quia tunc ignis deficit. In illo qui ad sumendum cibum negligit os aperire, quia talis deberet merito fame mori. In illo, qui tempore pugnæ arma proiicit, quia talis sepæ capitur & vulneratur. In illo, qui movere negligit remos tempore *Jac. 1* *Apoc. 3* *Mat. 13*

pore tempestatis, quia talis submergitur. In illo qui existens in ægritudine medico contradicit.

Gratia nobis procedit a Deo, sicut radius a Sole, sicut germen a radice, sicut mel a flore, sicut rivus a fonte, sicut imago ab artefice, secundum exemplar interius, & facturam exterius.

Caput III.

De distinctione gratiarum.

Gratia dicitur tripliciter. Primo generaliter, & sic gratia est adiutorium divinum creaturæ gratis impensum, & indifferenter ad quemcumque actum, quia sine hujusmodi adiutorio gratiæ nihil possumus, facere, immo nec in esse durare.

Secundo dicitur gratia specialiter, & talis gratia dicitur gratis data, scilicet donum, quo se homo præparat ad suscipiendum donum Spiritus sancti. Hujus enim gratiæ est revocare liberum arbitrium a malo, & excitare ad bonum, sine qua nullus facit sufficienter quod in se est, ut præparet se ad salutem.

Tertio, dicitur gratia proprie, scilicet donum divinitus datum ad merendum: quod quidem donum gratia gratum faciens appellatur. Sine ista gratia nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad gloriam pervenire. Ista triplex gratia sumitur ex verbis Apostoli, ubi ait: Gratia Dei sum id quod sum, ecce prima: & gratia ejus in me vacua non fuit, ecce secunda: sed gratia ejus semper in me manet, ecce tertia. (1 Cor. 15)

Præter prædicta dicitur gratia gratis dans, scilicet Deus. Item gratia gratiæ signum, ut est Prophetia, & potestas faciendi miracula. Gratia gratum faciens distinguitur in operantem & cooperantem. Gratia operans dicitur præveniens, & incipiens, ac liberans, quia peccatum expellit. Gratia cooperans dicitur subsequens, & perficiens, ac adiuvans, quia liberum arbitrium adiuvat, & ei cooperatur in merito.

Multipliciter distinguitur bonum. A Est enim bonum per essentiam, & hoc est Deus. Unde nemo bonus, nisi solus Deus. (Marc. 10) Est & bonum per participationem, & illud distinguitur in bonum gratiæ, & in bonum naturæ. Unde Augustinus: Omne quod est, inquantum est, bonum est. (Aug. lib. de vera relig. tom. 1) Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. (Genes. 1) Item est bonum in genere, hoc est bonum in obiecto, sicut est eleemosyna. Nam ibi est actus in debita materia, etiamsi desit forma circumstantiarum. Item est bonum ex circumstantia, hoc autem est quando bonum ex genere vestitur debitis circumstantiis, sicut est dare eleemosynam indigenti, tempore debito, & ex compassione, & B hujusmodi. Item est bonum virtutis, & hoc est, quando additur operi perfectio ex parte operantis, quæ est per habitum mentis bene constitutæ. Item est bonum meritorium: quando additur ipsi operi debiti finis intentio super motum naturalem. Item est bonum gratiæ, ut est ipse habitus gratum Deo faciens. Item est bonum gloriæ, ut bonum remunerationis æternæ.

Caput IV.

De effectu gratiæ.

Effectus gratiæ est quod excitat liberum arbitrium ab bene cogitandum, & sanat ipsum mutando C affectum, ipsumque corroborat perducendo a actum. Item gratia hominem Deo reconciliat, a peccato liberat, & pœnam æternam in temporalem commutat. Item gratia opora nostra meritoria facit, & bona per peccatum amissa restituit, ac stabulum in palatium convertit. Item per gratiam efficitur anima sponsa Christi, filia Regis æterni, & templum Spiritus sancti. Item gratia ipsam anima purgat, illuminat, & perficit. Item gratia mentem elevat, Deo assimilat, & spirituali solatio cibat.

Nota quod quamvis virtus gratuita simul insit animæ, cum gratia, non tamen habet effectum suum tam cito sicut gratia, quoniam effectus gratiæ est facere gratum Deo, & fa-

facere dignum vita æterna, & hic effectus statim inest puero post Baptismum. Virtutis autem effectus est elicere actum meritorium de potentia, & hic effectus non statim inest puero post Baptismum. Hoc autem non est propter defectum virtutis, sed propter impotentiam naturæ agentis. Puer enim non est aptus ad actus voluntatis. Unde sciendum quod triplex est perfectio. Prima est gratiæ, & causat esse gratuitum. Secunda est virtutis, & causat bonum actum. Tertia est operis virtutis, & causat meritum. Prima perfectio perficit animam, secunda perficit animæ potentias, tertia perficit ipsos actus.

Caput V.

De virtutibus, & primo quid sit virtus.

Colligitur ex Aug. li. 2 de lib. arb. c. 18 & 19 to. 1. NUnc de virtutibus est agendum, & primo quid sit virtus. Virtus est, ut ait Augustinus, bona qualitas mentis, qua bene vivitur, qua nullus male utitur, quam solus Deus in homine operatur. Hæc diffinitio datur in comparatione ad agentem. Item secundum Augustinum: *Auct. de spir. & ani. c. 4 apud Aug. to. 3* Virtus est habitus mentis bene constitutæ, & hæc datur in comparatione ad bonum, in quo est. Item dicit Philosophus: *Arist. lib. 2 ethic. c. 6* Virtus est habitus voluntarius in mediocritate consistens, quoad nos, terminata ratione prout sapiens determinavit. Hæc diffinitio datur in comparatione ad actum circa quem est. Item Philosophus, *Idem Arist. 7 phys. text. 17* Virtus est dispositio perfecti ad optimum: hæc datur secundum comparationem ad finem. Item Isidorus, Virtus est naturæ habitus, animæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus divinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum: hæc datur in comparatione ad effectum.

Diffinitio August. sic exponitur, *Virtus est bona qualitas*, hic ponitur qualitas pro genere; *bona* vero dicitur ad differentiam malarum qualitatum animæ. Dicitur quoque *bona*, quoniam a bono Deo datur, & bonos tantum inhabitat, & bonos facit, & ad bonum perducit. *Mentis* A ponitur ad differentiam qualitatum, quæ sunt in corpore. *Qua bene vivitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus recte intelligitur, sicut est scientia. *Qua nullus male utitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus bene & male uti possumus. *Quam solus Deus operatur in homine*, ponitur ad differentiam virtutum Cardinalium quæ habentur per acquisitionem.

Circa aliam diffinitionem Augustini notandum est, quod ibi ponitur, *habitus mentis institutæ*, & hoc ad similitudinem regni, quod tunc bene instituitur, quando recte consulitur, & bene imperatur, & juste obeditur. Eodem modo bene instituta est B mens, si ratio recte consulit, si voluntas bene imperat, si sensualitas debito modo obtemperat.

Etymologia virtutis hæc est. Virtus dicitur quasi vis intus: & hæc vis consistit in aggressione arduorum, in tolerantia adversorum, & in abstinentia placitorum. Item dicitur virtus quasi viror nitens. Item dicitur virtus quasi virum tuens. Item dicitur virtus quasi viribus nitens. Item dicitur virtus quasi viri status.

Caput VI.

De perfectione virtutum.

C CUm virtus in medio consistat secundum Philosophum, illud *Arist. 2 eth. c. 6* medium est in tribus, scilicet in agendis, in habendis, & in sustinendis. In agendis, scilicet intra, supra, & citra modum. Apostolus: Rationabile sit obsequium vestrum. *Rom. 12* In habendis scilicet inter superfluum & indigentiam. Divitias & paupertatem ne dederis mihi. *Prov. 30* In sustinendis, scilicet inter elevari in prosperis, & deiici in adversis, unde illud: Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. *Deut. 5* Multiplex est perfectio, scilicet sufficientiæ: hanc habent omnes existentes in charitate. Ordinis hujus proprium est servare continentiam. Religionis, hujus proprium est renunciare omnibus. Prælationis, ad hanc pertinet ponere animam

pro ovibus suis. Securitatis, hujus A proprium est habere mortem in desiderio, & vitam in patientia. Ad primam perfectionem tenetur quilibet: ad ultimam vero nullus tenetur: sed ad tres medias tenentur aliqui ex causis.

Virtus comparatur multis rebus, scilicet auro. Aurum probat fornax.
Prov. 27 Thesauro abscondito. Simile est re-
Matt. 13. gnum cœlorum thesauro ascondito.
Eccl. 50 2 Reg. 1 Gemmis. Quasi vas auri solidum, or-
Matt. 7 natum omni lapide pretioso. Armis.
Quomodo ceciderunt fortes in prælio, & perierunt arma bellica. Arboribus. Omnis arbor bona, fructus bonos facit. De hoc Hugo de S. Victore. Arbor sapientiæ per timorem seminatur, per gratiam irrigatur, B per fidem radicatur, per devotionem germinat, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet, per disciplinam floret, per doctrinam fructificat, per patientiam maturescit, per mortem capitur. Item vir-
Cant. 2 tus comparatur floribus. Fulcite me
Cant. 4. floribus. Fons hortorum, puteus aquarum viventium. Semitis. Viæ
Prov. 3 ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ
Psal. 44. ejus pacificæ. Vestibus. Astitit regina a dextris tuis in vestitu de au-
Baruc. 3. rato. Stellis. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis. Pigmentis.
Cant. 3 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Cibariis. Unde Dominus in C
Joann. 4. Evangeliis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit
Psal. 54 me. Alis. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ.

Tres sunt bonæ conditiones virtutis, quæ sunt tentationis remotio, actuum multiplicatio, & in bono delectatio. Primum ipsam virtutem in radice firmat: secundum, quasi floribus decorat: tertium, sapore fructuum delectat. Similiter dicendum est, quod ad consummationem virtutum quatuor ista concurrunt, scilicet dispositio præparans, habitus informans, operatio probans, præmium coronans.

Caput VII.

De æqualitate virtutum.

Virtutes omnes in homine sunt æquales, licet inter se distinctæ sint, per proprias excellentias: & hæc æqualitas in multis consistit. Æquales namque sunt virtutes. Primo, quantum ad essentiam: quia omnis virtus simplex est. Secundo, quantum ad æqualem radicationem in anima, secundum quod sunt in ipsa. Tertio, quantum ad relationem ad eumdem finem, quia omnes propter Deum operantur. Quarto, quantum ad æqualem effectum, quia æqualiter faciunt dignum vita æterna. Quinto, quantum ad æqualem facilitatem ad actus suos quantum in ipsis est, nisi impediantur.

Sicut virtutes æquales sunt prædictis modis, ita inæquales sunt aliis modis. Primum quantum ad usum, quia sunt sicut arma. Sed sicut miles non pugnat æqualiter cum omnibus generibus armorum, quæ habet, immo melius pugnat cum illis, quæ frequentius visitavit, sic est de virtutibus. Secundo, quantum ad auctoritatem, quia secundum hoc ma-
jor omnibus virtutibus charitas. Et 1 Cor. 13
quælibet virtus potest esse major alia secundum aliquam prærogativam, quam habet secundum aliquem effectum. Tertio, quantum ad fervorem, quia virtus una ferventius operatur, quam alia.

Sciendum est, quod eadem virtus numero non est æqualis sibi semper. Crescunt enim virtutes multis modis, scil. quantum ad intensionem, quantum ad radicationem, quantum ad potentiam virtutis, quantum ad majorem expressionem divinæ similitudinis, & quantum ad diuturniorem permanentiam. Præterea crescente una virtute crescunt omnes, & habes exemplum in cithara: in qua si debet esse debita proportio sonorum, necesse est, ut quando una chorda tenditur, etiam omnes aliæ tendantur ne in harmonia fiat dissonantia.

Quare autem polleat aliquis usu unius

unius virtutis potius quam alterius, A multæ sunt rationes. Prima est, quia Deo sic placet, qui dator est virtutis. Secunda est natura complexionis, quæ magis est consona operibus unius virtutis, quam alterius. Tertia ex usitatio: quia exercitavit se quis magis circa unam virtutem, quam circa aliam. Quarta est quia minus impugnatur a vitio contrario illi virtuti. Quinta est, quia majorem habet discretionem in operibus unius virtutis, quam alterius. Quælibet enim virtus habet suas proprias rationes. Sexta est difficultas status, quia cum de novo quis convertitur, licet habeat majorem charitatem, quam alius qui diu fuit in charitate, non tamen est ita bene expeditus ad bene agendum, sicut ille propter reliquias peccatorum, quæ adhuc inhærent.

Jac. 1

Magnitudini scientiæ respondere debet magnitudo virtutis, & hoc multiplici ratione, scilicet ratione exempli divini. Plenum gratiæ & veritatis. Potens in opere & sermone. Cœpit Jesus facere, & docere, &c. Ratione exempli Angelici, qui quanto plus cognoscunt, tanto plus diligunt. Ratione exempli humani. Qui autem fecerit, & docuerit, hic major, &c. Ratione exempli naturalis, quoniam lux, & calor in Sole proportionantur. Ratione obligationis. Servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Joan. 1 Luc. ult. Act. 1 Matt. 5 Luc. 12

Caput VIII.

De connexione virtutum.

Connexæ sunt sibi virtutes & coordinatæ, ita ut qui unam habet, habeat omnes. Prima ratio est largitas Dei dantis, quia non dat unam sine alia. Secunda ratio est, quia sicut unum membrum indiget alio, sic est in virtutibus. Tertia ratio est, quia sicut in cithara, si defuerit una corda, non erit harmonia perfecta, ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. Quarta ratio est, quia contra singula vitia sunt aliquæ virtutes. Unde oportet omnes virtutes habere, ut omnia vitia impugnentur. Nam sicut miles mundi non est expeditus, nisi omnia sua arma habeat, ita nec miles Christi, si aliqua virtus sibi defuerit. Quinta ratio est, quia sicut stellæ & planetæ semper sunt in sphæris suis, ita virtutes in anima esse debent. Sexta ratio est, quia anima est sicut vas auri solidum, ornatum lapide pretioso, id est, virtutibus. Septima ratio est, quia anima est sicut hortus nobilis, cui non deest decor alicujus floris, vel arboris. Octava, quia anima est sicut apotecha, cui deesse non debet alicujus radicis, vel pigmenti medicina.

B Ea autem, quæ de connexione virtutum dicta sunt, intelligi debent de virtutibus gratuitis, quæ omnes quoad habitus sunt connexæ, sicut quoad actus meritorios sunt æquales. Et licet similes sint virtutes, tamen aliquæ dicuntur matres virtutum, non quod habitus virtutis generet habitum, sed motus motum, sicut dicit Bernardus, ubi inquit: Lectio parit cognitionem, cognitio amorem, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem impetrationem.

C Secundum hunc modum quatuor dicuntur esse matres virtutum, scilicet, fides origine, quia ex motibus fidei surgunt motus aliarum virtutum, Charitas educatione, Prudentia regimine, Humilitas conservatione. Vitia vero non sunt connexa sicut virtutes: cujus ratio est, quia vitia sunt in nobis ex operationibus nostris, quæ simul non sunt. Virtutes autem Theologicæ non sunt in nobis per acquisitionem, sed per infusionem. Alia ratio est: quia vitia sunt opposita adinvicem, sicut avaritia, & prodigalitas, quod non est in virtutibus.

Caput IX.

De commendatione virtutum.

Virtus commendabilis est. Primo, a causa efficiente, quæ est Deus. Ipsam enim, ut ait Augustinus, solus Deus in homine operatur. Se-

cundo, a causa materiali, in qua est, quia non nisi in bonis inhabitat. Non est autem sic de bonis naturalibus & fortuitis, quia talia pluit Deus super justos & injustos. Tertio, a causa formali, quæ est decor spiritualis. Omnis gloria ejus filiæ regis, &c. Quarto, a causa finali. Augustinus præmium virtutis est ipse, qui virtutem dedit.

Matt. 5

Psal. 44

Virtus est bona multipliciter. Primo in se, quia sicut ait Augustinus, virtus est bona qualitas mentis. Nota quod bona possessio est, quæ propinqua est civitati, hæc autem est intra civitatem, quia in anima. Secundo in cooperatione. Optimum est gratia, &c. Tertio, in operatione, quia bonum facit hominis opus, quod non esset meritorium, nisi ex virtute procederet. Gregorius: Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis. Quarto, in commutatione, quia de lupo facit agnum, & tenebras convertit in lucem. Malum enim culpæ mutat in bonum gratiæ, & malum pœnæ mutat in bonum gloriæ: quod significat aqua mutata in vinum. Quinto, in distinctione, quia per virtutes distinguuntur filii Dei, a filiis diaboli. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si diligatis vos ad invicem. Sexto, in exemplificatione, quia omnes Sancti studebant virtutibus. Unde commendamus in Abel innocentiam, in Abraham obedientiam, in Joseph continentiam, in Moyse mansuetudinem, in David humilitatem, & sic de aliis.

Aug. lib. 2 de lib. arb. c. 18 & 19 tom. 2

Greg. hom. 27 in Evangel. non longe a pri.

Gen. 4
Gen. 12
Num. 12

Laudabilis est virtus propter multa. Quia magnæ dignitatis, Christum enim Doctorem habuit. Unde in Matthæo: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Quia magnæ sublimitatis. Tullius: Virtus una est altissimis defixa radicibus. Quia magnæ jucunditatis: Ecce quam bonum, & quam jucundum. Quia magnæ retributionis. In custodiendis illis retributio multa. Quia magnæ utilitatis Boetius: Numquam sine pœna sunt vitia, & numquam sine præmio sunt virtutes. Quia magnæ securitatis. Tullius: Hæc demum

Matt. 11

Psal. 132
Psal. 18

A sapientia est, ut omnia tua in te posita esse dicas.

Commendabilius est studium virtutis studio scientiæ. Ratione exempli, quia Sancti sic fecerunt. Ratione auctoritatis. Apostolus: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1 Cor. 4
Ratione effectus, quia virtus peccatum expellit, scientia non. Ratione originis, quia virtus a Deo infunditur, scientia per studium acquiritur. Ratione finis, quia finis virtutis est gloria, & non scientia. Ratione obiecti, quia virtutis obiectum est bonum, scientiæ autem verum. Ratione materiæ, in qua est, quia virtus non nisi in filiis Dei, scientia non semper. Ratione securitatis, quia securius est esse bonum, B quam esse Philosophum. Ratione honestatis, quia major gloria est sequi Deum, quam Aristotelem. Ratione vitandi mali, quia primi parentes, si extendissent ita manum ad lignum vitæ, sicut ad lignum scientiæ, non incurrissent tot mala in se & in posteris, sicut incurrerunt.

Caput X.

De effectu virtutum.

Virtutis gaudium præcellit gaudium mundi, in jugitate, seu duratione. Secura mens quasi juge convivium: sed gaudium hypocrytæ ad instar puncti. In puritate C conscientiæ, sicut mundius quiescitur in floribus, quam in luto. In dignitate. Glossa: Elatio animi de his, quæ digna sunt, gaudium mundi de indignis est. In salubritate. Nihil utilius in vita hominis, econtra gaudium mundi. Extrema gaudii luctus occupat. In libertate. Ad Galatas: Qua libertate Christus nos liberavit, & rursum, in libertatem vocati sumus. Peccator autem ligatus est. Iniquitates suæ capiunt impium, funibus peccatorum suorum constringitur. In divina præsentialitate. August. Tale bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit. Sed nota contrarium in malis.

Prov. 15

Sap. 8
Prov. 14
Gal. 4 & 5

Prov. 5

Virtus operatur mira multipliciter, scilicet in cœlo, cui vim facit. Unde in Mat-

Mat. 11 Matthæo: Regnum cœlorum vim patitur. &c. In mundo, quia custodit hominem, ne comburatur igne concupiscentiæ, & ne mergatur in aquis voluptatis, ne inquinetur luto incontinentiæ, & ne laceretur spinis avaritiæ, in corde humano, quia vulneratum sanat, inquinatum mundat, mortuum vivificat, excæcatum illuminat. In inferno, quia ignis infernalis non potest lædere virtuosum, sicut nec ignis materialis Salamandram. Virtus rationabilem illuminat ad cognitionem veri, concupiscibilem excitat ad amorem boni, irascibilem confortat ad detestationem mali. Item Deo assimilat, quia Patri per virtutis vigorem, Filio per veritatis splendorem, Spiritui S. per charitatis fervorem Angelis conformat. Hieronymus: In carne enim præter carnem vivere, naturæ est Angelicæ, non humanæ. Mentem jucundat, ornat, sublevat, honorat, sanat, vivificat, cibat, ditat, mundat. Item virtus mala præterita expellit, præsentia impugnat, & a futuris præmunit. Item virtus mentem bene instituit, dilectum Deo hominem facit, fructum tam præmii, quam meriti adducit, temporalia discrete disponit, opera quæ in se indifferentia sunt, bona facit. Sicut ea quæ dicta sunt, declarant vobis effectus virtutum generales, ita sunt etiam singularum virtutum effectus aliqui speciales. Sicut est quod humilitas Deo subiicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, patientia perducit, perseverantia introducit, puritas jungit, charitas Deo unit.

Caput XI.

De meritis virtutum.

Meritum est boni operis efficacia ad obtinendum id quod non habetur, vel ad habendum justius quod habetur. Unde per meritum de non debito fit debitum, & ipsum debitum fit magis debitum. Sicut rex dat equum, quem miles non meruit, sed per usum equi meretur eumdem equum jam datum.

A Ad intelligendum autem prædicta sciendum, quod triplex distinguitur meritum, scilicet congrui, digni, & condigni. Meritum congrui est per quod disponitur subjectum, ut possit recipere gratiam, secundum rationem divinæ justitiæ. Istud vocatur dispositio materiæ, scilicet dum quis facit quod in se est. Meritum digni dicit idoneitatem operantis ad assequendum id quod meretur. Meritum condigni dicit æqualitatem meriti ad remunerationem. Dico autem æqualitatem non Arithmeticam, sed Geometricam, id est non quantitatis, sed proportionis. Et hoc patet, quia Deus semper remunerat supra meritum, sicut punit citra condignum. B Unde non est inter meritum & præmium æqualis quantitas, sed proportio, quia apud Deum non est justitia commutativa, cum nulli debeat aliquid, sed distributiva. Rom. 11 Vocatur autem justitia commutativa, justitia fori, qua datur unus panis pro uno denario, vel ulna panni pro solido. Justitia vero distributiva est principium quo distribuuntur dona secundum proportionem ad merita, & ista est apud Deum. Unde Apostolus: Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1 Cor. 3

Dicendum ergo, quod nullus meretur sibi primam gratiam merito digni, vel merito condigni: sed tantummodo merito congrui. C Similiter existens in charitate non potest alteri mereri primam gratiam merito condigni, sed merito digni, & merite congrui. Potest autem existens in gratia mereri sibi augmentum gratiæ ex condigno, & per consequens merito digni, & merito congrui prout superius exposita sunt. Præfati tres modi merendi generaliter habentur, unde si alii inveniuntur ad eosdem tres reduci poterunt. Cum ergo dicitur quod beata Virgo meruit portare Christum, intelligendum est comparative, id est, meruit ipsa potius quod portare debuit, quam alia. Item mali dicuntur mereri temporalia, quia nullum bonum irremuneratum, sicut nullum malum impunitum: sed hoc dicitur improprie,

prie quia opera in mortali facta non sunt directe bona, cum non sint informata charitate: sed quia talia opera aliquid boni habent, Dominus interpretatur ea, ut bona, & aliquid dat pro eis. Item peccator quandoque meretur occasionaliter, quia pauperes interdum obtinent benefactoribus gratiam suis precibus, quarum precum occasio sunt eleemosynæ. Item satis improprie sumitur meritum, ubi dicitur: Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Ibi enim ponitur meruit, pro exigebat.

Caput XII.

De habilitate virtutum.

Quamvis nullus sibi mereatur primam gratiam secundum quod dictum est, potest tamen peccator se habilitare ad gratiam faciendo quod in se est, quia nulli talium gratia denegatur. Hoc autem non est ex merito digni, vel condigni, sed congrui. Hæc autem congruitas multo magis est ex parte Dei gratiam conferentis, quam ex parte hominis se ad gratiam habilitantis: quia in præparatione ad gratiam, & in infusione gratiæ habet se anima ad modum materiæ, ipse vero Deus ut primum movens & efficiens. Alia ratione patet quod hujusmodi congruitas magis est a Deo, quam ab homine; quia habilitatio, quæ est ex parte hominis, solummodo dat locum divinæ misericordiæ, ut salva justitia possit alicui conferri gratia: quia injuria fieret divinæ justitiæ, si tali daretur gratia in quo esset obex, id est, voluntas peccandi.

Sufficiens igitur habilitatio ad gratiam est, si homo facit quod in se est. Facere autem quod in se est, tria complectitur, scilicet ut homo actum peccandi, & voluntatem peccandi deserat, & conetur in bonum prout est sibi possibile. Nota quod omne meritum, vel demeritum acquiritur in hac vita. Item non bonum facere, sed bene facere, lauda-

A bile est. Non enim verbis, sed adverbiis meremur. Unde versus.

In vitæ meritis præsunt adverbia verbis.

Caput XIII.

De operibus meritoriis.

Opera meritoria totaliter sunt a gratia, & totaliter sunt a libero arbitrio, licet principaliter a gratia: quia gratia comparatur ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum. Sicut enim sessor equum dirigit: ita gratia dirigit liberum arbitrium in exercitio virtutum. Per nos enim malum facere possumus, sed non bonum.

B Ad efficaciam merendi tria valent. Primum est difficultas operis, quod patet in martyrio. Secundum promptitudo voluntatis. Apostolus: Hilarem datorem diligit Deus. Tertium est magnitudo charitatis. Ipsa enim charitas pondus est sanctuarii, secundum quod omnia, quæ erant in templo, ponderabantur. 1 Cor. 5 Levit. 17

Ad hoc quod aliquod opus sit meritorium, tria requiruntur. Primo, quod ipsum opus fiat in charitate: quia opera, quæ fiunt extra charitatem, mortua sunt, sicut carbo extinctus. Secundo, quod fiat ex charitate, multa enim fiunt in charitate, quæ tamen non sunt meritoria, C ex eo quod non fiunt ex charitate, id est, quia non referuntur ad finem debitum. Tertio, quod ipsum opus sit referibile ad bonum. Hoc ideo dico, quia mala non possunt bona intentione fieri, alioquin sequeretur absurditas, quod idem opus esset meritorium & demeritorium.

Attenduntur autem tria in merito ex parte hominis, scilicet subjectum, hoc est anima. Item liberum arbitrium. Item intentio, sive finis. His tribus respondent tria ex parte Dei, scilicet gratia, virtus, charitas. Et gratia quidem reddit subjectum Deo gratum: virtus autem habilitat liberum arbitrium: charitas vero dirigit intentionem ad debitum finem. Dicit Augustinus quod

quod meritum consistit penes liberum arbitrium; occasionaliter hoc dicit, quia liberum arbitrium facit ad meritum, sed non sufficit. Item penes virtutem; formaliter hoc dicit, quia ex virtute tamquam ex forma procedit motus, & elicitur de potentia. Item penes motum virtutum; essentialiter hoc dicit, quia motus essentialiter est meritum: quia penes ipsum est. Item penes gratiam, efficaciter hoc dicit, quia sine gratia nullus motus est meritorius. Item penes opus; instrumentaliter hoc dicit, quia opus exterius est quasi causa instrumentalis ipsius meriti.

Nota generaliter, quod non meremur sine gratia, neque passionibus inquantum passiones sunt, neque motibus naturæ. Dicit enim Philosophus: Natura neque boni neque mali sumus, neque inviti. Augustinus: Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit, neque libero arbitrio ligato. Quisquis enim non habet usum rationis & liberi arbitrii, non meretur, vel demeretur, sicut sunt infantes, dormientes, insani, & animalia bruta.

Caput XIV.

De fine actionis.

Quia meritum vel demeritum circa finem actionum attenditur, ideo nota regulas de hac materia.

Ex fine dicitur actus bonus, vel malus. Malus actus non fit ex fine bonus. Una intentio multos actus informat. Unde si aliquis intendit unum solidum dare pro Deo, ita quod quotidie det unum denarium, si quandoque obliviscitur, & non refert in Deum dationem hujus denarii, tamen datio est meritoria, propter ipsam intentionem primam. Finem sub fine potest quis ponere, verbi gratia. Aliquis intendit ire ad forum, & hoc intendit, ut emet medicinas, & ad hoc emit eas, ut curetur ab infirmitate, & ad hoc curari desiderat, ut melius Deo serviat. In isto ultimo præcedentes voluntates omnes sunt meritoriæ propter

A ultimum. Secundum enim ultimum finem omnes præcedentes voluntates judicantur bonæ vel malæ. Diversi fines non sunt faciendi, quorum unus non sit ad alium referibilis, verbi gratia: aliquis intendit ire ad quamdam domum, ut luxurietur, ad hoc vult luxuriari, ut sanior sit, ad hoc vult esse sanus, ut serviat Deo. Iste finis ultimus illam voluntatem, quæ est luxuriari, non informat, sed potius e converso illa voluntas istam intentionem deformat. quia una intentio perversa plures depravat voluntates.

Nota quod actio corporalis potest referri ad finem temporalem, dummodo postea referatur ad Deum.
B Actio autem spiritualis, ut prædicatio, non potest referri ad finem temporalem, etiam si illud temporale referatur ad Deum. Et hoc est, quod dicit Augustinus: Debemus manducare, ut evangelizemus, non evangelizare, ut manducemus. Si autem in actionibus finis primus ponatur Deus, & finis ultimus aliquod temporale, perversissimum est. Bene autem licet constituere duos fines, scil. temporalem & æternum, ut scilicet illud quod est æternum finis sit ultimus.

Caput XV.

C

Quid mereamur bonis operibus.

Opera bona sunt meritoria trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ. Primum respondet radici operis, scil. charitatis: & hoc est præmium substantiale vitæ æternæ, præmium vero accidentale respondet generi operis, sicut & augmentum gratiæ, quia operibus excellentibus & supererogativis meremur magis augmentum gratiæ, quam aliis operibus.

Remissio autem pœnæ respondet pœnalitati operis, quia opera, quæ magis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Est enim regula in Theologia, quod pœna pœnæ est resolutoria. Nota igitur quod li-

licet tota vis merendi vitam æternam, & etiam alia, consistit in charitate, non tamen totus effectus: quia affectus merendi consideratur etiam penes magnitudinem operis, sicut patet in merito remissionis pœnæ, quod non solum consistit in charitate, sed etiam in operibus pœnalibus: & hujus exemplum habemus in Christo, qui meruit nobis apertionem januæ Paradisi cum effectu. hoc autem meritum non erat in sola charitate, sed in charitate & excellentia operis, id est, in sua passione.

Sciendum est, quod de præmio substantiali meretur homo tantum per unum actum, quantum per mille manente eadem radice & non crescente. Valent tamen hujusmodi opera ad multa alia. Unde versus, *Jocundat*, scilicet mentem: *stabilit*, scilicet virtutes: *auget*, scilicet meritum accidentalis præmii: *peccata remittit*, quantum ad pœnam, quæ jam dimissa sunt quoad reatum per gratiam. *Debilitat*, fomitem, *removet*, acediam, *exercitat hominem*, id est, assuefactione boni, *atque repellit*, tentationes diaboli.

Nota quod primam gratiam nullus peccator potest mereri proprie, & hoc multiplici ratione. Prima, quia talis non habet radicem merendi, id est, gratiam. Secunda, propter status indignitatem, quia peccator non est dignus pane, quo vescitur. Tertia, quia nullius hominis opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Unde prius respexit Deus in Abel, quam ad munera ejus, ut dicitur in Genesi. Quarta, quia naturaliter antecedit causa suum effectum, sic & gratia cum sit causa meriti præcedit meritum. Ipsa enim secundum Augustinum, voluntatem nostram prævenit, ut velimus, & sequitur, ne frustra velimus.

Gen. 4

Aug. in Enchir. c. 32 & 1 med. c. 3

Gratia, sicut supra dictum est, per bonum usum ejus, & merito condigni meretur augeri in via, ut aucta mereatur perfici in patria, & hoc a Deo, cujus est gratiam infundere, augere, & perficere secundum cooperationem voluntatis nostræ. Nam sicut Deus est ipsius gratiæ fontale principium influendi, sic ipse solus est principium augendi per modum infundentis, gratia vero per modum meriti & dignitatis, sed liberum arbitrium per modum cooperantis. Sicut liberum arbitrium per gratiam meretur merito condigni augmentum gratiæ in statu viæ, sic etiam meretur merito condigni ipsius complementum in statu patriæ.

Quod autem ex condigno mereamur vitam æternam, multæ sunt causæ. Prima est efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in merito. Secunda veritas Dei promittentis. Tertia, persuasibilitas liberi arbitrii consentientis, & finaliter perseverantis. Quarta difficultas status merendi. Quinta, dignitas Christi capitis nostri intervenientis, quod glorificari debet cum membris suis. Sexta, liberalitas Dei tribuentis, quem non decet parva reddere. Septima est obsequium fideliter obtemperantis. Octava, nobilitas operis quod ex charitate procedit, quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor ex quo procedit, & ideo non potest sufficienter nisi summo bono remunerari.

Opera quæ non fiunt in charitate, licet non valeant ad vitam æternam, valent tamen ad alia multa, unde versus; *Aptat cor*, scilicet ad susceptionem gratiæ, *minuit pœnam* scilicet illam, quæ deberetur, si non fieret illud opus, non autem illam, quæ jam debetur, & *dat bona terræ*, scilicet temporalia, *occupat*, scilicet ne sit homo interim otiosus, vel operi malo deditus, *assuescit*, scilicet ad bene operandum, *delectat* scilicet mentem, *mitigat*, scilicet fomitem, *arcet* scilicet fluxum peccati. Ultimo sciendum quod nullum malum erit impunitum, & nullum bonum irremuneratum.

Caput XVI.

De diffinitionibus & differentiis virtutum.

Macrob. l. 1 in somn. Scrip. c. 8

Virtutes secundum Macrobium dicuntur quandoque politicæ, quandoque purgatoriæ, quandoque purgati animi, quandoque exemplares. Primas docet Salomon in Proverbiis, secundas in Ecclesiaste, tertias in Canticis, quartas in Deo legimus. Politicæ namque dicuntur secundum quod regunt vitam humanam, quoad opera exteriora: & secundum quod pugnant contra vitia. Purgatoriæ dicuntur secundum quod jam sunt in victoria vitiorum, & respiciunt partim interiora, partim exteriora. Purgati animi dicuntur, quando victis jam vitiis possessor virtutum quiescit, raro insurgentibus primis motibus. Exemplares dicuntur quæ in mente divina consistunt. Nam ideæ virtutum in Deo sunt, & ipse rerum omnium est exemplar.

Arist. l. 1 ethic. c. 3

Aristoteles dividit virtutes in intellectuales & consuetudinales. Intellectuales dividit in sophiam, id est, sapientiam, & intelligentiam & phronisin, idest, prudentiam spiritus. Et hæc tria ordinant nos ad Deum, quia sophia regit affectum, intelligentia intellectum, sed phronisis utrumque. Prudentia enim spiritus regit cogitationes, & affectiones. Virtutes vero consuetudines divisit in honestatem & liberalitatem. Hæc duo ordinant nos ad hominem: quia honestas ordinat hominem quoad seipsum, liberalitas quoad proximum. Item philosophia moralis dividitur in ethicam, œconomicam, & politicam. Harum prima mores quoad ipsum hominem, sive quoad seipsum instruit: secunda familiam disponit; tertia urbes & regna gubernat & regit.

Circa virtutes hoc tenendum est, quod cum sit una gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes quibus humana vita regitur: tres scilicet Theologicæ, & quatuor Cardinales. Et licet hæ virtutes sint gratuitæ per informantem divinam A gratiam, possunt tamen informes fieri per culpam, & iterum informari per pœnitentiam adveniente gratia, quæ est habituum virtutis origo, finis & forma. De hac lege sola charitas excipitur, quæ informis esse non poterit sicut ceteræ virtutes, cum sit virtutum forma. Nam cum habitus aliarum virtutum habeatur sine gratia & charitate, in quibus consistit vita virtutum: tunc sunt informes. Cum autem gratia supervenerit, tunc formantur & decorantur, & Deo fiunt acceptabiles. Unde virtutes informes sunt sicut colores in tenebris, sicut carbones extincti, & sicut rami aridi, & sicut alæ mortuæ, sicut aurum obscuratum, & B gemmæ conversæ in silices. E converso virtutes formatæ sunt sicut colores in luce, visibiles quidem, & aspectui complacentes: & sicut carbones ardentes, & sicut rami virentes, & sicut alæ viventes ac volantes, & sicut aurum fulgens, & sicut gemmæ vas aureum decorantes.

Differentia est inter virtutes, & præcepta, & dona, & fructus, & beatitudines: quia virtutes potentias disponunt, præcepta opera respiciunt, dona operibus perfectionem addunt, fructus facultatem spiritui, sive gustui saporem spiritualem apponunt, beatitudines ipsis virtutibus præmium, sive vitæ, sive patriæ conjungunt: Alia est differentia, quia virtutibus C bene operamur, donis expedite, beatitudinibus perfecte operamur, sed fructibus fruimur Deo.

Caput XVII.

Differentia virtutum Cardinalium, & Theologicarum.

Differentia virtutum Theologicarum, & cardinalium hæc est, quia Theologicæ movent ad finem, sed Cardinales ad ea, quæ sunt ad finem. Alia differentia est, quia Theologicarum virtutum finis, & objectum est ipse Deus: sed virtutum Cardinalium finis est ipse Deus, & non objectum proprie, quia virtutes Theologicæ habentur per infusionem: Cardinales vero per acqui-

quisitionem. Item virtutes Theologicæ movent ad opera ex rationibus sumptis a jure divino, sed Cardinales a jure naturali. Item virtutes Theologicæ attenduntur quantum ad actus interiores, cardinales vero ad opera exteriora. Item virtutes Theologicæ non habentur sine donis, cardinales vero sine donis haberi possunt. Item virtutes Theologicæ sunt discretivæ actuum in Deum, cardinales vero in proximum. Item in Theologicis sic est quod habitus generat actus, sed in cardinalibus est e contra, quia ibi actus generat habitus. Unde Philosophus: Quales inquit sunt actus, tales sunt & habitus.

Caput XVIII.

De virtutibus Theologicis in genere.

Anima quantum ad superiorem partem in qua consistit imago Trinitatis, rectificari habet per tres virtutes Theologicas. Unde sicut imago Creatoris consistit in Trinitate personarum, & unitate essentiæ, sic imago recreationis, in Trinitate habituum cum unitate gratiæ. Per hos autem tres habitus virtutum anima fertur in summam trinitatem secundum tria appropriata tribus personis: ita quod fides dirigit in summe verum credendo, & assentiendo: spes vero in summe arduum innitendo, & expectando: charitas autem in summe bonum desiderando & amando.

Virtutes Theologicæ differunt inter se multipliciter. Primo secundum actus proprios. Nam fides facit Deo assentire, spes in Deo confidere, charitas facit Deum diligere. Secundo differunt ratione subjecti: quia fides est in rationali, spes in irascibili: charitas in concupiscibili: sed ambæ sunt in voluntate, quæ propter similitudinem actuum accipit nomina harum potentiarum. Tertio differunt ratione objecti. Nam fides est circa verum, spes circa arduum, charitas circa bonum. Quarto ratione effectus differunt. Nam fides in præsenti Deum sequitur, spes A in cœlum comitatur, charitas perenniter amplexatur. Quinto differunt ratione cognitionis: quia per fidem cognoscitur Deus ut veritas, per spem habetur, ut æternitas, per charitatem diligitur, ut bonitas.

Caput XIX.

De fidei utilitate.

Fides secundum Apostolum est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. *Heb. 11* In hac diffinitione fides dicitur substantia, id est, fundamentum substans ædificio spirituali, quod est gratia, & gloria. Ipsa namque fides facit B aliqualiter res sperandas in nobis subsistere per gratiam, & faciet tandem per gloriam. Vel ideo fides est fundamentum gratiæ & gloriæ, quia ipsa est primus habitus virtutum: primus dico non tempore, sed natura. Rerum sperandarum dicitur, quia fides per assensum facit in nobis subsistere res sperandas. Argumentum dicitur, id est, arguens mentem, quia fides inclinat intellectum ad credendum ea, quæ non apparent, & propter hoc dicitur fides potius argumentum quam conclusio: quia fides probat de non apparentibus quod sint, & non probatur. Non apparentium dicitur, quia fides sua luce & virtute manifestat C ea quæ non apparent, tam præterita, quam præsentia, quam etiam futura. Præterita quidem, quia secundum Apostolum fide intelligimus aptata esse sæcula. Præsentia vero, *Heb. 11.* sicut ait Augustinus: Demus, inquit, *Aug. ep. 3. ad Volusia. ante med. t. 2.* Deo aliquid posse, & nos intelligere non posse. Futura autem, quia per fidem credimus resurrectionem mortuorum, & hujusmodi.

Fides dicitur multipliciter, scil. habitus informatus charitate, illuminans mentem ad credendum. Fide purificans corda eorum. Qualitas *Act. 15.* informis. Fides sine operibus mortua est. *Jac. 2.* Motus fidei. *Matt. 8.* Augustinus *Matt. 15.* *: Fides est credere quod non vides. ** Aug. tr. 17 in Joan. t. 9.* Facilitas credendi. Non inveni tantam fidem in Israel. Devotio fidei. Mulier, magna est fides tua. Arti-

cu-

cultus fidei. Unde in symbolo Athanasii: Hæc est fides Catholica, ut credamus & confiteamur.

Sicut in aliqua scientia quædam sunt antecedentia, ut suppositiones: quædam vero consequentia, ut conclusiones: quædam quasi media ut propositiones probantes: ita in doctrina fidei quædam sunt ibi ad modum suppositionum, ut ea, quæ sunt de jure naturali, & universali antecedentia articulos fidei, scilicet quod scriptura sit condita & exposita inspiratione Spiritus sancti, & quod vera sunt quæ loquitur Dominus in Scriptura, & per sanctos suos, & hujusmodi: quædam ad modum conclusionum, ut ea quæ ad mores pertinent, scilicet non esse fornicandum, fornicationem esse mortale peccatum, & hujusmodi: quædam ad modum propositionum, ut articuli fidei.

B

Et nota quod fides est quasi media inter opinionem & scientiam, quia opinio se habet ad unam partem contradictionis, cum formidine alterius partis, & sine causæ cognitione. Scientia vero se habet ad aliam partem contradictionis sine formidine reliquæ, & cum causæ cognitione per media necessaria, Unde scientia est necessariorum, & ita patet quod fides participat cum utraque.

Ad fidei perfectionem septem pertinent. Primum est quod sit primæ veritati innixa, sicut fides Moysi, qui negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Secundum est, quod sit charitate formata, sicut Mariæ Magdalenæ, quam fides salvam fecit, & cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertium est quod sit devotione fervida, sicut illius mulieris, cui dixit Dominus: O mulier, magna est fides tua. Quartum, quod sit bonis operibus probata, sicut fides Cornelii. Quintum, quod sit fortitudine roborata, sicut fides Stephani, Laurentii & aliorum martyrum, qui per fidem fortes facti sunt in bello. Sextum, quod sit obedientia decorata, sicut fides Abrahæ. Septimum, quod sit humilitate subjecta, sicut fides beatæ Virginis, quæ ait: Ecce ancilla Domini.

Heb. 11

Luc. 7

Matt. 15

Act. 10

Luc. 1

Nota quod fides magis innititur auctoritati, quam rationi, quia secundum Gregorium: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; intellige, sufficiens. Quamvis enim fides rationibus firmetur, tamen nec talibus, nec experimento sensibili debet quis credere contra fidem: sicut patet in Eucharistia, ubi & visus & gustus, & tactus & olfactus dicit esse panem, & vinum, sed fides dicit esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, unde Augustinus: Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, debemus auctoritati, quod opinamur, debemus errori.

Greg. hom. 20 in Ev. non longe a princ.

Aug. l. de util. credendi con. Manich. c. 11 f. 6

Nota quod duplex est cognitio de Deo, scilicet naturalis, & accidentalis. Naturalis cognitio duplex est, scilicet ante peccatum, qua homo cognoscebat aperte Deum in creaturis: & post peccatum, & hoc est per speculum & in ænigmate. Accidentalis cognitio triplex est. Prima est acquisita per rationes naturales, quam habuerunt Philosophi, & hæc dicitur scientia. Secunda est, quæ habetur testimoniis scripturarum & miraculorum: & hæc cognitio dicitur fides informis. Tertia est, quæ habetur per infusionem gratiæ gratum facientis, & hæc dicitur fides formata, & per talem cognitionem assentit anima primæ veritati propter se, & supra omnia. Unde ea adveniente pereunt omnes aliæ cogitationes accidentales, ad minus quoad actum. Cum enim aliæ cognitiones veniunt in animam, tunc fides tamquam velocior præoccupat motus omnium, cum fides sit de non apparentibus, & difficile sit occulta credere.

C

Duo autem sunt necessaria ad hoc, ut firmiter credatur. Primum est illustratio veritatis animam elevans. Secundum est rectificatio auctoritatis animam firmans: quorum primum est per fidem, secundum per scripturam authenticam, & per Spiritum sanctum editam. Auctoritas

tas ergo præbet fulcimentum fidei, & fides assentit auctoritati. Utrumque vero per Christum est, propter quod & splendor & verbum dicitur, quia mentem per fidem illuminat, & veritatem per doctrinam ostendit.

Hoc quoque sciendum est, quod tantum una est fides, tam in præteritis, quam in præsentibus, quam etiam in futuris, licet magis clara sit in eis & explicita, qui sequuntur Christum, quam in eis qui præcesserunt ejus adventum, sicut novum Testamentum clarius est quam vetus. Quod enim nos credimus esse factum, antiqui patres credebant esse futurum, exceptis articulis qui adhuc restant complendi, sicut est resurrectio mortuorum, & judicium extremum, & remuneratio bonorum, & punitio reproborum.

Caput XX.

De effectu fidei.

Fides multa bona facit, hominem salvat. Unde dictum est Magdalenæ; Fides tua te salvam fecit. Mentem purgat. Fide purificans corda eorum. Contra mundum pugnat: Sancti per fidem vicerunt regna. Postulata impetrat. Unde in Matthæo: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. Perseverantiam dat: Apostolus: Tu autem in fide stas. Temporalia contemnit. Fides Moyses grandis effectus, negavit se filium esse filiæ Pharaonis. Justificat. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Beatificat: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, &c.

Super fundamentum fidei quidam ædificant aurum contemplationis, quia qui contemplatur sine fide, quasi qui nititur videre solem sine oculis. Quidam argentum prædicationis, quia qui prædicat sine fide, non loquitur eum, qui secundum Deum est, fidelem sermonem. Quidam lapides pretiosos bonorum operum, quia qui bene operatur sine fide, est sicut qui facit structuram super arenam. Item alii ædificant ligna, id est, amorem ardentem temporalium. Alii fœnum, id est, fumum delectationum carnalium. Alii stipulam, scilicet otiosorum verborum, & operum infirmorum. isti quidem salvantur merito fundamenti, & sic tamen quasi per ignem purgatorii, quo exuretur ædificium non idoneum tanto fundamento.

Fides habet quosdam effectus essentiales & principales, ut est facere filios Dei, & facere dignos vita æterna, & facere similes Deo, & purgare animam a tenebris peccati sive infidelitatis: & isti effectus sunt a Deo. Alios habet effectus voluntarios & secundarios, ut est credere, & dirigere opera aliarum virtutum, & imperare omnibus suo modo. Et isti effectus a libero arbitrio sunt.

Caput XXI.

De articulis fidei.

Si respectus habeatur ad eos qui symbolum ediderunt, tunc articuli sunt duodecim secundum numerum duodecim Apostolorum. Si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quatuordecim, quorum septem spectant ad divinitatem, & septem ad Christi humanitatem & hæc signata sunt in septem stellis, & septem candelabris aureis: in quorum medio filius hominis ambulabat.

Sunt igitur septem articuli fidei, qui pertinent ad divinitatem. Primus est unum Deum esse, qui ibi notatur, *Credo in Deum*. Secundus est, Patrem Deum esse, ibi, *Patrem omnipotentem*. Tertius est; Deum Filium esse, ibi: *Et in Jesum Christum Filium ejus*. Quartus est: Deum Spiritum sanctum est, ibi: *Credo in Spiritum sanctum*. Sic patet quod prædicti quatuor articuli sunt de unitate divinæ essentiæ, & Trinitate personarum. Quintus est credere remissionem peccatorum his qui sunt in Ecclesia: ibi, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum*. Sextus est credere

dere

dere mortuorum resurrectionem. Septimus est credere bonorum remunerationem, sub quo comprehenditur & malorum punitio: ibi, *Vitam æternam*. Et isti tres articuli ad divinitatem pertinent: quia virtute divinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ vivificatio & corporum resurrectio, atque corporis simul & animæ glorificatio.

Alii septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est credere Filium Dei esse conceptum de spiritu sancto, ibi: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*. Secundus est credere Filium Dei natum ex Maria Virgine, ibi: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*. Quartus est, Filium Dei descendisse ad inferos secundum animam, ibi: *Descendit ad inferna*. Quintus est, Filium Dei resurrexisse a mortuis, ibi: *Tertia die resurrexit a mortuis*. Sextus est eumdem ascendisse ad cœlos & sedere ad dexteram Patris, ibi: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis*. Septimus est, Filium Dei judicaturum vivos & mortuos, sive bonos, sive malos, ibi: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*.

Isti quatuordecim articuli colliguntur ex symbolo quod Apostoli ediderunt. Articulum primum & secundum de divinitate posuit Petrus, Tertium Andreas, Bartholomæus Quartum, Quintum Simon, Thadæus Sextum, Septimum Matthias. Item primum articulum de humanitate Christi posuit Jacobus major, Secundum & Tertium Joannes, Quartum Thomas, Quintum Matthæus, Sextum Jacobus minor, Septimum Philippus.

Tria sunt symbola. Primum Apostolorum. Secundum Niceni Concilii. Tertium Athanasii. Primum factum est ad fidei instructionem. Secundum ad fidei explanationem. Tertium ad fidei defensionem.

Nota quod aliud est credere Deum aliud est credere in Deum, & aliud credere Deo: quoniam credere Deum, A est credere ipsum esse. Credere autem in Deum, est credendo ipsum amare, & amando in Deum ire, ac membris ejus incorporari. Credere vero Deo, est credere verbis ejus.

CAPUT XXII.

De spe.

Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia & meritis propriis proveniens. In hac diffinitione non sumitur certitudo demonstrationis in qua plene uni parti consentitur, sed certitudo opinionis qua uni parti consentitur, quia ratione probari videtur, nec tamen B omnino, sed cum formidine. Hujus autem expectationis causa principalis est gratia Dei, & non nostra merita: quia opera nostra non sunt meritoria, nisi ex Dei gratia: Sine meritis tamen aliquid sperare, non est spes, sicut ait Gregorius, sed præsumptio. In prædicta diffinitione diffinitur, motus spei, & non virtus, sed virtus spei diffinitur sic: Spes est audacia mentis de largitate Dei concepta habendi vitam æternam per bona merita.

Inter fidem & spem talis est differentia: Fides enim est de præteritis & futuris, spes autem de futuris tantum. Fides est de bonis tam sibi, quam aliis, spes autem de bonis C sibi tantum. Conveniunt tamen in hoc, quod tam fides, quam spes est de invisibilibus. Certitudo spei ex tribus oritur, scilicet ex divina largitate, ex abundantia meritorum, & ex prægustatione æternorum.

Nota quod spes prout est viatorum, sic est cum certitudine opinionis, ut dictum est. Spes illorum, qui sunt in purgatorio, & qui fuerunt in limbo, est cum certitudine scientiæ, & non opinionis, ut est illa viatorum: unde declinat aliquo modo a spe proprie dicta. Spes vero, quæ fuit in Stephano, quando vidit cœlos apertos, & quæ fuit in Paulo, quando dixit. Scio cui credidi, &c. & quæ fuit in Adam ante peccatum, fuit cum certitudine visionis, tamen satis debilioris, quam in Act. 7 2 Tim. 2

in cœlo. Unde spes sic sumpta adhuc est minus proprie dicta.

Ex his patet quod in patria non est spes præmii: quia beatitudo est omnium bonorum simul tota possessio. Unde ibi nihil est futurum, quod speretur. Et licet sanctis adhuc futura sit resurrectio corporum secundum rem, tamen præsens est secundum cognitionem. Spes autem sic futurum respicit, quod privat tam præsentiam rei, quam cognitionis, prout spes proprie sumitur.

Psal. 30 Duplex est spes, scilicet suffragii, & primæ auctoritatis. Prima posita est in sanctis, secunda in solo Deo: & hæc triplex est scilicet veniæ. In te Domine speravi, non confundar
Psal. 31 in æternum. Gratiæ. Sperantes autem in Domino misericordia circum-
Prov. 28 dabit. Gloriæ. Qui sperat in Deo, salvabitur.

Effectus spei multiplex est. A tri-
Psal. 21 bulatione liberat. In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & liberasti eos. Exemplum de Susanna &
Dan. 13 Daniel. Confortat. Pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens mater bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum
2 Mac. 7 habebat. Mentem elevat: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem & assument pennas, &c. Salvant: Qui salvos facit sperantes in
Isa. 40 Psal. 16 se. Temporalia ministrat. Oculi o-
Psal. 144 mnium in te sperant Domine, &c.

1 Thess. 5 Spes multis rebus comparatur: di-
Heb. 6 citur enim galea. Induti galeam sa-
Psal. 25 lutis. Anchora: Qui confugimus ad
Prov. 17 Heb. 6 tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Medicina: Sperans in Domino, &c. Gemma: Gemma gratissima expectatio, &c. Solatium: Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem. Clavis. Glossa super illud Psalmi: Sperate in Domino: per spem enim intratur ad illud videndum quod creditur. Lignum vitæ:
Sap. 3 Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

Caput XXIII.

De charitate.

Charitas secundum Apostolum, sic definitur: Charitas est finis præcepti de corde puro, &c. Et sumitur hic finis pro consummatione, quia charitas est consummatio, sive perfectio omnis præcepti. Potest etiam dici finis terminationis omnium præceptorum, quia omnia opera, quæ sunt in præcepto, tendunt ad charitatem, ut magis ac magis habeatur. De corde puro, id est intellectu puro, dicit Glossa. Et sumitur hic intellectus pro actu intelligendi, secundum quem causatur motus charitatis. Quanto enim quis Deum magis intelligit; tanto magis diligit, nisi alias impediatur. Et hic ista præpositio de, notat causam efficientem. Et conscientia bona, id est, spe, quia qui puram habet conscientiam, secure sperat. Et fide non ficta, idest, simulata vel fragili, sed inter adversa forti. Prosper in libro de vita contemplativa describit charitatem sic, Charitas, est, ut mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, & præsentibus, ac futuris prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter & unita, igne quodam Spiritus sancti, a quo est, & ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta, summa bonarum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma justorum, sanctarum mentium armatura, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum: sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis Deo displicere non potuit: fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quidquid est boni operis vivit.

1 Tim. 1

Prosper. l. 4 de vita contempl. c. 13

Magi. sen. l. 3 d. 27 Cum autem.

Cha-

Mag. sen. l. 3 d. 27 cum autem Charitas quantum ad actum diffinitur quatuor modis. Primo sic in 3. lib. sentent. Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deum. Secundo sic, Quid est charitas? vita copulans amantem cum amato. Tertio sic secundum Augustinum: Charitas est virtus qua videre Deum, & perfrui desideramus. *Aug. l. 1 de mor. Ec. c. 11 & 1* Quarto sic secundum Augustinum: Charitas est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est. Harum diffinitionum prima datur in comparatione ad Deum, secunda in comparatione ad ejus possessorem, tertia in comparatione ad terminum, quarta in comparatione dilecti ad dilectum.

CAPUT XXIV.

De differentia inter charitatem & alios amores.

AMor triplex est scilicet gratuitus, naturalis, & vitiosus. Amor gratuitus est laudabilis, quia virtus est, & habet finem principalem bonum incommutabile. Hic dividitur in amicitiam, & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligit quis Deum purissime, non respiciens utilitatem suam, sed bonitatem amati: hoc modo diligit homo, plus Deum quam seipsum. Secundum vero concupiscentiam diligit quis Deum, remunerationem in eo expectans.

Amor naturalis nec laudabilis est, nec vituperabilis: habet finem indigentiam vel utilitatem propriam. Iste similiter dividitur in amicitiam, & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus Deum hoc amore, ut nostram perfectionem & nostram conservationem, sicut magis ea quæ sunt plus necessaria, ut caput pro quo totum corpus exponimus, hoc commune est nobis & brutis. Secundum concupiscentiam vero diligimus Deum, quia necessitati nostræ subvenit: quia hoc amore non diligitur res propter se, sed propter usum ejus. Unde hoc modo plus diligit homo seipsum dilectione naturali quam Deum.

A Amor vitiosus vituperabilis est, quia peccatum est, & habet finem, voluptatem, sive delectationem in creatura. Hic amor dividitur etiam in amicitiam & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus hoc amore creaturam, sive dilectionem creaturæ propter se, quamvis in nobis non habeatur: secundum concupiscentiam vero diligimus voluptatem creaturæ propter nos.

Amor iterum multiplex est, scilicet naturalis erga se, pius erga parentes, jucundus erga socios, justus erga amicos, violentus erga inimicos, sanctus erga Deum. Item differentia est inter amorem, dilectionem, & charitatem: quia amor proprie est naturæ, & dicitur amor B quasi animorum unio; quia quietat appetitum in re amata. Dilectio est amor proximi, & dicitur dilectio quasi duo ligans, sociat enim amantem cum amato in amore, ut se mutuo diligant. Charitas est amor in Deum. Hæc amicum determinat & indicat omnibus chariorem, unde dicitur charitas quasi chara unitas, vel quasi charum faciens Deo. Alia est differentia inter prædicta: quia amamus Deum propter se, diligimus eum super omnia: charitas utrumque complectitur, scilicet super omnia, & propter se. Diligere Deum in hoc differt a dilectione proximi, quia diligere Deum est velle ei bonum quod habet: scilicet quod sit omnipotens, & summe bonus, & hujusmodi. C Item diligere Deum est velle præcepta ejus servare cum intentione fruendi eo. Item diligere Deum, est eum velle possidere, & ab ipso possideri. Item diligere Deum est voluntatem ejus voluntati nostræ in omnibus præferre. Diligere vero proximum, est velle ei summum bonum non per essentiam, sed per gratiam. Item diligere proximum, est idem velle, & idem nolle in bono. Item diligere proximum, est successivum bonum ei optare, & quærere. Item diligere proximum, est velle ei hoc quod sibi. Est iterum differentia inter dilectionem Dei, & proximi: quia Deum diligimus in se, & propter se; proximum vero dili-

gimus in Deo, & propter Deum. A

Quando autem dicimus duplicem esse charitatem, scilicet Dei & proximi, hæc duplicitas non intelligitur quantum ad habitus, sed quantum ad actus, quia uno habitu charitatis diligitur Deus & proximus. Charitas quandoque dicit habitum. Rom. 5 Charitas Dei diffusa est in, &c. Quandoque dicit motum. Cant 2 Ordinavit in me charitatem. Quandoque signum. Joan. 15 Unde Joannes: Majorem charitatem nemo habet, id est, majus signum, scilicet charitatis. Quandoque tertiam personam in trinitate. Deus charitas est, & sic sumitur personaliter. 1 Joan. 4 Quandoque sumitur essentialiter, & sic tota trinitas dicitur charitas. Quandoque sumitur pro fervore charitatis. Luc. 7 Unde in Luca: Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.

Caput XXV.

De effectu charitatis.

Charitas peccatum expellit, unde de Magdalena dicitur: Luc. 7 Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Legem custodit: Rom. 13 Qui diligit proximum suum, &c. Deum homini jungit: 1 Joan 4 Qui manet in charitate, in Deo manet, &c. Mentem virtutibus ornat. 1 Cor. 13 Charitas patiens est, benigna est, &c. Perfectionem adducit. Apostolus: 1 Cor. 12 Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Gloriam tribuit: Joan. 14 Si quis diligit me, &c. & sequitur ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Dilectione Dei dignum facit. Joan. 14 Si quis diligit me, diligetur, &c. Charitas in cordibus nostris diffunditur, cum ad proximum dilatatur. Effunditur per prædicationem, & per opera misericordiæ, infunditur per illuminationem gratiæ, superfunditur per opera perfectionis & supererogationis. Per charitatem venit Deus ad homines in incarnatione, & in homines in gratiæ collatione. Per ipsam charitatem currunt homines ad Deum bona operatione, & perveniunt ad eum in glorificatione. Amoris est vulnerare, quia intima cordis penetrat. Vulnerata charitate ego sum. Cant. 2 ser. lxx Languidum facere, & hoc per desiderium essendi cum amato. Nuncietis dilecto meo, quia amore langueo. Cant. 5 Inebriare, quia sic tendit in amatum, quod sui ipsius & omnium rerum præter illum obliviscitur. Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. Cant. 5 Liquefacere, quia cor in divina dulcedine sic resolvitur, quod appetens cum appetibili mirabili amicitia unitur. Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est. Cant. 5 Amor habet vim diffusivam in bona operatione, unitivam in proximi dilectione, transformativam in justificatione. Item aliter hoc ostenditur, quod habet vim diffusivam, ut patet in creatione, B unitivam ut patet in Christi incarnatione, transformativam, ut in glorificatione.

Caput XXVI.

Quibus rebus charitas assimiletur.

Charitas est bonorum principium, quia a Deo: bonorum medium, medium, quia secundum Deum: bonorum finis, quia propter Deum. Charitas dicitur bonæ operationis principium, quia movet ad id. Gregorius: Greg. hom. 30 in Evang. post princ. Charitas magna operatur, si est. Dicitur etiam medium, quia opera informat. Dicitur quoque finis, quia opera dirigit, & ad debitum finem perducit. C

Quomodo autem dicatur finis, sciendum est quod triplex est finis, scil. consumptionis, consummationis, & terminationis. Primo modo charitas est finis peccatorum, quia ea consumit. Secundo modo est finis præceptorum, quia ea perficit. Tertio modo tam vita æterna, quam ipse Deus est finis nostri laboris: sed vita æterna, finis est quo quiescitur. Deus vero terminus in quo quiescitur.

Charitas dicitur forma virtutum multipliciter. Primo, quia movet omnes virtutes ad opera exteriora, per quæ perficiuntur virtutes, & merentur augeri. Secundo, quia omnes virtutes moventur ad finem charitatis, scil. ad bonum. Charitas enim habet bonum pro fine, & objecto:

aliæ autem virtutes habent bonum, non pro objecto, sed pro fine tantum, & ille finis virtutum perfectionem denotat. Tertio, quia charitas auget virtutum delectationem & tollit fastidium, & alleviat onera, propter ipsius desiderium. Quarto, quia componit animam, & perficit, non quidem in esse naturæ, sed in esse gratuito & meritorio. Charitas multis rebus assimilatur, quia comparatur auro quod fornax tribulationis probat. Auroræ, quam sequitur dies æternitatis. Arcæ Noe, in qua qui non fuit inventus, periit. Arbori bonos fructus proferenti. Alæ ad cœlestia sublevanti. Bitumini animam Deo conjungenti. Clavi cœlum aperienti, coronæ mentem decoranti, capiti sensum & motum influenti. Charitas enim influit sensum, id est, rationem merendi aliis virtutibus: & motum, id est affectum movendi meritorie. Deo mentem illuminanti. Sponsæ thronum Deo exhibenti. Funi Deo attrahenti. Firmamento aquas voluptatis ab aquis æternitatis dividenti. Fonti mentem irriganti. Gemmæ animam ornanti. Gladio flammeo paradisum custodienti. Igni affectum accendenti. Jugo suaviter prementi. Mannæ de cœlo descendenti. Rosæ rubenti. Radici humore gratiæ, quem a summo trahit, ad virtutes transmittenti, ut sic nutriantur & conserventur in bono. Soli fulgenti. Thesauro latenti. Vinculo omnes rationes diligendi in dilecto colliganti. Vino inebrianti. Vesti peccatorum turpitudinem cooperienti. Unguento vulnera letalia curanti.

Sap 3
1 Pet. 1

A B C

Caput XXVII.

De excellentia charitatis.

CHaritas excellit alias virtutes in multis. Primo in Dei conformitate. Diligamus Deum, quoniam ipse prior, &c. Secundo in speciali dignitate. Richardus, Charitas est regina virtutum. Tertio in pretiositate, quia est aurum de Ophir. Quarto in speciositate, quia est planeta Veneris, & animæ pulchritudo: quia sicut pulchritudo exterioris hominis est in decenti membrorum ordinatione, & venustate coloris, sic etiam pulchritudo animæ est ex decenti ordinatione actuum, & habitu venusto: hoc autem facit charitas in anima, cujus actus ordinatus est, & venustus habitus. Quinto in supportatione laboris Augustinus *: Omnia gravia & immania levia facit amor. Sexto in vigorositate. Fortis est ut mors dilectio. Septimo in utilitate. Augustinus: Habe charitatem, & fac quod vis. Octavo in delectatione, quia charitas secundum actum suum facit nos delectari in Deo, non solum in patria, sed etiam in via.

Richardus de S. Vict. in Psal. 44

** Aug. de verb. Dom. se. 9 de temp. se. 48 ver. ji. t 10*
Cant. 8
Aug. in 1 Can. Joan. hom 7 part med. t. 9

Caput XXVIII.

De signis dilectionis.

SIgna dilectionis sunt hæc, quia amicus amicum libenter audit, libenter de ipso loquitur, sæpe de illo cogitat, sine tædio illi obsequitur, corpus & res pro illo exponit, offensam cavet, offensum placat, congaudet prosperitati, condolet adversitati. Gaudet de illius præsentia, dolet de absentia. Diligit & odit hoc quod ille. Conatur ei placere, timet displicere. Trahit alios ad ejus amicitiam. Munera ab eo data non alienat. Consiliis illius acquiescit, petit ab eo fiducialiter.

Qualiter possit quis scire utrum habeat charitatem. Nota quod quidam sciunt se non habere charitatem, ut qui sunt in actu peccandi vel in proposito. Quidam dubitant se habere charitatem, quia rationes habent pro utraque parte, ut sunt illi qui incipiunt facere quod in se est. Quidam putant se habere charitatem, sicut qui multa bona fecerunt, & diu abstinuerunt a peccato, adhuc tamen sustinent motus tentationum, & imaginantur turpia. Quidam experiuntur se habere charitatem, ut illi qui gustant divinam dulcedinem, in quibus fomes fere extinctus est, & quasi semper vel bona faciunt, vel affectant. Quidam cer-

certi sunt se habere charitatem, ut A quibus Deus revelavit, qualis fuit Paulus: cui Dominus dixit: Sufficit tibi gratia mea. 2 Cor. 12

Caput XXIX.

De gradibus amoris.

GRadus amoris sunt isti: Primus est, cum diligo me propter me iste amor non est bonus. Secundus est, cum diligo Deum propter me, iste est mercenarius, sed tunc est bonus, si principalis finis est Deus. Tertius est, cum diligo Deum propter se, id est, quia bonus. Hic est valde bonus, quia talis amor uno tantum oculo, id est, B dextero respicit Deum. Quartus est, cum diligo me propter Deum, hic est optimus, quia in tali amore nihil quærit homo de suo etiam in se ipso, sed tantum quæ Dei sunt.

Super omnia diligendus est Deus: quia cum ipse sit principium, hoc ipso est summum, & hoc ipso quod summum est, summe bonum est: & hoc ipso quod summe bonum est, summe beatum est: & hoc ipso quod summe beatum est, summe beatificum est, & hoc ipso est summe fruendum: & propter hoc ipsum est ei summe per amorem inhærendum, & in eo tamquam in fine quiescendum.

Tria generaliter diliguntur, scilicet utile, honestum, & delectabile. C Propter primum diligenda est tribulatio, quia utilis. Propter secundum diligenda est virtus, quia honesta. Propter tertium diligendus maxime est Deus quia est delectabilis, immo propter hæc omnia diligendus est Deus, quia ipsum diligere est utile, honestum, & delectabile.

Gradus amoris vel charitatis inquantum tollit peccatum sunt isti: Primo tollit charitas peccatum mortale, non quantum ad habitum, sed quantum ad actum: liberat enim a peccato mortali: sed non a potestate cadendi in illud. Secundo modo charitas tollit peccatum mortale quantum ad actum, & quantum ad habitum, sed veniale neutro modo; sicut patet in aliquibus sanctificatis. Tertio modo charitas tollit peccatum mortale utroque modo, & veniale quoad actum, sed non quoad habitum: talis fuit charitas in beata Virgine ante conceptionem Christi. Quarto modo charitas tollit utrumque utroque modo, sicut fuit in beata Virgine in conceptione Christi, & post: tunc enim fuit in ipsa sublatus fomes peccandi totaliter. Quinto modo tollit charitas utrumque utroque modo, & insuper omnem miseriam: & hoc fiet in patria. Perfecta est charitas, quando est habitu magna, motu interiori directa, opere exteriori sollicita, radice stabilita, fervore discreta, dulcedine consolatoria. Diligendus est Deus toto corde, id est, intellectu sine errore: tota anima, id est, voluntate sine contrarietate, tota mente, id est, memoria sine oblivione.

Caput XXX.

De ordine charitatis.

ORdo charitatis secundum Augustinum, est diligere primo quod supra nos est, id est, Deum; deinde quod nos sumus: post hoc quod juxta nos est, idest, proximum, ultimo quod infra nos est, idest, corpus nostrum proprium. In eodem gradu contineri debet corpus proximi: quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri. Secundum Ambrosium diligendus est primo Deus, secundo parentes, deinde filii, post domestici, ultimo inimici: sed hoc de exhibitione quidam intelligunt. *Aug. l. 1 de Doct. Christiana c. 23 & 3* *Citatur ex Amb. a Magis. in 3 d. 29 & habetur in Glos. ord. sup. 2 Cant*

Aliquis magis diligitur ab altero multipliciter, scilicet majori affectu: sic super omnia diligendus est Deus: sed inter homines magis diligendi sunt parentes, quam filii, deinde consanguinei, secundum gradus cognationis. Majori affectu diligendi sunt filii, quam parentes, sed æque parentibus succurrendum est, prius magis indigenti, Ad majorem gratiam, sic magis diligendi sunt qui se

se magis ad gratiam præparant & habilitant. Ad gloriam, sic diligendi sunt secundum gradus participandi bonum gratiæ. Nota quod idem est ordo dilectionis naturæ & gratiæ, * hoc excepto, quod homo dilectione naturali se magis diligit, quam Deum: sed e converso est in dilectione gratuita. Præterea sciendum est quod idem ordo charitatis, qui secundum Augustinum est in via, erit etiam in patria: quia cum gloria perficiat naturam, quidquid non est imperfectionis in natura, manebit in gloria.

* *Idem habet S. Bon. 3 sent. dist. 29 q. 2 ad 1 & q. 4 ad arg. contrarium tamen S. Th. 2.2. q. 26. ar. 3 in corp.*

Caput XXXI.

De dilectione proximi.

MUtuo se debent homines diligere, quia omnes sunt membra unius corporis Christi mystici: quia uno Spiritu sancto vivificantur spiritualiter, & uniuntur, quia unam fidem habent, quia unum baptisma receperunt, quia unum Patrem habent & Dominum, quia ad unum regnum tendunt. Dilectionem proximi suadet jus naturæ. Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Jus scripturæ. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Exemplum creaturæ, quia similis simili gaudet, & omne simile diligit sibi simile.

Mat. 7
Matt. 22

Melius est diligere quam diligi, quadruplici tatione. Primo, quia quod diligimus, scimus: sed quod diligamur, nescimus, sed credimus. Secundo, quia diligere, propriæ virtutis est, sed diligi, alienæ. Tertio, quia cum vere diligimus, alios nobis obligamus: cum vero diligimur, aliis obligamur. Quarto, quia cum diligimus meremur nobis: cum autem diligimur, alii merentur sibi. Per dilectionem proximi efficimur imitatores Christi. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Discipuli Salvatoris. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c. Contemplatores Dei. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & videt Deum.

Joan. 15
Joan. 3
1 Joan. 2
Eccl. 4

A Societas fraterna utilis est ratione sublevationis. Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. Ratione consolationis. Ecce quam bonum, & quam jucundum. Ratione exhortationis. Seneca: Semper ante oculos tuos ponendus est aliquis, cujus exemplo proficias, quia nisi ad regulam prava non corrigas, a modica scintilla augetur ignis.

Psal. 132

Caput XXXII.

De dilectione inimicorum.

CIrca dilectionem inimicorum nota quod alia est dilectio affectus, & alia dilectio effectus. B Dilectio affectus duplex est, quia alia est innocentiæ, & alia beneficentiæ. Dilectione innocentiæ tenemur diligere inimicos, quia non debemus eis optare malum inquantum malum, sed inquantum est eis expediens, vel reipublicæ. Affectus dilectionis beneficentiæ duplex est, scilicet principalis, & secundarius. Affectus principalis est velle & optare inimicis bona spiritualia, sicut est gratia, & gloria, & ita tenemur per affectum diligere inimicos. Affectus autem dilectionis secundarius est optare inimicis bona temporalia, hoc modo non tenemur semper diligere inimicos, quia non C semper expedit eis habere bona temporalia.

Eodem modo distinguendum est de dilectione effectus, quia similiter duplex est, innocentiæ, & beneficentiæ Primo modo tenemur omnes diligere inimicos, quia tenemur eis non inferre mala, nisi forte propter bonum personæ, vel reipublicæ. Secundo modo distinguenda est dilectio beneficentiæ: quia si est beneficium spirituale ad salutem necessarium, tunc tenemur illud inimicis impendere: sicut orare pro eis, non quidem in speciali, sed in generali: ita scilicet, ut non excludamus eos ab orationibus communibus. Si vero est beneficium temporale, ad hoc non tenemur nisi in casu necessitatis.

A Nota tamen esse duplicem inimicum, scilicet personæ nostræ, & Ecclesiæ. Igitur inimico personæ nostræ benefacere perfectionis est, nisi inquantum ipsi vel alteri beneficium occasionaliter nocivum esset: quia in tali casu beneficium subtrahere utile est. Inimico autem Ecclesiæ beneficium subtrahere perfectius est & melius, nisi inquantum per beneficium speratur reconciliandus Ecclesiæ. Ex prædictis patet quod optare bona temporalia inimicis Ecclesiæ imperfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando creduntur per hoc convertendi. Inimicis vero personæ optare bona temporalia, perfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando putantur eis, vel aliis nociva. B Nota quod licet amicum diligere sit magis debitum, tamen diligere inimicum, magis est remissionis pœnæ meritorium, & ad alia multa valet. Primo; quia magis accedit ad perfectionem virtutis. Majoris enim perfectionis est, quia magis gratuitum. Secundo, quia motus charitatis quo diligimus inimicum, magis meritorius est remissionis pœnæ, & hoc ratione difficultatis: licet diligere amicum, sit magis meritorium vitæ æternæ ratione intentionis. Amor enim naturalis ferventiorem facit motum charitatis, sicut dispositio materialis confert formæ. Tertio, quia inimicum diligere, est expressius signum charitatis, quia contra motum naturæ est: unde valde difficile est, nisi adsit gratia, per quam vincatur natura. Nota quod ille cui injuria facta est, non debet reconciliationem quærere ex debito necessitatis: sed si facit, complet debitum perfectionis: unde ait Chrysostomus, quod talis debet reconciliationem quærere, ut duplicem gloriam consequatur: Unam, quia injuriam passus est, alteram, quia prior rogavit.

Caput XXXIII.

De virtutibus Cardinalibus in genere.

PEr virtutes Cardinales anima rectificatur in suis viribus. Nam prudentia rectificat rationalem, fortitudo irascibilem, temperantia concupiscibilem: Justitia vero rectificat omnes vires, prout natura justitiæ comprehendit non solum specialem justitiam, quæ est in commutationibus, vel distributionibus, sed etiam legalem, quæ est omnis virtus, prout ejus actus pertinet ad debitum obedientiæ præceptorum. Ipsa enim justitia generalis comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ut est æquitas & liberalitas: & ordinantes ad seipsum sicut innocentia, & pœnitentia, & ordinantes ad Deum, sicut est latria, pietas, & obedientia. Propter hoc justitia dicitur circuire omnes virtutes, & quod non tantum est virtus specialis, sed etiam generalis comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Item per virtutes Cardinales instruitur homo in operibus, & contra vitia armatur. Primum fit dupliciter: quia instituitur quoad se per prudentiam, & quoad proximum per justitiam. Secundum etiam fit dupliciter: quia homo armatur in prosperis per temperantiam, C & in adversis per fortitudinem. Item dicit Augustinus, quod prudentia est in eligendis, fortitudo in tolerandis, temperantia in utendis, justitia in distribuendis. *Aug. l. de Sp. & an. c. 20. 3* Item dicit quod prudentia est in præcavendis insidiis, justitia in subveniendis miseriis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis. Augustinus ait, in musica sua, quod succedit prudentiæ contemplatio, fortitudini firmitas adhærentiæ, temperantiæ mensura delectationis, justitiæ debita ordinatio ad Deum & proximum. *Aug. l. 6 de Musica c. 16 in fensu s. 1*

Istæ quatuor virtutes appellantur cardinales, quia sicut ostium vertitur in cardine, sic in his vertitur, & regitur vita hominis. Vocantur etiam

etiam politicæ, quia ordinatur in his vita civilis, & hominem poliunt, & ornant. Dicuntur etiam humanæ, quia humano studio acquiruntur, nisi divinitus infundantur. Appellantur etiam consuetudinales, quia non ex uno actu, sed ex consuetudine nascuntur: vel quia honestas humana se magis exercitat in istis, sicut & sanctorum devotio se magis exercitat in virtutibus theologicis.

Nota quod prudentiæ est scire quod possit: temperantiæ est non præsumere quod non possit: justitiæ est velle in omnibus quod æquum sit: fortitudinis est velle plus, quam possit. Istæ virtutes habent suos gradus perfectionis, secundum quos aliter possident incipientes, aliter proficientes, aliter perfecti: Dicuntur etiam virtutes politicæ quandoque secundum quod regunt vitam hominis quoad opera exteriora, & prout pugnant contra vitia, & hoc modo sunt incipientium. Purgatoriæ dicuntur secundum quod jam sunt in victoria vitiorum, & consistunt partim intra, partim extra, & sic sunt sunt proficientium. Dicuntur autem purgati animi, secundum quod jam devictis vitiis quiescit homo, ita quod raro primi motus insurgunt: & hoc modo pertinent ad perfectionem. Exemplares dicuntur prout sunt in mente divina. Nam sicut omnium rerum Deus exemplar est, ita & ideæ virtutum in ipso consistunt.

Caput XXXIV.

De prudentia.

Prudentia secundum quod est virtus politica, est, ut ait Macrobius, ad rationis normam, quæ cogitat quæcumque agit, universa dirigere ac nihil præter rectum velle, vel facere. Prudentia vero, secundum quod est virtus purgatoria, est, ut idem ait, & mundum, & omnia, quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, & omnem animæ cognitionem in sola divina erigere. Prudentia autem prout est virtus purgati animi, est sola divina noscere, & ea tamquam nihil aliud sit intueri. Prudentia sane exemplaris est ipsa mens divina, cui omnia nuda sunt & aperta.

Macrob. lib. 1 in somn. Scipion.

Heb. 4

Partes prudentiæ, secundum Tullium, sunt intelligentia, providentia, memoria. Intelligentia vero est per quam animus prospicit ea quæ sunt. Providentia autem virtus est, ut idem ait, per quam aliquid videtur futurum antequam factum sit. Memoria secundum eumdem est per quam repetit quis ea quæ fuerunt.

Tullius lib. 1 de invent.

Nota quod duplex est judicium rationis, discretivum, scilicet & diffinitivum. Judicium discretivum est, quo ratio judicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum. Circa tale judicium est scientia, & non virtus. Judicium vero diffinitivum est, quo ratio imperat aliquid fieri, vel non fieri: & circa istud est virtus. Unde in primo judicio se habet scientia ad operationes bonas, ut consiliarius: in secundo vero judicio se habet virtus, ut imperator.

Prudentia habet regere ceteras virtutes in actibus suis secundum omnes partes Philosophiæ moralis, quæ sunt ethica sive moralis, œconomica, & politica: quarum prima mores quoad se ipsum instruit: secunda familiam disponit: tertia urbes & regna regit. Triplex est prudentia. Prima est cordis, & hæc est in dispositione præsentium, & recognitione præteritorum, & prævisione futurorum. Utinam saperent, scilicet præterita, & intelligerent, scilicet præsentia, ac novissima providerent, scilicet futura. Secunda est oris, & est in moderatione sermonum. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Pone Domine custodiam ori meo. Tertia est operis, & hoc consistit, ut ait Tullius, in fuga mali, & electione boni. Declina a malo, & fac bonum.

Deut. 32

Prov. 10

Psal. 140

Nota quod alia est prudentia mundana, alia humana, alia divina. Prima est in temporalibus acquirendis: secunda in commodo carnis: tertia in obsequiis divinis. Officium prudentiæ est actus aliarum virtutum dirigere, sicut supra dictum est. Bernardus: Discretio non tam virtus est, quam auriga virtutum. Nol-

Bern. sup. Cant. ser. 49 cir. med.

Nolle enim fallere nec falli, ut dicit Seneca, est res secundum virtutem æstimare. Idem: Tunc per rationem recte vives, si divina prius æstimes, si dignitatem rerum non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Nobis commissa ad Dei gloriam, & proximi ædificationem dispensare. Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, &c. Mutabilitatem fugere. Seneca: Scitote in quibusdam perseverare debere, quia cœpisti, quædam nec incipere.

Luc. 12

Caput XXXV.

De temperantia.

Macrob. lib. 1 in somn. Scip. cap. 8

Temperantia secundum Macrobium, prout est virtus politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugo rationis cupiditatem domare. Temperantia, prout est virtus purgatoria, est omnia relinquere inquantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Temperantia vero, prout est virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non solum reprimere, sed penitus oblivisci. Temperantia, prout est virtus exemplaris, est quædam in se perpetua intentione conversatio.

Cic. de invent. lib. 2

Partes temperantiæ secundum Tullium sunt tres, continentia, clementia, seu abstinentia, & modestia. Continentia secundum eumdem Tullium est virtus, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia est per quam motus animi in odium alicujus temeritate concitati comitate vel hilaritate retinentur. Modestia est virtus, per quam pudor honestus charam & stabilem auctoritatem comparat. Species temperantiæ sunt tres, sobrietas, continentia, & modestia. Prima consistit circa gustum in quo ponit modum sobrietas. Secunda est circa tactum, quantum ad vim generativam, cui imponit modum castitas. Habet enim homo vehementem appetitum conservandi se in esse individui per nutrimentum, & conservandi se in esse speciei per generationem. Isti autem appetitus restringuntur per sobrietatem & continentiam. Tertia consistit in dictis & factis, Factum autem, prout hic accipitur, pertinet ad tres sensus circa proprias eorum materias, scilicet visum, auditum, olfactum. Pertinet etiam hoc factum ad tactum, non quidem qui est in generativa, sed ad alios quorum organa sunt manus ad percutiendum, vel capiendum, & pedes ad ambulandum. In omnibus istis modum ponit modestia.

Dignitas temperantiæ in hoc est, quod animam decorat: quia sicut in naturis forma est decentior materia, sic & in moribus plus commendatur modus, quam ipsa actio: Propter hoc temperantia comparatur Soli, qui medius planetarum est, & decentior inter omnes. Meritum cumulat, quia medium tenuere beati. Unde dicitur quod verbis non meremur, sed adverbiis, id est, non eo quod aliquid facimus, sed in eo quod bene facimus. Istud patet in illa vidua, quæ obtulit duo minuta, & magis commendata est quam qui magna dona miserunt in gazophylacium. Vitiosos appetitus refrenat, sicut supra dictum est: unde comparatur freno & remo, & limæ quæ superfluum rubiginis tollit de ferro. Actiones informat, secundum quod Apostolus instruit, dicens: Rationabile obsequium vestrum. Medium servat. Bernardus: Tene medium, si non vis perdere modum. De hoc medio dicitur: Medio tutissimus ibis. Istud medium voluit Dominus nos tenere, quando fecit Evam non de capite vel de pede, sed de costa: & quando fecit hominem partim corporalem, & partim spiritualem: ut dignitate naturæ sub natura esset angelica, & super corpoream creaturam. Christo assimilat, qui stetit in medio discipulorum, sedit in medio doctorum, suspensus est in medio latronum, locatus est in medio duorum animalium, visus est a Joanne in Apocalypsi in medio candelabrorum aureorum. Naturam conservat, quia natura in mediis delectatur & per extrema corrumpitur Un-

Luc. 21

Rom. 12

Ber. de cons. lib. 2 cap. 10

Gen. 2

Luc. 2

Apoc. 1

Arist. lib. 3 de ani. tex. 144 Unde Philosophus: Excellentia sensatorum corrumpitur sensus. Ferculis æternis cibat. Unde temperantia *Gen. 2 & 3 4* comparatur ligno vitæ, quod erat in medio paradisi.

CAPUT XXXVI.

De fortitudine.

Macrob. lib. 1 in somn. Scip. cap. 8 Fortitudo secundum Macrobium, prout est virtus politica, est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter adversa vel prospera. Fortitudinis purgatoriæ est animo non terreri a corpore recedente, nec altitudinem abhorrere. Fortitudinis purgati animi est passiones ignorare, non metuere, ut nesciat irasci, & nihil cupiat inhonestum. Fortitudinis exemplaris est esse immutabilem, quia semper idem est, nec aliquando mutatur.

Tullius lib. 2 de inven. Partes fortitudinis secundum Tullium sunt quatuor: Magnificentia, fiducia, patientia, & perseverantia. Magnificentia secundum eumdem est magnarum & excelsarum rerum cum ampla quadam animi * proportione cogitatio atque administratio. Fiducia est virtus per quam in magnis & honestis rebus multum ipse animus cum certa spe fiduciæ in se collocatur. Patientia est honestatis & utilitatis causa rerum arduarum atque difficilium voluntaria & diuturna perpessio. Perseverantia est virtus in ratione bene considerata stabilis & perpetua permasio.

** al. propositione.*

Multi sunt effectus fortitudinis: Primus est, quia de hostibus triumphat. Judas Machabæus, & idem *1 Mac. 5* vir fortissimus. Secundus, quia homini sua bona conservat, Cum fortis *Luc. 11* armatus, &c. Tertius quia ditat: *Prov. 10* Manus fortium divitias parat. Quartus, quia regnum cœlorum expugnat. *Matt. 11* Regnum cœlorum vim patitur, &c. Quintus, quia ornat. *Prov. 31* Fortitudo & decor, indumentum ejus. Sextus, quia in extremis assecurat. *Prov. 30* Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum. Septimus, qui remunerationem expectat. *Prov. 31* Mulierem fortem quis inveniet, &c.

Fortitudo consistit in quinque, scilicet in aggressione arduorum. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. *Psal. 40* In contemptu terrenorum. Moyses negavit se esse filium Pharaonis, &c. *Heb. 11* In sustinentia tribulationum. Fortis est, ut mors dilectio. *Cant. 8* In resistentia tentationum. Apostolus. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *2 Tim. 2* In impugnatione vitiorum. Militia est vita hominis super terram. *Job. 7*

Multa juvant fortitudinem. Primum est exhortatio prudentium. Unde legitur de Juda Machabæo, *2 Mac. 15* quod armavit socios non clypei vel hastæ munitione, sed sermonibus optimis. Secundum, exempla robustorum, ut legitur de Eleazaro, *2 Mac. 6* quod elegit fortiter mori pro paternis legibus, exemplum virtutis, & fortitudinis posteris relinquens. Tertium est exercitatio in pugnis. Unde legitur in Josue, *Judic. 3* quod Dominus non delevit statim omnes hostes filiorum Israel, sed reliquit aliquos, ut per eos haberent consuetudinem, prœliandi. Quartum est spes remunerationis. Confortentur manus vestræ *2 Paralip. 15* & non dissolvantur: erit enim merces operi vestro. Quintum hostium debilitas. Gregorius: Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. Sextum orationis adiutorium. Cum elevaret manus Moyses, *Exod. 17* vincebant filii Israel, &c. Septimum armorum spiritualium apparatus. Unde Samson vicit Philistæos *Judic. 15* in mandibula asini, id est, temperantia, & simplicitate. Octavum, memoria Dominicæ passionis: quod significatum est in David, qui contra Goliam venit in baculo & funda. *1 Reg. 17* Nonum, cibus spiritualis. Panis cor hominis confirmet. *Psal. 103* Ambulavit Elias in fortitudine cibi illius, &c. *3 Reg. 19* Unde Petrus potatus Spiritus sancti gratia confortatus est, dicens: Oportet Deo obedire magis quam hominibus. *Act. 5* Idem vero Apostolus ante talem confortationem dicit: Nescio hominem hunc. *Mar. 14*

CA-

Caput XXXVII.

De justitia.

Macrob. 1 in somn. Scip. cap. 8 Justitiæ politicæ secundum Macrobium, est servare unicuique quod suum est. Justitiæ purgatoriæ secundum eumdem, est ad unam cujusque propositi viam uniuscujusque virtutis officium conservare. Justitiæ autem purgati animi est, ita cum superna mente sociari, ut servet cum ea fœdus perpetuum imitando. Justitiæ exemplaris est, quod perenni lege sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

Tullius lib. 2 de invent. Partes justitiæ secundum Tullium sunt sex, scil. religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas. Religio secundum eumdem Tullium, est virtus, quæ superioris cujusdam naturæ quam divinam vocant, curam, cærimoniamque affert. Pietas est per quam conjunctis sanguine & benevolentiæ officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia est, in qua amicitia & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus per quam vis, & injuria, & omne quod obscurum est defendendo atque ulciscendo propulsatur. Observantia est virtus per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur. Veritas est virtus per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

Nota quod justitia non tam est virtus specialis quam generalis, ut habes supra de virtutibus Cardinalibus in genere. Justitia, ut dicitur in libro Sapientiæ: est perpetua, multiplici ratione. Primo quia perpetuat animam, stabiliendo eam in debito loco, scilicet sub Deo, & supra corporales creaturas. Secundo, quia manebit in patria secundum essentiam, & usum. Aliæ autem virtutes Cardinales etsi maneant in patria secundum essentiam, non tamen secundum omnem usum. Temperantia enim non refrenabit motus illicitos: prudentia non cavebit ab insidiis: fortitudo non aggredietur terribilia. (Sap. 1)

A Justitia pervertitur tripliciter, scilicet amore personæ, vel pecuniæ. Væ qui justificatis impium pro munere. (Isa. 5) Timore: Nolite timere eos, &c. (Matt. 10) Rancore: Sciens quod per invidiam tradidissent eum. (Marc. 15)

Multa movent ad rectitudinem justitiæ. Primum est rectitudo humani corporis, quia indecens valde est in recto corpore curvum habere animum. Secundum est naturalis inclinatio: quia, ut ait Augustinus. Justitia est in corde hominis naturaliter. Tertium quia bruta animalia docent multa quæ pertinent ad justitiam, ut est innocentia, concordia, & hujusmodi. Quartum est scriptura. Usque ad mortem certa pro justitia. (Eccli. 4)

B Effectus justitiæ sunt, quod beatificat. Beati qui esuriunt, &c. (Matt. 5) Si quid patimini propter justitiam, beati. (1 Pet. 3) Quod exaltat. Qui operatur justitiam, exaltabitur. (Eccl. 10) Appetitum concupiscentiæ refrenat. Erit justitia cingulum lumborum ejus. (Isa. 11) Locum Deo præparat. Justitia & Judicium præparatio, &c. (Psal. 88) A morte æterna liberat. Justitia liberabit a morte. (Prov. 10) Coronat. Reposita est mihi corona justitiæ. (2 Tim. 4) Remunerat. Retribuet mihi Dominus secundum, &c. (Psal. 17)

Justitia consistit in fide. Apostolus. Credidit Abraham Deo, & reputatum, &c. (Rom. 4) Item in oratione. Clamaverunt justi, &c. In sancta mediatione. C Beatus vir, qui in sapientia morabitur, &c. (Psal. 33; Eccli. 14) In humiliatione. Sic decet nos implere omnem justitiam. (Matt. 3) Glossa: Perfecta justitia est subdere se minori. In eruditione. Seminanti justitiam merces fidelis. (Prov. 11)

Caput XXXVIII.

De donis in communi.

Licet omnes habitus dati divinitus possint dici generaliter dona Dei: specialiter tamen & appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quæ per ordinem enumerat, a summo incipiens usque ad ultimum descendendo. (Isa. 11) Septem igitur sunt dona multiplici ratione. Primo, scilicet ut

per

per hæc septem expellantur vitia se- A ptem, ita scilicet ut timor expellat superbiam, pietas invidiam, scientia iram, quæ est quasi quædam insania, fortitudo acediam, consilium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam.

Secundo dicuntur esse septem dona propter expediendas vires naturales. Nam irascibilis indiget expediri tam in prosperis quam in adversis: in prosperis quidem per timorem, in adversis autem per fortitudinem. Concupiscibilis indiget expediri quantum ad affectum respectu proximi, quod fit per pietatem, & quantum ad affectum respectu Dei, quod fit per gustum sapientiæ. Rationalis quoque indiget expediri in B veritatis speculatione, quod fit per donum intellectus: & in veri electione, quod fit per consilium: atque in electi executione, quod fit per donum scientiæ. Per hoc enim donum recte conversamur in medio nationis pravæ & perversæ.

Tertio dicuntur esse septem dona, propter regimen activæ & contemplativæ vitæ. Contemplativa siquidem tria dona debet habere, scilicet timorem ad reverentiam majestatis, intellectum ad intelligentiam veritatis, sapientiam ad gustum bonitatis. Activa vero vita debet habere pietatem ad agendum, fortitudinem ad sustinendum, scientiam ad directionem pietatis, consilium ad directionem fortitudinis. Plurima ergo dona C sunt ad intellectum spectantia: quia lux cognitionis multum expedit ad dirigendos pedes nostros in viam rectam. Propter eamdem causam fit donorum combinatio: ubi quasi semper adiungitur unum directivum cum alio, quod spectat ad actionem vel passionem. Unde Gregorius super Ezechielem dicit, quod sumus per sapientiam maturi, per intellectum providi, per consilium cauti, per fortitudinem animosi, per scientiam discreti, per pietatem misericordes, per timorem humiles.

Greg. homil. 19 in Ezech. circ. med.

Caput XXXIX.

De timore in communi.

Timor est, ut ait Augustinus fuga mali. Species timoris sunt sex: primus est naturalis, quo quilibet naturaliter timet nocumentum naturæ. Iste non est meritorius: neque demeritorius: quia non subiacet libero arbitrio, & dicitur naturalis non a natura instituta, sed destituta: quia iste timor est pro peccato primorum parentum inflictus, hoc timore Christus naturaliter mori timuit. Secundus est timor humanus quo quis nimis timet pelli suæ. Iste timor nascitur ex nimio amore præsentis vitæ: & est quandoque mortalis actus ejus, cum potius quis peccaret mortaliter, quam amitteret vitam suam: quandoque est venialis, ut cum quis faceret potius peccatum veniale, quam permitteret se occidi. Tertius est timor mundanus, quo quis nimis timet suis rebus spoliari. Hic nascitur ex nimio amore rerum temporalium, & est quandoque mortalis, quandoque venialis, positus eodem modo quo dictum est de humano. Quartus est timor servilis, quo quis timet peccare principaliter propter pœnam. Quintus est timor initialis, quo scilicet timet quis pœnam, & Dei offensam. Unde quasi duos habet oculos: unum ad gehennam, alium ad Deum: & hic est principalior. Sextus est timor filialis, quo scilicet quis timet offensam Dei, vel separationem a Deo.

Matt. 26

Numerus prædictorum timorum sic accipitur. Aliquis timor est a Spiritu sancto, & cum Spiritu sancto, sicut timor initialis & finalis. Aliquis a Spiritu sancto est, & non cum Spiritu sancto, sicut timor servilis. Aliquis est cum Spiritu sancto, & non a Spiritu sancto, sicut timor naturalis. Aliquis nec a Spiritu sancto, nec cum Spiritu sancto, sicut timor humanus, & mundanus: quos nec Spiritus sancti gratia secum compatitur, nec per Spiritum sanctum dantur. Est adhuc alius timor reve-

reverentiæ, qui solus inter omnes timores erit in patria: sicut dicit Psalmista: *Psal. 18* Timor Domini sanctus, &c. Reverentia vero est resilitio a considerata magnitudine Dei in propriam parvitatem.

Timor Domini multa bona facit: Primo, quia expellit peccatum. *Eccl. 1* Sapientiam gignit. Qui timet, nihil *Eccli. 7* negligit. Mentem stabilit. Nisi in *Eccli. 27* timore Domini tenueris te instanter, &c. Spiritualiter ditat: non est ino- *Psal. 32* pia timentibus eum. Bona opera cumulat. *Eccli. 15* Qui timet Deum, faciet bona. Cor delectat. *Eccli. 1* Timor Domini delectat cor. Vitam prolongat. *Prov. 10* Timor Domini apponit vitam. Devotionem irrigat. *Prov. 14* Timor Domini fons vitæ. Æternaliter remunerat. *Eccli. 1* Timenti Deum bene erit in extremis.

Caput XL.

De timore servili.

Timor servilis donum Spiritus sancti est, nec tamen est cum Spiritu sancto, sicut aurora est a Sole nec tamen cum Sole est. Timor servilis Spiritui sancto locum præparat ut eum, sicut seta filum, introducat. Seta namque filum introducendo ipsum præcedit, non tamen cum ipso permanet, sicut ait Augustinus: *Aug. tract. 9 in epist. Joan. longe ante med. to. 9.* Timor servilis est bonum, quo nemo bene utitur, quia licet habitus timoris servilis bonus sit in se, secundum etiam quod donum Spiritus sancti est, tamen ejus actus quandoque peccatum est.

Timor servilis duo facit. Primum est quod præparat viam charitati. Secundum est, quod retrahit a peccato motu pœnæ tantum. Ratione primi bonus est, sed ratione secundi distinguitur. Unde notandum est, quod usus timoris servilis duplex est, scilicet cum quis utitur essentia habitus tantum, vel cum utitur servilitate. Primo modo usus ejus bonus est. Nam ille est abhorrere pœnas æternas, quod bonum est cum timore initiali. Secundo modo usus ejus malus est, quia usus ejus est vitare malum ex coactione per pœnam, cujus tamen affectus habetur

A in voluntate, & sequeretur effectus, si speraretur impunitas, ut ait Augustinus. *Aug. en tr. in Psal. 118 cont. 25 circa fi. tom. 8* Et sic intelligitur dictum ejus, qui ait quod timor servilis bonus est, non tamen qui timet serviliter, bene agit: quia agere bonum est ex voluntate facti, sed agere bene, id est, meritorie, est ex voluntate agentis, qui agit ex virtute charitatis, & gratiæ.

Caput XLI.

De timore initiali.

Timor initialis ideo sic dictus est, quia est incipientium primo pœnitere. Unde in Isaia: Domine a *Isa. 26*
B timore tuo concepimus, &c. Qui adhuc sunt in angustia pro peccato, quod commiserunt, sed hæc angustia foras mittitur, quando conscientia serenatur ad plenum: quia perfecta charitas foras mittit timorem *1 Joan. 4* initialem, inquantum habet naturam timoris servilis: secundum hoc, scilicet quod habet oculum ad pœnam. Timor enim initialis habet duos oculos: unum ad gloriam, qui est ei essentialis, alterum ad pœnam, qui est ei accidentalis, sed timori servili est essentialis. Præterea timor initialis abstinet a peccato veniali retrahenti a gloria propter pœnam purgatorii: in quo potest
C convenire cum perfecto, qui etiam timet pœnam purgatorii, inquantum est dilativa gloriæ, sive preparativa ad tempus. Duplex est amor, scilicet filialis, quo Deum diligimus propter se tantum: & mercenarius, quo non diligimus principaliter, sed secundario, habito respectu ad mercedem. Huic duplici amori respondet duplex timor, scilicet initialis & filialis. Nam filialis timor respondet amori filiali, initialis vero respondet amori mercenario.

Caput XLII.

De timore filiali.

Timor filialis propriè timet offendere Deum, qui etiam si propter peccatum non separetur a Deo, tamen a peccato abstineret, nec Deum offenderet, & in hoc timor filialis differt ab initiali, quia initialis proprie est timor separationis, quia propter conscientiam peccati timet a Deo separari. Timor autem filialis tantum timet offendere Deum. Alia est differentia, quia timor initialis est impefectorum, sed filialis perfectorum. Tertia est differentia, quia cum in timore pœnæ sint duo, scilicet punctio, & cautela: ipsa punctio pertinet ad timorem initialem (talis enim punctio est ex conscientia peccati, de quo nescit an sit dimissum) cautela vero pertinet ad timorem filialem. Sicut enim perfectus cavet peccatum, quod Deum [illegible], ita per consequens cavet [illegible], sed tamen per accidens. Timor etiam filialis dicitur sanctus & castus.

Caput XLIII.

De dono pietatis.

Donum pietatis in tribus consistit, scilicet in cultu Dei, in veneratione sacræ Scripturæ, & in honore proximi. Cultus Dei consistit in professione divinæ majestatis, & hoc est theosebia. Veneratio sacræ Scripturæ consistit in hoc, ut ei firmiter credatur, solicite custodiatur, & fideliter dispensetur. Honor proximi consistit in reverentia superiorum in conformitate æqualium, & in subventione inferiorum.

Caput XLIV.

De dono scientiæ.

Scientiæ donum, idem est in essentia quod prudentia, quæ est virtus politica, sed differunt in ratione agendi. Prudentia enim procedit ex A principiis juris naturalis, scientiæ vero donum ex principiis fidei. Proprius actus scientiæ doni est docere recte conversari in medio nationis pravæ & perversæ. Ad quod requiruntur tria: primum est, quod habeat rationes, quibus se defendat ab impugnantibus fidem suam. Secundum est quod a malo abstineat. Tertium, quod bene & prudenter temporalia administret. Præterea scientiæ doni est dirigere opera ad normam rationis, & ad conformitatem Dei. Item per scientiæ donum scitur, ne sub specie boni malum lateat. Item per donum scientiæ regit pietatem, propter quod etiam hæc duo combinantur. Item per donum B scientiæ, scit homo quid sit, & a quo sit, & ad quid sit. Scientiæ donum est scientia faciendorum: & ideo ratione scientiæ consistit in cognitione, secundum quam non est virtus, sed ratione faciendorum consistit in operatione, secundum quam est virtus.

Caput XLV.

De dono consilii.

Consilium sumitur tribus modis; quandoque enim dicitur consilium deliberatio de rebus valentibus ad finem, ad quem tendimus, & tale consilium pertinet ad pruden-C tiam, vel idem est, quod prudentia. Quandoque dicitur consilium persuasio rerum excellentium, ad quas non tenemur secundum quod dicitur hoc esse consilium: Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c. Quandoque dicitur consilium prudentia valde exercitata in medio contemplativorum & activorum donorum, & deliberatio de quibusdam operibus arduis, sive teneamur ad ea, sive non: & secundum hoc sumitur consilium donum, & ita consilium & prudentia sunt idem in essentia: tamen consilium abundat supra prudentiam in uno accidente, secundum quod ejus est imperare. Matt. 19

Nota quod sicut ad scientiæ donum pertinet reprobare malum & eligere bonum, ita pertinet ad consi-

filium cavere pericula quæ sunt in hoc exilio. Item sicut scientiæ donum habet regere pietatem, ita donum consilii habet regere fortitudinem. In hoc autem differunt consilium & scientia, quia scientia est circa bonum & malum, sed consilium est circa difficile & arduum.

Caput XLVI.

De dono sapientiæ & intellectus.

Sapientia & intellectus differunt, quia sapientia est cognitio Dei absolute, intellectus vero collative, scilicet in comparatione ad creaturas. Item alia differentia, quia intellectu cognoscitur Deus per illuminationem de auditis in scriptura, sapientia autem cognoscitur experimento. Item per intellectum Deum cognoscimus, per sapientiam dulcedinem ejus gustamus. Unde sapientia dicitur quasi sapore virtutum condita. Item sicut dicit Gregorius, per intellectum sumus providi, per sapientiam maturi.

Greg. homil. 19 in Ezec. circ. med.

Caput XLVII.

De beatitudinibus in genere.

Beatitudines sunt septem secundum distinctionem graduum, quamvis sint octo secundum essentiam, quas Salvator enumerat in sermone de monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries justitiæ, misericordia, munditia cordis, pax, quarum beatitudinum numerus accipitur secundum integritatem perfectionis.

Requiruntur ad integritatem perfectionis tria, scilicet recessus a malo, processus in bono, & perfectus status in optimo. Sane malum omne procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ. Contra hæc tria sunt tres beatitudines, scilicet paupertas spiritus contra malum superbiæ, mititas contra malum rancoris, luctus contra malum libidinis. Item processus in bono attenditur secundum divinam imitationem, quæ est secundum duas vias Domini, scilicet misericordiam, & veritatem, de quibus in Psalmis: Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Item secundum has duas vias sumuntur duæ beatitudines, scilicet esuries justitiæ, & affectus misericordiæ. Præterea status in optimo attenditur in duobus, scilicet in limpida cognitione, & tranquilla affectione, & secundum hoc sumuntur duæ ultimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, & pax mentis ad perfecte fruendum. Per has septem beatitudines excluduntur septem vitia capitalia. Paupertas spiritus excludit superbiam, mititas iram, luctus invidiam (quoniam qui luget pro peccatis aliorum, non invidet illis) esuries justitiæ acediam, misericordia avaritiam, munditia cordis gulam: quia cordis munditia non servit ventri ad modum bruti animalis. Pax excludit luxuriam, quia gustato spiritu desipit omnis caro. Et sicut in enumeratione donorum est ordo artificialis, quo primo ponuntur digniora: ita in beatitudinibus est ordo naturalis, quia digniores ponuntur ultimo.

Psalm. 24

Caput XLVIII.

De prima beatitudine.

Paupertas spiritus ponitur hic pro abstinentia ab amore mundi, id est, ab amore carnalium voluptatum & deliciarum, ac propriæ excellentiæ. Hæc tria complectitur amor mundi. Unde dicitur super Lucam: Pauperes sunt qui non quærunt illecebrosa. Super Matthæum: Gregorius. Pauperes spiritu sunt humiles & Deum timentes. Alia Glossa dicit quod pauperes sunt, qui nihil habent, & omnia possident.

Gloss. inter. in Luc. c. 6

Greg. lib. 18 Mor. c. 20 in prin.

Caput XLIX.

De secunda beatitudine.

Mitis est, sicut dicit Aristoteles, qui nec patitur, nec seducit. Est autem mititas eadem cum mansuetudine, habetur enim in Glossa su-

super Matthæum, quod mansuetus est, qui nullam amaritudinem animi sentit. Ex quo patet quod mansuetudo est purgati animi, & potest dici quod mansuetudo est species fortitudinis mediante patientia. Differunt tamen mansuetudo & patientia: quoniam patientia est in sustinentia molestiarum corporalium, mansuetudo vero in sustinentia contumeliarum.

Caput L.

De tertia beatitudine.

Luctus est lugere pro peccato, & ipsum odire, ita quod insurgamus ad destructionem ipsius. Lugere autem de malo ut fugiamus ipsum, inquantum avertit ab amico, sic lugere est solius charitatis. Lugere vero de quolibet malo speciali, est cujuslibet virtutis. Quælibet enim virtus luget de suo contrario.

Caput LI.

De quarta beatitudine.

Esuries justitiæ est vehemens desiderium justitiæ, sive summi boni. Esuries autem justitiæ potius est beatitudo, quam esuries aliarum virtutum Cardinalium: quia per justitiam immediate conjungimur Deo: quod non fit per alias virtutes Cardinales. Justitia vero prout hic sumitur, comprehendit fidem, spem, charitatem, quæ immediate conjungunt nos Deo.

Caput LII.

De quinta beatitudine.

Misericordia est per quam pro terrenis cœlestia meremur. Opera misericordiæ sunt quatuordecim: septem sc. corporalia, & septem spiritualia. Corporalia sunt hæc: Visitatio infirmorum, potatio sitientium, cibatio esurientium, redemptio captivorum, vestitio nudorum, collectio peregrinorum, sepultura mortuorum. Prima sex de istis habemus in Evan-

A gelio, septimum in Tobia. Opera misericordiæ spiritualia sunt hæc: Delinquenti ignoscere, peccantem corripere, ignorantem docere, titubanti consulere, mœstum consolari, pro salute proximi orare, injurias sustinere. Et hoc ultimo propterea dicitur opus misericordiæ; quia responsio mollis & humilis frangit iram: & hoc pium est, scilicet furorem irati mitigare.

Tob. 1 & 2
Mat. 25
Prov. 15

Caput LIII.

De sexta beatitudine.

Munditia cordis est, qua clarificatur cor, & mudatur ad videndum Deum, & ardentissime diligendum. Accipitur autem hic munditia cordis non pro virtute, sed pro statu quodam, qui est purgati animi.

B

Caput LIV.

De septima beatitudine.

Pax est status virtutum in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi, & diaboli, vel si est aliqua, inefficax est. Unde patet quod pax est status animi purgatissimi. Pacificis enim magis attribuitur esse filios Dei, quam aliis: quia licet misericordia maxime assimilet hominem Deo, quantum ad opera exteriora, tamen quantum ad interiora magis assimilat pax.

C

Caput LV.

De octava beatitudine.

Octava beatitudo est, de qua dicitur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Hæc virtus, scil. sustinentia persecutionis propter justitiam, annexa est paci. Cum enim pacificus sit absque contradictione carnis, mundi, & diaboli: patet quod idem paratus est superare mortem, & tentationem mortis. Unde sustinentia mortis pro Christo, in eodem gradu est cum pace: propter hoc diximus quod octo sunt beatitudines quantum ad essentiam, sed

tantum septem quantum ad distinctionem graduum. Et sciendum quod supra pacem non est virtus alia. Dicit enim August. Pax est finis & consummatio omnium virtutum. Octava beatiudo dicitur redire ad caput duobus modis. Primo, quia idem præmium sibi promittitur, quod primæ beatitudini, scil. regnum cœlorum: secundo, quia omnes probat a prima usque ad ultimam utrum veræ sint, sicut ait Gregorius: Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. Ex prædictis colligitur quod habitus virtutum Cardinalium principaliter disponunt ad exercitium activæ, habitus vero donorum disponunt ad actus contemplativæ, habitus autem beatitudinum disponunt ad perfectionem utriusque.

A

B

Caput LVI.

De sensibus spiritualibus.

PEr sensus spirituales percipit anima spiritualia, quæ in sponsi sui pulchritudine percipere fas est. Sub ratione splendoris audit amœnissimam harmoniam: sub ratione Verbi incarnati gustat summam dulcedinem: sub ratione sapientiæ comprehendentis utrumque, scil. Verbum, & splendorem, odorat summam fragrantiam: sub ratione Verbi inspirati in corde tangit summam suavitatem: sub ratione Verbi incarnati, & inter nos corporaliter habitantis, reddentis se nobis palpabilem & osculabilem percipit ardentissimam charitatem. Ex prædictis patet quod sensus spirituales dicuntur conceptiones mentales circa veritatem contemplandam, quæ quidem contemplatio incipit a sensu, & pervenit ad imaginationem, & de imaginatione ad rationem, & de ratione ad intellectum & de intellectu ad intelligentiam, & de intelligentia ad sapientiam, sive notitiam excessivam, quæ incipit hic in via, & consummatur in gloria.

Caput LVII.

De fructibus spiritualibus.

FRuctus duodecim spirituales non dicuntur novi habitus, sed status consolationum, quibus consolatur spiritus justorum: & istæ consolationes consequuntur opera perfecta. Sunt autem isti fructus, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, &c.

Caput LVIII.

De dulia, & latria.

LAtria est servitus, & reverentia Deo exhibita: unde si creaturæ exhibetur honor Deo debitus, est idololatria. Latria autem comprehendit quinque, scil. fidem, sapientiam, reverentiam, sacrificium, & orationem: prima duo sunt cordis, alia duo sunt operis, ultimum est oris. Dulia debetur creaturæ inquantum est imago Dei. Unde dulia est honor, qui debetur sanctis. Unde de beata Virgine sciendum est quod inquantum est persona sancta, debetur ei dulia: sed inquantum mater Dei, debetur ei hyperdulia, id est, superior dulia. Sane si persona, cui debetur dulia, est in prælatione constituta, debetur ei reverentia, quæ consistit in obedientia mandatorum, & in exhibitione honorum. Si autem est persona simplex, debetur reverentia tantum, quæ consistit in exhibitione honorum. Hyperdulia autem debetur creaturæ excellenti, sicut est caro Christi, beata Virgo, crux Christi. Unde sciendum est quod veræ ligno crucis Christi, in quo pependit, si sit non figuratum signo crucifixi, debetur hyperdulia, quia fuit instrumentum nostræ redemptionis. Crucibus autem factis, inquantum sunt ligna sive res tales, nihil debetur: sed crucibus factis in signum Christi crucifixi, debetur dulia. Imaginibus enim eadem debetur adoratio, quæ debetur & illis, quorum sunt imagines, non quod inquan-

C

quantum res factæ adorantur, sed quod illa quorum sunt imagines, adoramus.

Caput LIX.

De præceptis in genere.

PRæceptum est imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Præceptorum alia sunt affirmativa, ut Honora patrem: alia negativa, ut non occides. Præcepta affirmativa stricte sumendo dicuntur præcepta, sed negativa dicuntur prohibitiones. Præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper: negativa vero obligant semper, & ad semper. Præcepta decalogi possunt dici data, vel innata. Primo modo tantum pertinent ad populum Israeliticum: secundo modo omnes obligant: quia quidquid continet decalogus explicite, hoc continet lex naturæ, quæ scripta est in corde cujuslibet implicite. Istud enim præceptum legis naturæ, Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, includit hæc præcepta. Non occides, Non furtum facies, & hujusmodi, quæ decalogus ponit explicite. Quædam præcepta ponuntur imperative, illa scilicet quæ sunt affirmativa: quædam indicative, scilicet negativa: & hoc ideo, quia difficilius est facere bonum, quam declinare malum. Plures enim in faciendo bonum requiruntur circumstantiæ. In quibusdam præceptis prohibentur actus, habitus, & affectus: ut patet in his: Non mœchaberis, Non concupisces uxorem proximi tui, quia appetitus est nimis inordinatus ad illa. In quibusdam solummodo prohibentur actus, ut cum dicitur: Non occides. Hoc dico secundum formam tradendi, non secundum veritatem intelligendi, quia omnia præcepta negativa manum, & animum ligant.

Multis modis ligamur, scilicet lege naturæ, ut est diligere Deum super omnia, & nulli facere quod nobis fieri nolumus. Præceptis divinis, ut ligabatur Adam præceptis sibi datis, & Judæi suis. Voto, quia secundum August. vovere est voluntatis, sed reddere est necessitatis. Unde quibusdam etiam consilia sunt præcepta, sicut religiosis qui voverunt talia. Decretis patrum, ut est jejunare aliquas vigilias, & hujusmodi. Consuetudine, secundum quod in Francia primogenitus succedit in regno. Mandatis prælatorum. Unde super cathedram Moysi, &c. Conscientia, quia secundum Augustinum: Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

Numerus præceptorum sumitur sic: quia quædam ordinant nos ad Deum, quædam ad proximum: quod Deus insinuare voluit, quando in duabus tabulis legem dedit. In prima tabula sunt tria præcepta, quæ pertinent ad Deum, quorum primum pertinet ad Patrem, quia est de divina unitate. Secundum ad Dei Filium, quia est de juramenti veritate. Tertium ad spiritum sanctum, quia est de spirituali vacatione. In secunda tabula sunt septem præcepta ad proximum spectantia: quorum primum est de exhibendis bonis, ut est illud, Honora patrem tuum, &c. Reliqua sex sunt de cavendis malis, quæ inferri possunt corde, vel opere, vel ore. Opere lædimus proximum tripliciter, propter quod dantur tria præcepta. Primum est, Non occides. Secundum, Non mœchaberis. Tertium, Non furtum facies. Ore quoque lædimus proximum, & est contra illud, Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. *Exo. 20.* Corde lædimus proximum dupliciter: quandoque respectu rei irrationabilis, de hoc dicitur: Non concupisces rem proximi tui. Quandoque respectu rei rationalis, *Ibidem.* & de hoc dicitur: Non concupisces uxorem proximi tui.

Caput LX.

De primo præcepto.

PRimum præceptum tres habet clausulas. Prima est, non habebis deos alienos coram me. *Exod. 20.* Ubi prohibemur adorare creaturas spirituales, scil. Angelos. Secunda est, Non facies tibi sculptile: hoc est imagi-

gines fictas, quæ nullius rei naturalis sunt repræsentativæ. Tertia est. neque omnem similitudinem, scil. imaginem rei naturalis, & sequitur, quæ est in cœlo desuper, ut Solis & Lunæ, & quæ in terra deorsum, ut hominis, bovis, & similium. Neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra, id est, piscium. Non adorabis ea, scil. actu exteriori: neque coles, scilicet affectu interiori. Ex his patet quod non reprehenduntur Christiani, qui faciunt imagines, non quidem ad adorandum, sed ad memorandum. Honor autem, qui exhibetur sanctis, non est latriæ, sed duliæ. Secundum rationem allegoricam prima hujus præcepti clausula ostendit Judæos & Saracenos esse idololatras, qui deos habent alienos. Judæi quidem Messiam, id est, Antichristum, Saraceni, Mahometum. Contra secundam clausulam, scilicet non facies tibi sculptile, faciunt hæretici qui non credunt de Deo, nisi quod imaginatione sua & phantasia confingunt. Contra tertiam faciunt mali Christiani, quia superbi colunt similitudinem eorum quæ sunt super terram, scilicet honores: nam diligunt super omnia prælaturas. Avari colunt similitudinem eorum, quæ sunt in terra, scilicet pecuniam, & divitias: Voluptuosi colunt similitudinem eorum, quæ sunt in aquis, id est, delicias & voluptates.

Caput LXI.

De secundo præcepto.

Secundum est: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Hic prohibetur juramentum quod sit sine causa, & periurium. Uterque enim peccat, scilicet pro nihilo jurans, & assumens, & falso jurans nomen Dei in vanum, quia primus sine causa nominat summam veritatem: secundus autem nominatam contemnit.

Tribus modis quis peccat in perjurio: vel jurando contra conscientiam, vel jurando illicitum, vel veniendo contra juramentum. Præterea sciendum est quod juramenta, quæ quis ex A certa scientia facit, vel sonant in blasphemiam, ut quando quis jurat per corpus Dei, intestina & similia: vel sonant in irreverentiam, sicut quando jurat per vulnera Christi, sunt peccata mortalia, etiamsi verum est quod juratur. Istud præceptum non solum intelligitur secundum prædictam rationem litteralem, sed secundum intentionem moralem. Assumitur enim nomen Dei in vanum multipliciter, scilicet corde, ore, & opere. Corde, sicut mali, qui tantum nomine sine re dicuntur Christiani, qui licet Sacramentum receperint Baptismi, tamen rem Sacramenti, id est gratiam non habent. Ore, scilicet mala juratione, voti B transgressione, prædicatione, quæ fit mala intentione, & indevota oratione, de qua dicitur: Populus hic labiis me honorat, &c. Opere secundum quod hypocritæ nomen Dei assumunt in simulatione operis exterioris, non in puritate cordis. Unde sumunt illud in vanum, quia receperunt mercedem suam. *Mar. 7* *Matt. 15*

Caput LXII.

De tertio præcepto.

Tertium est. Memento ut diem sabbati sanctifices, non facies opus in eo. In hoc præcepto quoddam est morale, ut vacatio ad Deum, C orando, colendo, meditando: quoddam cærimoniale, ut assignatio diei septimæ, quæ figurabat tropologice cessationem peccati, allegorice quietem corporis Christi in sepulchro, anagogice requiem eternam in cœlo. Istud ergo præceptum potest tripliciter accipi. Primo generaliter, ut cessemus a vitiis. Secundo specialiter, ut cessemus ab operibus corporalibus, quæ impediunt vacationem ad Deum. Tertio specialissime, ut est in viris contemplativis, qui ab omnibus mundanis se separant, ut totaliter Deo vacent. Prima vacatio est necessaria, secunda debita, tertia perfecta. Secundum ergo quod sabbatum dicitur requies, sive vacatio ad Deum, sic dies Dominica potest dici dies Sabbati, & *Exod. 20*

quæ-

quælibet dies statuta ad venerationem divinam, in quibus cessandum est ab opere servili, id est a peccato, & ab opere impediente vacationem ad Deum. Opera enim servilia determinantur ab Ecclesia opera mechanica, quæ sunt agricultura, mercatum, placita, exercitia.

Caput LXIII.

De quarto præcepto.

QUartum est, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Huic præcepto additur promissio, scilicet, Ut longævus sis super terram: quia justum est, ut conservatio vitæ alienæ mereatur conservationem vitæ propriæ. Pater dicitur in hoc mandato qui est principium per generationem, quoad esse naturæ, ut pater carnalis, vel qui est principium per ministerium regenerationis, quoad esse gratiæ ut pater spiritualis. Sumitur autem, alio modo pater non secundum rationem propriam, sed secundum communem pro sene, qui dicitur pater ætate, vel pro rege, qui dicitur pater defensione. Honor intelligitur hic dupliciter, scilicet exhibitio corporalis in sustentatione, & spiritualis in reverentia, & obedientia. Sed obedientia diversificatur secundum diversitatem patrum: quia patri spirituali debemus obedire in spiritualibus; prælato sæculari, scilicet regi in temporalibus reipublicæ: patri vero carnali in dispositione rei familiaris. 4 Reg. 5

Caput LXIV.

De quinto præcepto.

QUintum est. Non occides. Hic explicite prohibetur homicidium, sed implicite omnis motus iræ contra proximum: sive ille sit tantum cordis, ut ira: sive oris, ut contumelia: sive operis, ut percussio citra mortem, vel depilatio. Prohibetur hic omnis occisio injusta, quæ fit tripliciter. Ex causa,

A ut in illo, qui occiditur sine culpa. Vel ex ordine, ut cum ille, qui non est minister legis, occidit. Vel ex animo, ut quando minister legis occidit non amore justitiæ, sed libidine vindictæ. Distinguitur autem homicidii genus dupliciter, scilicet verum, quod dicitur corporale, & interpretativum, quod dicitur spirituale. Homicidium spirituale fit duobus modis. Uno modo omittendo, ut cum quis videt alium in extrema necessitate, & non subvenit ei, interpretative dicitur eum occidisse. Alio modo fit committendo: & hoc quandoque corde, scilicet odiendo. Qui odit fratrem suum, homicida est. Quandoque ore, scilicet, detrahendo: quia ille cui detrahitur, occiditur in conscientia illius, qui audit detractorem, in qua prius vivebat per bonam famam. Quandoque opere, scilicet malo exemplo alicui occasionem ruinæ præstando, & tunc interpretative dicitur illum occidisse. 1 Joan. 3

B

Caput LXV.

De sexto præcepto.

SExtum est. Non mœchaberis. In hoc præcepto, ut dicit Augustinus, prohibetur omnis illicitus concubitus, & omnis illegitimus usus eorum membrorum. De hac materia quære supra libro tertio in capite, De luxuria, & in capite sequenti. Exod. 20 Aug. super Exod. 9.71 tom. 4

C

Caput LXVI.

De septimo præcepto.

SEptimum est, Non furtum facies. Hic secundum Augustinum prohibetur omnis contrectatio rei alienæ ex cupiditate. Contrectatio rei alienæ potest fieri licite tribus modis. Primo quando fit non ex cupiditate, sed ex obedientia, sicut fecerunt filii Israel auferendo vasa Ægyptiorum. Secundo, quando fit cautela, ut si aliquis furetur gladium furiosi, ne sibi vel aliis noceat. Exod. 20 Aug. ubi sup. Exod. 12

Tertio, quando fit ex necessitate, A ut cum aliquis ad mortem esuriens furatur panem, quia in necessitate omnia communia sunt.

CAPUT LXVII.

De octavo præcepto.

Exod. 20 OCtavum est. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Hic prohibetur omne genus mendacii, sicut dicit Augustinus, quod determinatur per tres differentias. Est enim mendacium perniciosum, quod nocet: officiosum, quod prodest: jocosum, quod delectat. Includitur in hoc præcepto taciturnitas veritatis tempore necessitatis: tamen causa & opportunitas facit ipsam taciturnitatem veritatis esse licitam.

Aug. ubi sup.

CAPUT LXVIII.

De nono præcepto & decimo.

Exod. 20 NOnum & decimum præceptum est, non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, nec asinum, nec omnia quæ illius sunt. Duo prohibentur hic, scilicet concupiscentia carnis in uxore proximi, & concupiscentia oculorum in re aliena. Nam ad hæc duo maxime inclinatur natura corrupta. Ad unum propter conservationem sui in esse individui. Ad alterum propter conservationem sui in esse speciei. Hic non prohibetur appetitus, qui est a corruptione fomitis, vel a delectatione sensualitatis, quia impossibile est, quod illæ concupiscentiæ non sint in nobis: sed prohibetur appetitus, qui est ex consensu rationis. Quamvis istud præceptum ad duo tantum determinetur, tamen prohibetur ibi universaliter omnis concupiscentia malæ voluntatis.

1 Joan. 2

CAPUT LXIX.

De consiliis in genere.

COnsilium prout dividitur contra præceptum, est persuasio melioris boni, ad quod non tenemur. Consilia in multis differunt a præceptis. Primo, quia ad præcepta tenemur, ad consilia vero non, quia præcepta servare est necessitatis, consilia vero voluntatis. Item lex vetus dat præcepta, Evangelium vero superaddit consilia. Item consilium pertinet ad perfectos, præceptum ad perficiendos: sed permissio ad imperfectos, prohibitio ad perversos. B Item præcepta separant nos ab illicitis, consilia vero a concessis. Item per præcepta declinamus peccata, sed per consilia occasiones peccati. Item per præcepta maxime negativa pœnam fugimus, sed per consilia præmium cumulamus. Item consilia servata afferunt præmium, non servata non adducunt supplicium. Item ad præcepta constringimur ex debito, sed ad consilia non nisi ex voto Item consilium per votum fit præceptum, sicut ait Augustinus. Vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis. Item melius est esse devotum in minoribus, quam in majoribus indevotum promissionibus inveniri. Unde melius est nuda præcepta servare cum devotione, quam se C ad consilia obligare, & in his negligentem esse.

Mat. 19

Nota quod in lege Mosaica fuerunt judicia cerimonialia & moralia. Lex autem Evangelica judicia temperat, partem auferendo: figuras evacuat, rerum veritatem exhibendo: præcepta consummat adiiciendo. Adiicit autem tria, scilicet instructionem documentorum, promissionem præmiorum, & perfectionem consiliorum. Et ideo dicitur lex Mosaica ab Evangelica differre: quia illa figurarum est, hæc veritatis: illa pœnæ, hæc gratiæ: illa litteralis, hæc spiritualis: illa occidens, hæc vivificans: illa timoris, hæc amoris: illa servitutis, hæc libertatis: illa oneris, hæc honoris.

1 Cor. 10
2 Cor. 3

CA.

Caput LXX.

De consiliis Evangelicis.

Consilia quæ Christus adiecit præceptis, sunt ista. Primum est paupertatis, quæ consistit in abdicatione proprietatis. Unde Lucas: *Luc. 14* Qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse *Mat. 19* discipulus. Omnis qui reliquerit domum vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. De hoc Hieronymus: Monachus habens obolum, non valet obolum.

Secundum est obedientia, unde *Mat. 16 & Luc. 8* illud: super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, &c. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c. Sciendum autem quod duplex est obedientia, scilicet perfecta, quæ se extendit ad omnia quæ non sunt contra Deum, vel contra regulam, quam quis professus est, & quæ dispensationi prælati non subduntur. De hac obedientia dicit Bern. perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, non continetur professionis angustia. *Bern. tract. de precep. & dispens. c. 10 in princ.* Ad hanc nullus tenetur debito necessitatis: sed solum perfectionis, *1 Cor. 12* sicut tenemur semper imitari charismata meliora. Alia est obedientia imperfecta: tamen sufficiens ad salutem, qua quis obedit tantum in his, quæ servare promisit, vel in illis, quæ in his implicite continentur, sicut sunt illa sine quibus religionis professio non servatur, ut recipere officia, & hujusmodi, & talis obedientia necessitatis est. Cum ergo dicit beatus Benedictus in regula: quod si prælatus præcipiat aliquid impossibile, tentandum est facere: loquitur de obedientia perfecta, quam dum observat subditus in his ad quæ non obligatur ad prælati præceptum, consilii est & magnæ perfectionis, & non necessitatis. Sed si faciat ad simplicem monitionem tale quid majoris perfectionis est.

Tertium est castitas, de qua Dominus dicit: Sunt Eunuchi qui se *Matt. 19* castraverunt propter regnum cœlorum. Ad idem pertinet illd Matthæi: Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, &c. *Mat. 5* *Exod. 20* Hic ostenditur quod non solum damnabilis est consensus ad opus mœchationis, sed etiam consensus ad delectationem. Nota autem quod concupiscere ex subito motu veniale est, sed concupiscere ex deliberatione perficiendi, mortale est. Prædicta tria consilia sunt specialia & substantialia omnis perfectæ religionis: quia suos observatores elongant a malo, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad causam. Omne namque malum oritur ex triplici radice, scilicet ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, & ex superbia vitæ: Prædicta vero tria consilia perfecte nos elongant ab radice triplici.

Quartum consilium est charitatis. Diligite inimicos vestros. Istud autem quantum ad dilectionem affectus est præceptum, sed quantum ad dilectionem effectus est consilium: quia inimico velle gratiam & gloriam, est necessitatis: sed ostendere ei signa benevolentiæ, est perfectionis & consilii: unde ad hoc non omnes tenentur. Sane negare hujusmodi signa familiaritatis quando veniam petit, vel necessitas exposcit, vindicta est: vel quando se ille, qui hostis erat, ad familiaritatem ingerit, si habeatur præsumptio quod non simulate, vel irrisoriæ faciat, tunc diligendus est, & inter amicos computandus. Sed quo aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est. Unde quod aliquis injuriam passus reconciliationem quærat & amicitiam, non est debitum necessitatis, sine quo non est salus: sed est perfectionis & consilii, quo magnum expectatur præmium.

Quintum est mansuetudinis. Si quis te percusserit in unam maxillam, &c. Hoc autem sic intelligitur, paratus sis aliam sustinere patienter, & istud consilium est patientiæ respectu læsionis corporis. Sed ad idem per-

pertinet aliud, quod est patientiæ A respectu ablationis rerum, sicut est illud, ibidem: Qui vult tecum judicio contendere & tunicam tollere, &c. Nota quod contingit sua repetere coram judice fideli dupliciter, aut cum contentione & fraude, aut cum charitate. Primum nulli licet, secundum vero licet infirmis & imperfectis, perfectis autem non. Unde non repetere, consilium est infirmis, perfectis vero præceptum. Illis autem, qui renuntiaverunt proprietati, non licet repetere sua, ut sua, sed ut congregationis, non propter se, sed propter commune bonum.

Mat. 5

Sextum est misericordiæ, & supererogationis, ut illud, Omni petenti te tribue, & illud: Si vis perfectus esse, vade, &c. Nota quod dare superfluum, est necessitatis, necessitate extrema, sed dare quibus egemus, consilii, Augustinus: Melius est minimis egere, quam plus habere. Quod autem dicit Dominus: Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, vos eadem facite illis, sic intelligendum est. Quæcumque vultis rationabiliter, & dictante charitate, ut faciant vobis, &c. Unde si peteremus rem aliquam, & non videremus illud esse rationabile, non vellemus jam rationabiliter dari nobis.

Luc. 6 *Matt. 19* *Luc. 11*

Septimum consilium est de simplicitate verborum, ut ibi: Sit sermo vester, est est, non non. Cujus sensus est. Si affirmatio, vel negatio est in ore, sit & in corde. Et ad hoc consilium reducitur illud Matthæi: Audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis. Ego autem dico vobis non jurare omnino. Nota quod jurare quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est. Non jurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilii est. Prohibet etiam Dominus jurare per creaturas, scilicet per cœlum, vel terram, vel per capillum, propter idololatriam, ne scilicet credamus aliquid nominis esse in illis: Fiunt tamen interdum juramenta per Evangelium, & cruces, id est, per eum cui hæc sunt dedicata.

Mat. 5

Octavum est de vitanda occasione peccati. Unde dicitur: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Secundum Augustinum, nullum membrorum erui præcipitur ad litteram, sed occasio peccandi. Potest enim occasio esse ex aspectu, & tunc oculus sinister scandalizat. Vel potest esse occasio ex contactu, & tunc manus dextera sandalizat. Potest insuper esse occasio peccandi ex alio, & hoc a consiliario, qui dicitur oculus, vel ab adiutore, qui dicitur manus: & dextera qui consiliarius dicitur, & est adiutor in spiritualibus, sinistra in temporalibus, hujusmodi enim si scandalizant, abiiciendi sunt, quia occasiones peccandi sunt abiiciendæ.

Matt. 5 & 18 *Aug. lib. 1 de serm. Domini in monte cap. 24 post med. tom. 4*

B Nonum consilium est de rectitudine intentionis ac finis. Unde dicitur: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Item illud: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Item: Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum, &c. De his nota quod contingit constituere duos fines, scilicet temporalem, & æternum: sed si æternus finis est ultimus, hoc bene licet. Actio autem spiritualis, vel prædicatio non potest referri ad finem temporalem, ita quod illud temporale referatur ad Deum, quia non sunt facienda mala ut veniant bona. Et hoc est quod dicit Augustinus, Non C debemus evangelizare, ut manducemus: sed manducare, ut evangelizemus. Nota etiam, quod nos tenemur illos actus referre ad Deum, quorum habemus dominium ex imperio rationis, ut est manducare, cogitare, eligere, & similia: sed non tenemur actus referre inobedientes rationi, ut est nutritiva, respirativa, & hujusmodi.

Mat. 5 *Rom. 3* *Aug. lib. 2 de serm. Domini in mon. cap. 24 tom. 4*

Decimum consilium est de conformitate operis ad doctrinam, ut ibi: Alligant onera gravia, & importabilia: digito autem suo nolunt ea movere, &c. Ad idem est illud Matthæi: Hypocrita, eiice prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis, &c. Nota quod aliquando in prædicatione asseritur intentio generaliter, scilicet de his quæ pertinent

Matt. 23 *Mat. 7*

nent ad statum salutis: aliquando vero assteritur secundum statum perfectionis, utpote religionis. Primo modo tenetur prædicator facere quod dicit, cum asserit ad hoc omnes teneri. Secundo modo non tenetur, nisi perfectionem illam ipse voverit. Utrum autem malus peccet prædicando distinguitur, quia existens in peccato notorio peccat, quando prædicat, sive ex necessitate officii hoc faciat, sive ex voluntate, quia scandalizat. Existens autem in peccato occulto, si prædicat, & non studet ex dicto suo compungi, adhuc videtur peccare, quia videtur contemnere.

Undecimum consilium est de vitanda sollicitudine, ut ibi: Nolite solliciti esse, &c. Et ibi: Nolite cogitare de crastino. Sciendum quod triplex est sollicitudo. Prima est laudabilis, ut est providentia spiri-
1 Cor. 7 Rom. 12 tualis. Unde Apostolus: Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt, quomodo, &c. Item de prælatis: Qui præest in sollicitudine. Secunda est tolerabilis, & est illa sollicitudo curæ temporalis quoad corpus.
Luc. 10 Martha, Martha sollicita es, & turbaris, &c. Tertia est vituperabilis, & ista est superfluæ thesaurizatio-
Eccl. 2 nis, quoad avaritiam. Peccatori autem dedit Deus afflictionem pessimam, ut addat, & congreget, & hæc vanitas cassa sollicitudo mentis. Sollicitudo prima præcipitur, secunda toleratur, tertia prohibetur.

Duodecimum est fraternæ correctionis: ut in Matthæo: Si pecca- Mat. 18
A verit in te frater tuus, &c. Nota, quod fratrem corripere, quandoque est consilium, ut quando corripitur super venialibus. Quandoque est præceptum, ut corripere de mortalibus: & isto secundo modo ad omnes pertinet, & obligat semper: quia pro loco & tempore, scilicet quando vacat, & videt quod utilis sit correctio. Sciendum quod triplex est correctio, scilicet amoris, timoris, & pudoris. Hunc ordinem fraternæ correctionis docet Dominus in Evangelio. Primo enim innuit fratrem revocandum esse amore, cum jubet
B eum singulariter corripere, dicens: Corripe eum inter te, & ipsum solum. Sed si hoc non valet, docet eum esse revocandum timore, ubi ait: Si te non audierit, adhibe unum, vel duos tecum: si hoc non valuerit, docet eum esse revocandum pudore, ubi dicit: Si nec illos audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, id est, excommunicari debet, & sic evitari. Sane prædictus ordo fraternæ correctionis intelligitur tantum de criminalibus: quia de culpis communibus solent claustrales se in suis capitulis
C accusare, non præmissa admonitione. Verum amn accusans alium caveat diligenter, ne hoc faciat ad diffamandum, sed ad corrigendum: quoniam si quis ex deliberatione contrarium faceret mortaliter peccaret.

COM-

COMPENDII
THEOLOGICÆ VERITATIS.
LIBER SEXTUS
De Sacramentorum virtute.
CAPITA HUJUS LIBRI.

CAPUT I.

De medicina Sacramentorum.

COELESTIS medicus humani generis reparativus tali modo sanavit ægrotum; sicut optime competebat ægrotanti, & ægritudini, & occasioni ægrotandi & ipsius ægritudinis curationi. Ægrotus igitur homo est. Morbus autem originalis culpa est. Origo vero istius culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit ex sensibus carnis. Ad hoc ergo quod medicina respondeat morbo, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis: ut sicut sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Et propter hoc medicina nostri vulneris consistit in Ecclesiasticis Sacramentis.

CAPUT II.

De diffinitionibus Sacramenti.

SAcramentum est, ut ait August. invisibilis gratiæ visibilis forma. Hæc diffinitio generalis est, & convenit Sacramentis tam novæ, quam veteris legis: quia tam illa, quam ista

Mag. l. 4 sent. d. 1 B. Ex Aug. l. 2 de doctri. Chri. c. 1 & 3

ista sunt ex similitudine repræsentativa, ex institutione significativa. Sciendum autem, quod eadem diffinitio convenit Sacramentis novæ legis, sed sic supplenda est; ita ut ejus similitudinem gerat, & causa existat: quia non solum ex similitudine repræsentant, vel ex institutione significant, sed etiam ex virtute divina sanctificant, & gratiam conferunt, per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum, & hoc est quod insinuat Augustinus in alia diffinitione, dicens: Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur. Est & tertia diffinitio Hugonis de sancto Victore, qui ait: Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens. Tria autem hic tanguntur, quæ sunt de ratione Sacramenti stricte & proprie sumpti. Primum est naturalis similitudo, ex qua habet aptitudinem significandi. Secundum est actualis institutio, ex qua habet ordinem determinatum respectu hujus significati. Tertium est spiritualis sanctificatio, ex qua habet virtutem efficendi illud significatum. Item dicit Augustinus, quod Sacramentum est sacræ rei signum; istud autem non est diffinitio, sed potius etymologia Sacramenti.

Hug. de sacram. fid. l. 1 p. 9 c. 2

Aug. l. 10 de Civi. c. 5 ante med. tom. 5

Caput IIII.

De Sacramentis novæ legis, seu gratiæ.

Sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tamquam novæ legislator, in qua vocans ad præmia, dedit præcepta, instituit Sacramenta. Christus enim Verbum Patris cum sit summæ bonitatis, & summæ veritatis, ratione summæ bonitatis promisit præmia beatificantia: ratione veritatis dedit præcepta dirigentia, ratione virtutis instituit Sacramenta adjuvantia, ut sic per Sacramenta reparetur virtus ad implenda præcepta, & per præcepta perveniatur ad præmia. Instituit autem Sacramenta in verbis, & elementis, ut ait Augustinus: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, & est ibi elementum pro materia, & forma verborum pro forma. Ad hoc vero instituta sunt Sacramenta in verbis & elementis, ut haberent evidentiam significandi, & efficaciam sanctificandi: quia dum elementa oculis, & verba auribus se offerunt, qui sunt duo sensus præcipue cognoscitivi, dant evidentiam significationis. Deinde verba sanctificant elementa, ut plenior fiat humanæ creationis efficacia.

Aug. tract. 80 in Joan. post med. t. 9

Instituit autem Deus Sacramenta diversimode, quædam scilicet ante adventum suum, ut matrimonium, & pœnitentiam. Sed hæc duo confirmavit, & consummavit in lege Evangelica, dum pœnitentiam prædicavit, & nuptiis interfuit. Alia quinque Sacramenta solus Christus initiavit. Confirmationem quidem, parvulis manum imponendo: Unctionem vero, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur in Marco: Baptismum vero, suscipiendo, deinde formam dando: Ordinem autem, potestatem ligandi & solvendi tribuendo, & conficiendi Sacramentum altaris: Eucharistiam autem operando, comparando se grano sinapis: & conficendo ac dando discipulis imminente passione Sacramentum corporis & sanguinis sui. Instituta sunt etiam Sacramenta multiplici de causa. Primo propter humiliationem, qua homo quærit salutem inferioribus se subiiciendo. Secundo propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda invisibilia rapitur. Tertio, propter exercitationem, qua homo noxiam declinet occupationem & otium. Quarto propter congruitatem medici ad medicinam, quia cum medicus sit Deus, & homo ægrotus, congruenter medicina debet continere aliud divinum, scilicet invisibilem gratiam, & aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ formam. Quinto propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo constans ex corpore & spiritu;

Mar. 6 Matt. 3

Rom. 1

ritu: spiritus autem in corpore non bene capiat spiritualia, nisi in corporalibus; congruum fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, sicut pilulæ in nebula dantur. Sexto propter augmentationem meriti, multum enim valet ad meritum, quando Deus creditur in his, ubi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo ex prædictis, quæ sit Sacramentorum causa efficiens, quia divina institutio: quæ formalis: quia gratiæ sanctificatio: quæ finalis, quia humanæ infirmitatis curatio.

Caput IV.

De effectu Sacramentorum novæ legis.

Effectus Sacramentorum novæ legis multiplex est. Primo a peccato mundant. Secundo in bono conservant. Tertio corpori Christi mystico incorporant. Quarto justificant. Quinto ad futuram vitam præparant. Sexto audiendo illuminant. Septimo a malo præservant. Ista patent in septem Sacramentis per ordinem. Nam primum operatur Baptismus: secundum Confirmatio, & sic de aliis: Sacramenta dicuntur vasa gratiæ, & causa: non quod in eis gratia substantialiter contineatur, vel causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, & a solo Deo infundi: sed quia in illis & per illa gratiam curationis a summo medico Christo oportet hauriri: licet non alligaverit potentiam suam Sacramentis, quin & per alias vias gratiam conferre valeat, quando vult.

Sacramenta semper habent sanctificationem veritatis, non semper efficaciam curationis; & hoc non propter defectum ex parte sui, sed ex parte suscipientis: quia gratia nulli datur repugnanti & impugnanti gratiæ fontem. Unde & Sacramenta non sanctificant, nisi digne accedentes, & absque omni fictione. Nonnumquam tamen virtute Sacramentorum fit de attrito contritus, ita quod defectus dignitatis, vel præparationis ex parte suscipientis suppletur virtute divina in Sacramentis contenta dummodo non accedat sciens in mortali peccato, vel in proposito peccandi. Unde sciendum, quod quidam suscipiunt Sacramentum tantum, ut ficte accedentes: quidam rem tantum ut qui per contritionem & fidei devotionem recipiunt gratiam prius, quam veniant ad Sacramenta: quidam & Sacramentum & rem suscipiunt, ut digne accedentes.

Sacramentum dicitur a sacrando, & hoc potest intelligi tripliciter: aut sanctitatem efficiendo tantum, aut sanctitatem significando tantum, aut sanctitatem significando & efficiendo simul. Primo modo convenit ratio Sacramenti rebus significatis per Sacramenta tam veteris, quam novæ legis. Secundo modo convenit signis veteris legis. Tertio modo convenit Sacramentis novæ legis. Hujusmodi exemplum habemus in naturis, quia medicina dicitur sanare efficiendo tantum, sed sudor sanat indicando tantum, exercitatio sanat efficiendo, & significando.

Quinque sunt quæ animam justificant, sed diversimode. Deus enim justificat auctoritate, gratia justificat formaliter expellendo morbum spiritualem, impletio mandatorum justificat, ut dieta. Sacramenta vero tanquam vasa medicinalia, in quibus confertur gratia. Sacerdos autem ministerio. Exemplum autem horum habemus in curatione morbi corporalis. Deus enim sanat corpus auctoritate, medicina effective, dieta conservative, vas medicinæ contentive. Unde dicitur vulgariter, Pyxis ista sanavit me, medicus vero sanat ut minister.

Caput V.

De numero Sacramentorum.

Sacramenta novæ legis sunt septem secundum septem diversitates hominum in Ecclesia. Primum est intrantium, ut Baptismus. Secundum pugnantium, ut Confirmatio. Tertium vires resumentium, ut Eucharistia. Quartum resurgentium, ut Pœnitentia. Quintum exeuntium, ut

ut Extrema unctio. Sextum ministrantium, ut Ordo. Septimum novos milites introducentium, ut Matrimonium.

Sacramenta figurata sunt in septem signaculis, quibus fuit veteris testamenti pagina sigillata, quæ agnus qui habet clavem David, qui claudit & nemo aperit, reseravit. Item in septem tubis quibus Angeli cecinerunt. Item septem stellis, quas habebat similis filio hominis in dextera sua. Item in septem panibus quibus Dominus turbam satiavit. Item in septem oculis super unum lapidem. Item in septem lucernis tabernaculi superpositis candelabro. Item in septem lotionibus Naaman.

Apoc. 3 & 5 *Matt. 15* *Zach. 3* *Num. 8* *4 Reg. 5*

Sacramenta sunt septem, quæ disponunt ad septem virtutes habendas. Nam Baptismus est sacramentum fidei. Confirmatio spei, Eucharistia charitatis. Pœnitentia justitiæ. Extrema unctio perseverantiæ: quæ est fortitudinis complementum. Ordo prudentiæ. Matrimonium temperantiæ. Alia etiam ratio numeri Sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem culpam, & contra quadruplicem pœnam. Unde Baptismus ordinatur contra peccatum originale. Pœnitentia contra mortale. Extrema unctio contra veniale. Ordo contra ignorantiam. Eucharistia contra malitiam. Confirmatio contra impotentiam. Matrimonium contra concupiscentiam, quam temperat & excusat. Alia adhuc ratio numeri; qua Sacramenta sunt causa sanativa morbi spiritualis ad modum corporalium. Medicina vero corporalis quadruplex est; scilicet curativa, conservativa, præservativa, & meliorativa. Simili modo & Sacramenta curant. Baptismus curat simul, & totaliter. Pœnitentia vero curat paulatim quantum ad pœnam, quousque nullius pœnæ homo debitor sit. Extrema unctio curat a morbis levioribus, sc. a venialibus, sicut Baptismus, & Pœnitentia curat a lethalibus. Sic ergo prædicta tria Sacramenta sunt quasi medicina curativa. Confirmatio autem est medicina conservativa sanitatis spiritualis, in qua datur Spiritus sanctus A ad robur & conservationem gratiæ dat in Baptismo. Matrimonium est medicina præservativa. Ordo est medicina meliorativa, in quo augmentatur gratia. Eucharistia hæc omnia simul facit. Curat enim venialia, quæ sunt occasio ruinæ majoris: conservat enim gratiam inventam in homine, & augmentum, sicque meliorat, & nihilominus a peccato præservat.

CAPUT VI.

De potestate dispensationis Sacramentorum.

Potestas dispensationis Sacramentorum regulariter spectat solum B ad genus humanum. In omnibus Sacramentis dispensandis, necessaria est dispensationis intentio, qua quis intendit facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio prædicta: quia ipsa Ecclesia sicut Sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat. Rursum quia ordo dignitatis exigit, ut majora majoribus, & minora minoribus committantur: quædam respiciunt excellentiam dignitatis, ut Sacramentum Confirmationis & Ordinis, unde Confirmatio & Ordo conferuntur ab Episcopis. Quædam respiciunt in- C digentiam necessitatis, ut Matrimonium & Baptismus: quorum unum generat, alterum vero regenerat: & horum dispensatio etiam personis inferioribus conceditur, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione Baptismi. Quædam autem Sacramenta sunt quasi media, ut Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema unctio. Et istorum dispensatio ad solos pertinet sacerdotes, qui sunt quasi medii inter Episcopos, & minores personas constituti.

Sacramenta dispensari possunt a bonis & malis, a fidelibus & infidelibus, inter Ecclesiam, & extra: quia si dispensari possent tantum a bonis, nullus esset certus de susceptione Sacramenti: cum nullus sit certus de bonitate ministri, sicut

nec

nec de propria & semper ita oporteret iterari, & malitia unius præjudicaret alienæ saluti. Idcirco Sacramentorum dispensatio committitur homini non ratione sanctitatis, quæ variatur, sed ratione auctoritatis divinæ, quæ semper manet quantum est de se.

Sciendum autem, quod in Sacramentis quædam sunt substantialia, quædam vero sacramentalia. Quantum ad substantialia non plus valet operatio boni ministri, quam mali: quia Deus ibi operatur ut auctor, homo vero ut minister. Sed in sacramentalibus, ut sunt rationes, plus potest valere operatio boni ministri, quam mali: hoc est autem per accidens, non per se, id est, quantum ad alios effectus accidentales, non quantum ad essentiales.

Quamvis apud hæreticos sint Sacramenta vera, non tamen recipientibus sunt utilia, nisi ad Ecclesiæ unitatem redeant. Unde Augustinus: Ecclesia comparata paradiso judicat posse Baptismum homines foris recipere, sed salutem non tenere. Nam & flumina de paradisi fonte largiter manaverunt, non tamen in Mesopotamia, nec in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ, quæ de paradiso commemoratur.

Aug. l. 4 de Baptismo contra Donatistas statim in princ. c. 6

CAPUT VII.

De triplici statu fidelium.

TRiplex est status fidelium in acie Ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet fidei genitæ, fidei roboratæ, & fidei multiplicatæ. Per primum fit distinctio fidelium ab incredulis in Baptismo, per secundum fit distinctio fortium ab infirmis, & hoc in confirmatione, per tertium fit distinctio clericorum a laicis, per Sacramentum Ordinis. Hic est quod hæc tria Sacramenta characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguuntur: unde nullatenus iterari possunt. Character ergo baptismalis incipientium est, Confirmationis vero proficientium, sed Ordinis perfectorum.

A Prædicta triplex distinctio fit ad similitudinem distinctionis alicujus exercitus. Prima est communis, scilicet totius exercitus ab alio exercitu, & hæc fit principaliter per Baptismum. Secunda est specialis, scilicet militum a popularibus, hæc autem fit per Confirmationem. Tertia est specialissima, scilicet ducum militumve ab utrisque, & hæc fit per Sacramentum Ordinis. Præterea quia character est signum distinctivum spirituale & indelebile, ideo non confertur in Sacramentis, quæ solent iterari, sicut est Pœnitentia, Matrimonium, & hujusmodi.

Notandum ergo, quod character baptismalis est omnium characterum B aliorum fundamentum, & ideo illo non habito non possunt ceteri characteres imprimi: unde si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus agitur.

Quamvis tria Sacramenta sint, ut dictum est, quæ propter characteris impressionem non iterantur, tamen commune est hoc omnibus Sacramentis, non iterari circa eamdem personam, & materiam; & ex eadem causa, & hoc est ideo, ne fiat contumelia Sacramento. Ex hoc enim credi posset, quod Sacramenta prius dispensata essent inefficacia & inepta: licet quædam ex necessitate, & aliis causis iterari possint.

Quædam sunt de Sacramentorum C substantia, quædam de congruentia. Si ea quæ sunt de substantia, omittantur, evacuantur Sacramenta, & sunt iteranda. Omissione vero illorum, quæ sunt de congruentia, non evacuantur Sacramenta.

CAPUT VIII.

De institutione Sacramentorum.

AB initio instituta sunt Sacramenta ad curationem hominum, & semper cum morbo cucurrerunt, In lege enim naturæ fuerunt oblationes, sacrificia, & decimationes. In lege autem scripta introducta est circumcisio, & adjuncta est expiatio, atque superaddita oblationum & sacrificiorum multiformis distinctio. In le-

lege autem nova statuta sunt Sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora, præeminentia digniora, atque significatione evidentiora: in quibus est impletio simul & evacuatio omnium prædictorum, sicut ait Hugo de S. Victore. Primi temporis Sacramenta fuerunt sicut umbra, medii temporis sicut imago, sive figura, postremi vero temporis, scilicet gratiæ, sicut corpus, quod intra se veritatem continet & gratiam, quam significatione repræsentant, & principaliter conferunt & promittunt. Prædicta patent, quia ejusdem mundationis similitudo est in oblatione legis naturæ, sed occulte invenitur. In circumcisione vero evidentius aliquantulum exprimitur, per Baptismum autem manifestius declaratur. Item Sacramenta veteris legis nutriebant parvulos, exercebant perfectos, & duros onerando domabant. Sed hæc Sacramenta novæ legis conferunt, quæ vetera de longinquo monstrabant. Unde priora Sacramenta præparaverunt, & perduxerunt ad nova, sicut via ad terminum, sicut figura ad veritatem, & sicut imperfectum ad perfectum. Est & alia differentia, quia commune est omnibus Sacramentis quod consistant in rebus sensibilibus, invisibilem tamen gratiam significantibus: sed speciale est Sacramentis novæ legis, quod consistant etiam & in rebus. Item Sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant, sed hoc non faciunt Sacramenta veteris legis. Item Sacramenta novæ legis justificant & quantum ad opus operatum, & quantum ad opus operans: sed Sacramenta veteris legis justificant solum quantum ad opus operans, quia non valebant facientibus, nisi quantum illorum charitas & devotio fidei se extendebat. Hoc non intelligitur de circumcisione, quæ cum non fuerit in lege data, nequaquam inter legalia computatur: quia ipsa in parvulis tollebat originale peccatum, & gratiam conferebat, quod non faciebant legalia. Item in lege distinguebat populum Dei ab aliis gentibus, sicut modo distinguit character baptismatis. Item legalia, secundum Augustinum, fuerunt ante passionem Domini viva, & statim post passionem mortua, & postquam claruit veritas Evangelii fuerunt omnino sepulta. Nostra vero Sacramenta usque ad finem semper in suo vigore manebunt.

Hugo de sacram fid. l. 1 par. 8 c. 12

Aug. ep. 19 ad Heron. c. 2

Caput IX.

De Sacramento Baptismi.

Baptismus est janua omnium Sacramentorum, quia nulli confertur in Ecclesia aliud Sacramentum ante ipsum. De substantia Baptismi sunt quinque. Primum est expressio formæ vocalis a Deo institutæ, quæ est hæc: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti absque omissione vel additione dictionis, absque præposteratione ordinis, & absque commutatione nominis: his enim quatuor modis forma verborum violatur, sc. omissione, additione, transpositione, & commutatione, id est, si ponitur loco Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nomen potentis, sapientis, & benigni: quia in quocumque idiomate baptizetur, non debent poni appropriata tribus personis, sed expressa nomina personarum. Similiter loco verbi, baptizo, non debet dici, immergo, vel intingo. Secundum est ablutio per elementum aquæ cujuslibet, vel maris, vel fontis, vel fluminis, sive frigidæ, vel calidæ in toto corpore facienda vel saltem in digniori parte, scilicet in caput. Tertium est, quod immersio ista fiat ab uno, & in eodem tempore, quando forma verborum exprimitur, ita quod non unus puerum immergat, & alius verba proferat. Quartum est intentio vel specialis, vel generalis. Specialis autem intentio est, ut iste baptizandus mundetur. Generalis autem est facere illud quod facit Ecclesia. Intentio quoque illius requiritur qui est baptizandus, si est adultus, quia qui inviti baptizantur, non recipiunt Sacramentum. Quintum est fides ipsius baptizandi: quia in adultis requi-

quiritur fides propria, sed in parvulis aliena: quia parvuli in fide Ecclesiæ baptizantur.

Baptismus merito fit in aqua, & non in alio liquore: quia cum homo per peccatum primi parentis incurrit immunditiam & ignorantiam, & concupiscentiam, per Baptismum ab his tribus liberatur. Et hoc notatur in proprietatibus aquæ, scilicet puritate, perspicuitate & frigiditate. Nam baptismalis aqua sua puritate nos mundat, sua perspicuitate illuminat, atque sua frigiditate ab æstu concupiscentiæ nos temperat. Item Baptismus fit in aqua, ne quem inopia excusaret, & ne propter defectum homines salutis periculum incurrerent, si in alio aliquo liquore fieret: & ut inveniatur apud omnes communis Baptismi materia.

Triplex autem est Baptismus, sc. fluminis, flaminis, & sanguinis. Inter hos talis est differentia, quia Baptismus fluminis a tota pœna liberat, & a culpa, & gratiam in habitu infundit, & characterem imprimit. Baptismus flaminis delet culpam non semel tantum, sed pluries, & habet gratiam in usu, in quo consistit meritum. Baptismus sanguinis liberat ab omni tentatione, & confert statim præmium, quia proprium est martyrum statim evolare. Ex his patet quis sit melior inter hos Baptismos, quia se habent, ut excedentia, & excessa.

In Baptismo quoddam est Sacramentum tantum, ut ablutio exterior: quoddam est res tantum, ut gratia interior: quoddam res, & Sacramentum, ut character. Octo sunt de solemnitate Baptismi, quæ non sunt de substantia. Unde versus:

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliva,
Flatus, virtutem Baptismatis ista figurant:
Hæc cum patrinis non mutant esse, sed ornant.

In quatuor locis inungitur baptizandus scilicet in fronte, ut fidem publice protestetur. In vertice, ut agenda ab eo subtilius intelligantur. Inter scapulas, ut jugum Christi

A suavius portetur. In pectore, ut dulci corde Deus diligatur.

Baptismus fuit materialiter institutus, quando Christus baptizatus fuit: formaliter, quando dixit: Ite, docete omnes gentes, &c. finaliter, quando dixit Nicodemo. Nisi quis renatus fuerit, &c. effective, quando Christus passus est. *Matt. 3* *Mat. ult.* *Joan. 3*

Effectus Baptismi multiplex est. Ad alia Sacramenta præparat, quia Baptismus est Sacramentum intrantium. A peccato mundat quod significatum est in mari rubro, ubi submersi sunt Ægyptii, sed filii Israel exierunt securi. Nota, quod in Baptismo deletur originalis peccati macula: fomes vero non tollitur, B sed remittitur: Pœnam relaxat. Unde pueri induuntur veste candida. Rationalem illuminat. Unde ponitur sal in ore. Concupiscibilem ad bonum inflammat, unde datur candela puero. Irascibilem confortat. Unde Israel vincit Amalech post transitum maris rubri. Gratiam tribuit: quod figuratum est per columbam, quæ sedit super Jesum baptizatum. Characterem imprimit: hoc figuratur per mare vitreum in Apocalypsi: Fomitem mitigat, quod significat aquæ frigiditas. Communionem Ecclesiæ præstat, sicut Hieremias circumcisus fuit, quamvis sanctificatus fuerit in utero. A satisfactione exteriori liberat, quia non re- C quirit gemitum neque planctum, intellige exteriorem, non interiorem: nam interior requiritur in adulto, scilicet contritio. Potestatem diaboli minuit: quod significat exsufflatio. Januam cœli aperit, quod significatum est, quando Christo baptizato aperti sunt cœli. Et notandum quod passio Christi aperuit januam cœli per causam meritoriam, & satisfactoriam generalem. Baptismus autem aperit per causam efficientem singularem. Facit enim justum hominem singularem evolare. Os ad laudandum, & aures ad audiendum aperit. Unde ponitur saliva in aure pueri. Templum Christi efficit. Unde dicitur baptizato: Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto. Laudabilem coram Deo reddit. *Exod. 14* *Exod. 18* *Matt. 3*

Unde

Unde balsamum est in chrismate. Solent pueri baptizandi usque ad Pascha & Pentecosten, nisi urgeat necessitas, vel timeatur periculum, reservari ad significandum quod in baptismo fit resurrectio spiritualis, & quod gratia Spiritus sancti datur. Baptismus Christi, & Joannis conveniunt in materia, & in modo mergendi: sed differunt in forma, quia baptismus Joannis tradebatur in nomine venturi. Differunt etiam in effectu, quia baptismus Christi vivificat, Joannis autem non. Item in fine, quia baptismus Joannis ad baptismum Christi invitabat.

Caput X.

De catechismo, & exorcismo.

Catechismus, & exorcismus tamquam præparatorii præmittuntur in baptismo, ut in ipso gratia efficacius operetur. Tribus de causis catechismus institutus est, primo propter instructionem de articulis communibus ad fidei susceptionem: secundo propter responsionem ad fidei professionem: tertio propter responsionem ad fidei observationem. Quia vero adultus peccatum proprium habet, & per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo. Parvulus autem, quia non habet peccatum actuale, nec per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo per vicarium; qui pro ipso respondet de fidei observantia. Exorcismus ideo institutus est, ut a baptizando diaboli potestas repellatur. Nam propter peccatum hominis diabolus in hominem potestatem accipit, & etiam in illa, quæ veniunt in usum hominis. Unde tam adulti, quam parvuli exorcizari debent ad expulsionem diabolicæ potestatis.

Caput XI.

De confirmatione.

Confirmatio sacramentum est pugnantium, de cujus substantia sex sunt. Duo ex parte sacramenti in se, scilicet materia chrismatis, &

A forma verborum, quæ talis est, secundum morem magis communem. Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris, & Filii, & Spritus sancti. Duo ex parte ministri, scilicet dignitas Pontificalis, & intentio debita. Duo ex parte suscipientis, scilicet frons in qua debet fieri chrismatio, & quod confirmandus sit baptizatus. Unctio chrismatis triplex fit in tribus sacracramentis, quorum diversitas ex fine accipitur. In baptismo fit in vertice, ad signandum fidei susceptionem, quia vertex est locus cellulæ rationalis. In confirmatione fit in fronte, ad significandum audaciam confessionis: cujus impedimentum est timor

B & verecundia, quæ specialiter manifestatur in pallore, vel rubore frontis ex propinquitate cellulæ imaginalis. In ordine fit in manibus, ad significandum potestatem consecrandi Dominici corporis sacramentum.

Hujus sacramenti multiplex est utilitas, quia gratiam in baptismo datam confirmat. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, *Psal. 67* scilicet in baptismo. Ad militiam spiritualem præparat. Unde confirmandi tamquam pugiles pugnaturi inunguntur, ne ab inimicis de facili terreantur. Et quia omnes Christiani debent esse in bello Christi, propter hoc omnes debent sacramentum hoc accipere, ut facilius possint

C contra mundum, carnem & diabolum pugnare. Ad confessionem constantem nominis Christi animat, quoniam oportet verum Deum, & verum hominem confiteri. Primo, ut confiteamur eum secundum divinam naturam Patri, & Spiritui sancto æqualem. Secundo ut confiteamur eum secundum humanam naturam, crucis pertulisse supplicium. Primum apparet in forma Verborum in Trinitatis expressione, secundum claret in fronte crucis signatione. Intus & extra spirituali decore nos ornat. Intus quidem per conscientiæ puritatem: sed extra per odorem bonæ famæ. Et hæc duo significantur in chrismate quod conficitur ex oleo propter primum, & ex balsamo propter secundum. In bo-

bonis agendis & malis sustinendis roborat. Datur enim ibi Spiritus sanctus ad robur. Animam & corpus armat. Animam quidem per impressionem characteris contra pusillanimitatis vitium: corpus vero per clypeum crucis contra insultus dæmonum. Contra verecundiam & timorem in confessione nominis Christi audaciam præstat. Primum notatur in chrismatione frontis, quæ est locus verecundiæ. Secundum in potestate ministri. Pugnantem coronat: quod notatur in vitta, quæ circa caput confirmati ligatur. Quædam sunt circa confirmationem quæ non sunt de esse sacramenti, sed de bene esse, quæ sunt hæc. Quod jejunis, & a jejunio detur: quod per aliquem Episcopo præsentetur, qui etiam patrinus efficitur, quod vitta capiti circumligetur. Per istud sacramentum fiunt fideles pleni Christiani. Plenitudine dico copiæ: qui tamen in baptismo pleni facti sunt plenitudine sufficientiæ.

Sacramenta se habent in dignitate, ut excedentia, & excessa. Nam Eucharistia præeminet in esse, Baptismus in effectu, Matrimonium in mysterio, quia significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Confirmatio in dignitate ministri, quæ non confertur nisi ab Episcopis. Pœnitentia in frequenti peccatorum remissione, & sic de aliis sacramentis.

Caput XII.

De sacramento Eucharistiæ.

Eucharistia est sacramentum charitatis tam divinæ, quam nostræ: quia Deus in hoc sacramento magnæ dilectionis nobis signum ostendit, & nostræ dilectionis affectum per idem sacramentum specialiter erga se inflammavit. De substantia hujus sacramenti sunt quatuor. Primum est, quod consecrans Eucharistiam sit Sacerdos. Secundum, species panis & vini. Tertium, intentio consecrantis. Quartum est forma verborum, videlicet: Hoc est
Luc. 22 enim corpus meum. Et ista super
1 Cor. 11 calicem. Hic est enim calix, &c.

A Ad plenius intelligendum ista, nota circa intentionem, quod aliud est intentio, aliud attentio: quia intentio semper est necessaria, vel specialis, vel generalis, sicut dictum est de baptismo. Attentio autem non est de substantia, sicut quando mens rapitur in prolatione verborum ad alia, quod quandoque contingit ex infirmitate, quandoque ex negligentia, vel incuria, & tunc est peccatum. Sciendum præterea quod non solum requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio istud sacramentum instituentis. Unde si aliquis sacerdos staret in foro, & super omnes panes formam verborum proferret, etiam cum
B intentione consecrandi, non fieret ibi transsubstantiatio: & hoc non esset propter defectum virtutis verborum, cum una vice sacerdos possit consecrare tot hostias, quot toti mundo sufficerent, si esset necessarium Ecclesiæ, sed propter defectum intentionis illius, qui hoc sacramentum instituit, qui non intendit quod cum tali ludibrio, vel stultitia fieret consecratio, sed pro utilitate, vel necessitate Ecclesiæ generalis, vel particularis.

Circa formam quoque verborum sciendum quod cum dicitur: Hoc est enim corpus meum; ista conjunctio enim, non est de substantia formæ, sed de bene esse ipsius: unde omit-
C ti non debet. Aliud namque est forma necessaria, sine qua non potest transsubstantiatio fieri: aliud forma debita, sine qua non debet fieri. Eodem modo dicendum est de speciebus panis & vini. Unde nota quod materia Eucharistiæ alia est necessaria, alia est debita. Materia necessaria Eucharistiæ est panis frumentitius, quia sine illo non potest fieri confectio. Materia vero debita est, quod panis ille sit azymus, quia licet in fermentato posset confici, tamen hoc non debet fieri, duplici de causa. Prima est, quia panis azymus convenit institutioni. Christus enim dedit discipulis corpus suum confectum in tali materia. Secunda est, quia talis panis convenit significato. Christus enim sine omni fermento peccati fuit. Luc. 22

fuit. Similiter dicendum est de materia calicis: quia alia est materia necessaria, alia debita. Materia necessaria calicis est vinum, quia sanguis Christi non potest in alia materia confici, quam in vino. Materia vero debita est, quod aqua vino misceatur, & hoc duplici ratione. Prima, quia talis materia convenit institutioni. Christus enim sanguinem suum sub tali specie dedit. Secunda, quia talis materia convenit etiam significato: quia Ecclesia, quæ per aquam significatur, Christo per fidem & charitatem jungitur.

Sciendum præterea quod in aceto & agresta non conficitur, quia acetum non est vinum, sed fuit, sicut & agresta non est vinum, sed erit. In confectione autem sanguinis tam modicum aquæ debet admisceri vino, quod absorberi possit ab illo: alioquin impeditur consecratio, si vinum ab aqua vincitur. Istud designat, quia cum nos ad Christum convertimur, non ipse in nos, sed nos in ipsum mutamur: quia corporis ejus mystico incorporamur.

Si una gutta vini imponitur ex aliqua negligentia sanguini, non propter hoc desinit esse sanguis, nec propter admixtionem vinum in sanguinem mutatur, sed utraque species in sua natura permanet. Sed si de vino multum ponitur ad unam guttam sanguinis, sicut quandoque fit in ablutione, tunc ibi desinit esse sanguis: quia species illius guttæ sub qua est sanguis, absorbetur a multo vino adjuncto.

Circa Eucharistiam est quoddam sacramentum tantum, ut species panis & vini: quoddam est ibi res tantum: ut corpus Christi mysticum, quoddam est ibi res & sacramentum, ut corpus Christi verum, quod traxit de Virgine, istud enim est res primi, & sacramentum secundi.

Sub utraque specie totus Christus indivisus est, scil. corpus & anima, & Deus, ac per hoc utrobique est unum & simplicissimum sacramentum. Sub specie namque panis est corpus Christi per conversionem, & sanguis per connexionem, & anima per conjunctionem, & divinitas per unionem. Ista enim quatuor non possunt dividi, nec ab invicem separari. Eodem modo dicendum est de sanguine. Præterea Christus sic totus est in tota specie, quod est in qualibet parte ejus, sive sit integra illa species, sive divisa: ac per hoc non est ibi ut circumscriptus, vel occupans locum, vel habens situm, vel perceptibilis per aliquem sensum corporeum. Exemplum hujus habemus in speculo, quod si dividatur in multas partes, in qualibet apparet imago, quæ prius apparebat in integro. Item exemplum est de sermone, quem quis multis recitat, quia quilibet auditor recipit illum totum. Unde quamvis sermo sit unicus in proferente, totus tamen est in quolibet audiente.

Hostia frangitur in tres partes, propter multas rationes. Primo propter tres personas divinas in una essentia, sic sunt tres partes in divisione hostiæ, unus tamen Christus est. Secundo propter tres status Ecclesiæ, scilicet militantium, triumphantium, & in purgatorio ardentium. Tertio propter tres status Christi in quibus fuit, scilicet mortalis, mortuus, & immortalis. Quarto propter tres apertiones in corpore Christi tempore passionis, scilicet manuum, pedum, & lateris. Quinto proter tres substantias in Christo, scilicet divinitatis, animæ, & corporis.

Sacramentum corporis Christi præfiguratum est multipliciter, scilicet in oblatione Melchisedech, in qua *Gen. 14* figurate habemus formam exteriorem sacramenti, & primum effectum, scilicet refectionem: ibi enim præcessit figura spiritualis refectionis in pane & vino; in Eucharistia est *Exod. 16* refectio spiritualis vitæ in re. Item in manna, ubi figurabatur effectus *Exod. 12* gratiæ. Item in agno paschali; in quo figurabatur liberatio a servitute Ægyptiaca. Ita noster agnus est signum liberationis a diabolo. Item in diversis sacrificiis, de quibus habetur in Levitico, quibus figurabatur oblatio passionis Christi, ut fuit hostia quoad reconciliationem, & victima quoad satisfactionem pro peccatis nostris, & holocaustum quoad totius corporis sui læsionem. Item in obligatione Mannæ, de quo

Judic. 13 legitur in libro Judicum, per quam figurabatur in quo debet fieri oblatio, & super quid: quia in fide Jesu Christi, qui per petram designatur. Item in virga Jonathæ mellita, ubi figurabatur quis offerre debeat, quia Jonathas: per favum vero mellis designatur devotio offerentis. Figura sanguinis Christi fuit vinum ad designandum refectionem.

1 Reg. 14

Cant. 2 Introduxit me Rex in cellam vinariam. Item aqua ad designandum ablutionem. Unde illud: Vidi aquam egredientem, &c. Item sanguis ad designandum redemptionem: Sine sanguinis effusione non fit remissio.

Eze. 47

Heb. 9

Caput XIII.

De dignitate & excellentia sacramenti Eucharistiæ.

Dignitas & excellentia hujus sacramenti apparet in multis. Primo, quia sicut jam dictum est, tam ante legem, quam in lege fuit præfiguratum. Secundo, quia a Prophetis prænunciatum. Panem Angelorum manducavit homo: ponitur hic præteritum pro futuro prophetali certitudine. Tertio quia a Christo institutum; & hoc dupliciter: scilicet verbo, & facto. Verbo, ut patet in Joanne: Ego sum, inquit, panis vivus, qui, &c. Facto: Accipite & comedite: hoc est, &c. Quarto, quia ab Apostolis observatum: Convenientibus vobis in unum, &c. Quinto, quia a summis Pontificibus sollemnizatum, qui ordinaverunt cantum & orationes, locum, & tempus, & vestimenta, & vasa diversa, quæ omnia sunt ad decorem hujus sacramenti.

Psal. 77

Joan. 6

Mat. 26

1 Cor. 11

Maxima dignitas apparet in hoc sacramento, quia cum Christus constet ex tribus substantiis, scilicet deitate, anima, & corpore. Ipsa quidem deitas excellit omnia. Magnus Dominus & laudabilis, &c. Item anima ejus præcellit omnes animas, cum sit plena gratia & veritate, id est, perfectissima in affectiva & cognitiva. Item corpus ejus excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore beatissimæ Virginis A fuit sumptum, & divinitati unitum: ergo in Christo nobilissimum quod est in cœlo, & nobilissimum in terra unita sunt.

Psal. 47

Joan. 1

Caput XIV.

De mirabilibus, quæ sunt in Eucharistia.

Mirabilia multa sunt in hoc sacramento: primum est, quod est ibi corpus Christi in tanta quantitate, sicut fuit in cruce, & sicut jam est in cœlo, nec tamen excedit terminos illius formæ. Secundum quod ibi sunt accidentia sine subjecto. Tertium, quia ibi panis ita convertitur in B corpus Christi, quod non fit materia corporis Christi, nec annihilatur. Quartum quod corpus Christi non augetur ex multarum hostiarum consecratione, non minuitur ex hostiarum sumptione. Quintum, quod idem corpus in pluribus locis est sub omnibus hostiis consecratis. Sextum, quod quando dividitur hostia, non dividitur corpus, sed sub qualibet parte totus est Christus. Septimum quod quando tenetur hostia in manibus, videtur oculis, corpus Christi nec tangitur per se, nec videtur: sed hæc tantummodo circa species sunt. Octavum quia cum desinunt istæ formæ, tunc etiam desinit esse ibi corpus & sanguis Christi. Nonum, quod cum non sit ibi panis C vel vinum, tamen accidentia eumdem effectum habent, ut prius, scilicet satiare, inebriare, & hujusmodi.

Nota quod Deo convenit esse ubique simpliciter & proprie, creaturæ convenit esse in uno loco tantum. Corpus vero Christi medio modo se habet. Cum enim sit creatura non debet æquari Creatori in hoc quod sit ubique. Cum vero sit unitum deitati, debet in hoc excellere alia corpora, ut simul & semel possit esse in pluribus locis, sub isto videlicet sacramento.

In sacramento Eucharistiæ quoddam est secundum naturam, ut hoc quod ibi accidentia sunt in loco determinato. Quoddam est ibi supra naturam, sed non supra intellectum, ut quod ibi

ibi sunt accidentia sine subiecto. Quoddam est ibi supra naturam & intellectum, ut quod ibi Christus est totus, & tantus quantus fuit in cruce, nec tamen excedit terminos illius parvæ formæ.

De mirabili transubstantiatione, nota quod triplex est mutatio. Una est artificialis, ut quando fit vitrum de cineribus. Alia naturalis, & hæc duplex est, scilicet accidentalis, & substantialis. Accidentalis est quando idem subiectum manet sub diversis accidentibus sibi invicem succedentibus. Substantialis est quando eadem materia manet sub diversis formis substantialibus: sicut patet in transmutatione elementorum adinvicem. Tertia est mutatio supernaturalis: ut quando nec materia nec subiectum manet, sed tantum accidentia sine subiecto: & talis mutatio est in transubstatiatione corporis Christi.

In rerum mutatione potest notari triplex difficultas, vel ex parte termini a quo, vel ex parte termini ad quem, vel ex parte distantiæ terminorum ad invicem. Primo modo creatio est mirabilior omnibus mutationibus, quia est de non ente simpliciter. Secundo modo conversio in corpus Christi est mirabilior omnibus, quia est in ens in actu prius existens. Tertio modo incarnatio Christi est mirabilior quacumque mutatione: quia ibi est unio infinite distantium.

Guitmun. de veritate Euchariſt. lib. 1 post med.

Guitmundus distinguit quadruplicem mutationem substantialem. Prima est a non ente in ens, & hæc dicitur generatio. Secunda est ab ente in non ens, ut corruptio. Tertia est ab ente in ens, quod modo non est, sed jam erit, ut productio. Quarta est ab ente in ens jam existens, & talis est conversio panis in corpus Christi, Hæc mutatio non habet similitudinem in natura, sed est alterationi quasi contraria: quia hic mutatur una substantia in aliam, & manent eadem accidentia: sed in alteratione e converso est, quia ibi mutantur accidentia, & manet eadem substantia, sicut patet in corporalibus, quando de albo fit nigrum: & in spiritualibus, quando fit de justo impius, vel de ignorante sciens.

Nota quod hæc præpositio (de) multipliciter sumitur. Quandoque enim notat causam, ut cum Christus dicitur conceptus de Spiritu sancto. Quandoque materiam, ut cum dicitur Christus natus de Virgine. Quandoque idemtitatem substantiæ, ut cum dicitur Filius natus de Patre. Quandoque transubstantiationem, vel conversionem, ut cum dicitur corpus Christi fieri de pane. Quandoque ordinem, ut cum dicitur creatura esse de nihilo.

CAPUT XV.

De effectu in suscipientibus corpus Christi.

Digne suscipientes corpus Christi, bonum multiplex consequuntur. Primum est Christi commemoratio. Hoc facite in meam commemorationem, scilicet dilectionis, liberationis, imitationis. Item vivificatio interior, quia nonnumquam per virtutem hujus sacramenti fit de attrito contritus. Unde sicut in Genesi, lignum vitæ comestum vitam præstabat, sic per hanc gratiam purgamur, illuminamur, perficimur, reficimur, & vivificamur. Et bene redditur vita per cibum, per quem & mors intravit. Item corporis Christi mystici incorporatio. Unde dictum Augustini. Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me, non intelligitur de unione corporis mystici de novo facienda, sed de augenda: non enim unit dissimilia. Item spiritualis refectio. In loco pascuæ, &c. Deus enim non tantum instituit sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, ut baptismum: vel quod genitos roboraret, ut confirmationem, verumetiam quod roboratos nutriret, ut Eucharistiæ, propter quod hæc tria sacramenta dantur omnibus, qui ad fidem accedunt. Item devotionis augmentatio. Impinguasti in oleo, &c. Nutrimentum enim quod hic datur nobis quantum ad esse gratuitum, in tri-

Mat. 26
Gen. 2
Aug. l. 7 Confeſſ. c. 10.
Pſal. 22
Pſal. 22

tribus attenditur, scilicet in conservatione devotionis ad Deum, & dilectionis ad proximum, & delectationis intra nosmetipsos. Item fomitis mitigatio. Psalmus ibi: Super aquam refectionis, &c. quia sicut aqua refrigerat, sic & istud sacramentum fervorem concupiscentiæ mitigat. Item collatio gratiæ: Descendente manna descendebat, &c. Item virtutum roboratio: Panis cor hominis confirmet. Item peccatorum remissio, quia per istum cibum semper fit reparatio deperditi. Unde quando dicitur in oratione Dominica, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, statim sequitur. Et dimitte nobis debita nostra. Istud intelligitur de venialibus tantum: quia sicut alimentum naturale prodest viventi, & non mortuo, sic alimentum spirituale. Item contra diabolum armatio. Parasti in conspectu meo mensam adversus, &c. Item spei elevatio. Unde Apostolus: Quomodo cum illo, &c. Item amoris excitatio. Bernardus: Disce Christiane quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, aquam lateris in lavacrum. Item fidei commendatio, quia in hoc sacramento fides elevatur supra naturam, supra sensum, & supra intellectum. Apostolus: Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi. Item Angelica convivatio. Panem Angelorum manducavit homo. Item regni cœlestis collatio: Qui manducat meam carnem, & bibit, &c. Item spiritualis delectatio. Panem de cœlo præstitisti eis, &c. Item intellectus illuminatio. Gustavit Jonathas de melle, & illuminati sunt oculi ejus. De effectu Eucharistiæ, dicit Bernardus: Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conservat. Per hoc fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagatior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior.

Psal. 22; *Exod. 16*; *Num. 11*; *Psal. 103*; *Psal. 22*; *Rom. 8*; *2 Cor. 10*; *Psal. 77*; *Joan. 6*; *Sap. 16*; *1 Reg. 14*

Sicut recte communicantibus multa bona proveniunt, ut dictum est: sic indigne sumentibus corpus Christi multa mala occurrunt. Nullius enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subiugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. De his per ordinem dicitur: *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis. &c.* ecce primum. *Et in retributionem*: ecce secundum. *Et in scandalum*. ecce tertium. *Obscurentur oculi eorum ne videant*: ecce quartum. *Et dorsum eorum semper incurva*: ecce quintum. *Effunde super eos iram tuam*: ecce sextum. *Fiat habitatio eorum deserta*: ecce septimum. *In tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet*: ecce octavum. *Psal. 68*

Caput XVI.

De modo sumendi Eucharistiam.

Corpus Christi quatuor modis sumitur. Quidam accipiunt illud spiritualiter tantum, ut qui accipiunt rem sacramenti, id est gratiam, & non ipsum sacramentum corporis Christi. De hoc modo sumendi, dicit Augustinus: Crede & manducasti, idest, corpori Christi mystico incorporatus es. Quidam sacramentaliter tantum, ut communicantes in mortali peccato: quia licet Deus sit ubique per essentiam, non tamen per gratiam. Quidam spiritualiter & sacramentaliter, ut qui accipiunt rem, & sacramentum, ut communicantes in gratia. Quidam neutro modo, ut qui nec rem, nec sacramentum accipiunt, ut hæretici, qui nihil conficiunt. Primi non manducantes manducant, secundi manducantes non manducant, tertii manducantes manducant, quarti non manducantes non manducant. *Aug. tract. 25 in Jo. Par. 1 post med. to. 9*

Circa communionem committitur peccatum tribus modis. Primo cum quis statuto tempore communionem dimittit. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Secundo cum quis suo tempore communicans male acce- *Joan. 13*

1 Cor. 11 cedit. Apostolus: Qui sumit indigne, judicium sibi manducat & bibit. Tertio cum quis post communionem a peccatis se non custodit: & iste triplex malum incurrit. Primo quia Christum, quem suscepit, ignominiose a se expellit, nam turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. Secundo quia talis quodammodo similitudinem Judæ gerit, qui postquam cum Christo cœnavit, ipsum tradidit. Sic & Absalon fratrem suum ad convivium vocavit, & postea occidit. Tertio, quia ordinem honestatis pervertit. Venturo enim reverentiam exhibet, & præsenti nullam. Unde similis est illis, qui cum ramis olivarum, & clamore festivo obviaverunt Christo, & ipsum postmodum crucifixerunt.

2 Reg. 13

Matt. 21

Qualiter autem ad communionem accedendum sit, discere possumus in esu agni paschalis. Comedebant enim Judæi accinctis renibus, calceatis pedibus, baculos habentes in manibus, cum lactucis agrestibus, & panibus azymis, & festinanter. Per primum significatur puritas castitatis. Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ. Per secundum affectus devotionis. Quam pulchra es in calceamentis filia principum. Per tertium memoria Dominicæ passionis. In baculo meo transivi Jordanem istum. Per quartum amaritudo contritionis. Cibabis nos pane lacrymarum. Per quintum promptitudo bonæ voluntatis, & operationis. Vidisti hominem velocem in operibus suis, coram regibus stabit.

Exo. 12; Luc. 12; Cant. 7; Gen. 32; Psal. 79; Prov. 22

Item quales debeant esse communicantes, ostenditur in vestibus sacerdotalibus. Requiruntur enim ista, judicium discretionis, munditia castitatis, mortificatio carnis, constantia fortitudinis, perseverantia longanimitatis, perfectio charitatis. Primum notatur in superhumerali, secundum in alba, tertium in cinctura, quartum in fanone, sive manipulo, qui portatur in brachio sicut clypeus, quintum in stola, sextum in casula.

Corpus Christi sumitur velatum accidentibus multiplici ratione. Primo propter meritum quantum ad bo- A nos, quia secundum Gregorium, fides non habet meritum, cui humana ratio præstat experimentum. Secundo propter indignitatem, quoad malos. Exemplum de Bethsamitis, qui percussi sunt, quia arcam Domini viderunt. Tertio propter imbecillitatem quantum ad omnes. Non enim possemus videre claritatem corporis Christi glorificati. Exemplum de Moyse, in cujus faciem non poterant intendere filii Israel quando resplenduit. Quarto propter vitandum horrorem crudelitatis, qui fieret si Christi carnem dentibus attrectaremus.

Greg. ho. 26 in Evang. statim a prin.; 1 Reg. 6; Exo. 34

Tres sunt causæ quare laicis non datur istud sacramentum sub dupli- B ci specie. Prima est, quia possent credere, quod totus Christus non esset sub utraque specie. Secunda, propter periculum, quia de facili posset effundi sanguis. Tertia, ut veritas respondeat umbræ, quia in lege non bibebant etiam offerentes de libamine.

Caput XVII.

De abstinentia a communione.

Abstinent quidam a communione propter culpam propriam, & aliqui sine culpa mortali, sed propter sacramenti reverentiam, sicut qui sentiunt se minus mundos car- C ne, vel mente, vel etiam indevotos: & isti bene faciunt, dummodo possint juste & sine aliorum scandalo supersedere. Ubi enim non instat necessitas, consulendum est talibus, ut de communione expectent quousque parati, & devoti ac circumspecti possint accedere. Nulla tamen necessitas debet compellere, ut aliquis in peccato mortali existens scienter communicet.

Peccatum facit indignum communione tribus modis, aut in habitu, ut quando quis accedit non contritus de peccato præterito & inconfessus. Aut in actu, ut quando quis immutat formam sacramenti, & irreverenter ipsum tractat. Aut in proposito, ut quando habet voluntatem peccandi in futuro.

Poteſt etiam propter reverentiam A ſacramenti excluſio fieri a communione tripliciter: Primo propter reverentiam ſacramenti exterioris, ſic excludit pollutio, & immunditia corporalis. Secundo propter reverentiam rei contentæ ſub formis, ſic excludit defectus judicii, & rationis, ut in pueris, & amentibus. Tertio propter reverentiam rei ſignificatæ, id eſt, unitatis corporis myſtici, ſic excludit vinculum interdicti vel ſuſpenſionis, vel excommunicationis etiam injuſtæ. Sic igitur propter ſolam reverentiam ſine omni culpa excluduntur multi a communione. Hoc primo patet in pueris, qui tamen ſi ſunt prope ætatem adultam, ſcilicet decimum vel B duodecimum annum, & apparent in eis ſigna reverentiæ, & diſcretionis, poſſunt ſumere, alias non. Idem patet in furioſis, qui excluduntur ſine culpa, qui tamen communicare poſſunt, quando habent lucida intervalla. Item cum quis habet lutoſas manus, licet hoc ſit ſine culpa, tamen pro ſola reverentia non debet tangere corpus Chriſti.

Exo. 12 Tria genera hominum in lege excludebantur ab eſu agni, ſcilicet incircumciſi, qui ſignificant accedentes irreverenter ad communionem. Legitur in libro Regum, quod percuſſus eſt Oza, qui tetigit arcam

2 Reg. 6 Domini. Item alienigenæ, hi ſignificant infideles, de quibus in Gene- C

Gen. 37 ſi: Fera peſſima devoravit filium meum. Item immundi qui ſignificant habentes peccatum mortale. De

Iſa. 52 his Propheta: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. De his tribus nota quod indigne ſumit, qui non ſumit reverenter, vel non Catholice, vel habet mortale ſcienter.

Qui non communicat ſuo tempore, multa mala incurrit. Primo, quia talis multiplici utilitate privatur, de qua ſupra dicitur in capitulo. De effectu Euchariſtiæ. Si

Joſue. 6 enim Raab ſalvata eſt, quia ſuſcepit nuntios Domini, multo magis, qui ipſum ſuſcipit. Secundo, quia conſtitutionem Eccleſiæ tranſgreditur: ſtatuit enim Eccleſia quod qui non communicat in Paſcha, vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat Eccleſiaſtica ſepultura. Tertio, quia maledictionem incurrit. Væ ſoli, &c. Bene ſolus Eccl. 4 eſt, qui Chriſtum non habet. Quarto, quia vices Deo non rependit. Auguſtinus: Verecundum eſt illi hoſpitium denegare, qui ſolet omnem pulſantem admittere. Quinto, quia vires ſpirituales perdit. Quilibet enim qui eſt ſine mortali, eſt membrum corporis myſtici. Membrum autem debet ſuſtentari alimento corporis Chriſti veri. Alioquin efficitur aridum, ſicut corporeum membrum ad quod non tranſmittitur corporalis cibi nutrimentum.

Caput XVIII.

De officio Miſſæ.

PRærogativas plurimas habet Miſſa. Primo quia celebratur a jejunis. Secundo, quia tantum in Eccleſia, & ſuper altare, niſi quandoque propter neceſſitatem fiat ſub tentorio, vel in alio loco honeſto. Tertio, quia oportet celebrantem eſſe ſacerdotem. Quarto, quia oportet eum indutum eſſe ſacris veſtibus. Quinto, quia tantummodo fit in die, & non in nocte, niſi in nativitate Domini. Sexto, quia celebratur accenſo lumine, etiam ſi mille Soles lucerent ſuper terram. Septimo, quia ibi ſonant verba divina, Angelica, & humana. Divina quidem, cum dicitur vel cantatur, Pater noſter, & leguntur verba Domini in Evangelio. Angelica vero, quando dicitur: Gloria in excelſis Deo, &c. Humana autem, ut in collectis & hujuſmodi. Octavo, quia ibi audiuntur tria idiomata nobiliſſima, ſcilicet, Hebraicum, ut Sabaoth, & Oſanna: Græcum, ut Kyrie eleiſon: Latinum, ut in aliis, quæ ſunt ibi. Nono, quia Miſſa ſuo modo tam plena eſt myſteriis, ſicut mare guttis, ſicut ſol atomis, ſicut firmamentum ſtellis, ſicut cœlum empyreum Angelis. Decimo, quia ſacerdotes in ſolemnibus eccleſiis habent in Miſſa ſua plures miniſtros, diaconum, ſubdiaconum, & acolytos. Undecimo,

quia

quia Angelis ibi existentibus sufficit in præsentia tantæ majestatis esse scholares. Duodecimo, quia ibi est Dominus cœli & terræ.

Officium Missæ moraliter exponitur ita. *Introitus* significat inchoationem boni operis: & duplicatur, quia in nostra inceptione debemus declinare a malo, & facere bonum: *Kyrie eleison*, quod novem vicibus variatur, significat invocationem misericordiæ Dei, qua novem modis indigemus: primis tribus modis ad peccatorum remissionem, quæ committimus corde, ore, & opere. Quantum ad contritionem, confessionem, & satisfactionem. Secundis tribus modis quantum ad gratiæ collationem, scilicet fidei, spei, & charitatis. Tertiis tribus modis quantum ad glorificationem, qua gaudebimus in Deo supra nos, intra nos de nobis ipsis, & juxta nos de proximo. *Gloria in excelsis Deo*, significat gratiarum actionem. *Collectæ*, denotant orationem. *Epistola & Evangelium*, novæ & veteris legis observationem, *Graduale & alleluja*, vitæ activæ, & contemplativæ perfectionem. *Offertorium* contribulati spiritus sacrificium. *Secreta*, significant statum vitæ. *Præfatio* statum patriæ. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, elevationem Angelorum præsentium. *Canon*, transitum membrorum in corpus Christi mysticum. *Pater noster*, filiationem significat per gratiam. *Agnus Dei*, liberationem per misericordiam, & triplicatur, ut liberemur a malis præteritis, præsentibus, & futuris. *Communio seu complenda* significat boni operis consummationem.

Circa quædam alia quæ sunt in Missa nota significationem allegoricam. Intelligimus enim per *altare* crucem: per *calicem*, sepulchrum: per *patenam*, lapidem superpositum: per *corporale* sindonem, in qua corpus Domini fuit involutum.

Nota etiam quod omnes Missæ sunt æque bonæ quantum ad opus operatum, una tamen est melior altera quantum ad opus operans. Unde melius est audire Missam boni sacerdotis quam mali, sicut in mensa corporali eumdem cibum jucundius accipimus a mundo ministro, quam ab immundo.

Nota quod periculosum est si celebrans Missam, cæcutiens vel manus tremulas habens, vel morbum habet, aut delirus, aut idiota est. Unde talibus est injungendum quod abstineant a Missa. Præterea quando aliquis bis est celebraturus Missam, non debet sumere ablutionem in Missa priori, quia ad Missam secundam accederet non jejunus.

CAPUT XIX.

De negligentiis quæ fiunt in Missa.

SI per negligentiam evenerit quod perlecto canone, nec vinum, nec aqua reperiatur in calice, statim infundi debet utrumque: & sacerdos iterabit canonem sive consecrationem ab illo loco: *Simili modo*, & perficiet usque ad finem, ita tamen, ut nec dimittat duas cruces, quæ fieri singulariter super hostiam consueverunt. Vel melius potest dici quod aliam hostiam sumat, & canonem a principio incipiat. Quod si de simplici vino vel aqua fiat consecratio, vinum reputabitur pro consecrato, sed aqua non.

Si quid de sanguine ceciderit super corporale, vel pallam altaris, vel super albam, vel casulam, pars illa rescindatur, & in loco reliquiarum reservetur, prius tamen extrahatur sacramentum quantum poterit, & sumatur, deinde abluatur & sumatur ablutio.

Si vero super terram, lapidem, vel lignum ceciderit, lingendus, radendus, & extergendus est locus ille, & pulvis in sacro loco reponendus.

Porro si in ipsum sanguinem musca, vel aranea ceciderit, vel aliquid aliud tale, quod vix sine vomitu, aut mortis periculo sumi potest, perfundatur, & lavetur, quam cautius potest in calice, & ablutionem sumat sacerdos: sed musca sive aranea super piscinam cremetur.

Quod si corpus sive de corpore Christi super pallam altaris ceciderit, vel super aliud vestimentum, non in-

incidatur sed vino abluatur, & a ministro sumatur.

Si infirmus corpus Domini reiiciat, suscipiatur prout diligentius potest.

Caput XX.

De sacramento pœnitentiæ.

Amb. in ser. fer. 2 post Dom. Quadrag. *Greg. hom. 34 in Ev. post. med.*

Poenitentia est, ut ait Ambrosius, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Item Gregorius: Pœnitentia est anteacta mala & peccata flere, & iterum flenda non committere. Circa prædictas diffinitiones nota quod quædam diffinitiones dantur per essentiam, ut homo est animal rationale mortale. Quædam per causam, ut dies est Sol lucens. Diffinitio autem pœnitentiæ data est per causam, & non per essentiam. Verumtamen pœnitentia diffinitur per duplicem actum, unum qui est respectu præteriti, scilicet mala præterita plangere: alterum respectu futuri, scilicet plangenda iterum non committere. Primus actus est in re: secundus in proposito.

Pœnitentia duplex est, quædam interior tantum, & hæc est de jure naturali: quædam exterior, quæ fit ad arbitrium hominis. Prima non est sacramentum proprie: secunda vero est sacramentum. Non enim pœnitentia per se suscepta dicitur proprie sacramentum Ecclesiæ, cum talis etiam ante baptismum possit fieri, sed pœnitentia injuncta per ministros Ecclesiæ sacramentum est. Notandum quoque est, quod lugere pro propriis peccatis est actus pœnitentiæ, quæ est virtus justitiæ: sed lugere pro malis alienis, est alterius virtutis, scilicet misericordiæ: lugere vero pro bonis æternis, est actus tertiæ beatitudinis: de qua dicitur: Beati qui lugent, &c.

Mat. 5

De duratione pœnitentiæ sciendum est quod exteriorem non oportet esse perpetuam, sed de interiori distinguitur. Est enim pœnitentia interior secundum habitum: & hæc debet esse perpetua. Alia est secundum actum, & hanc non oportet esse perpetuam. Semper enim tenetur, quis A ad interiorem pœnitentiam habitualem, qua vellet non peccasse, & vult de cetero non peccare. Sed ad exteriorem pœnitentiam non semper tenetur.

Præterea alius est dolor rationalis, qui est peccati detestatio: alius sensualis, qui est passio: & primus dolor semper debet esse in pœnitentia: secundus non est de necessitate. Item quamvis homo non sit certus de peccati remissione, tamen non oportet propter hoc pœnitentiam exteriorem esse perpetuam, quia non exigitur in talibus certitudo scientiæ, sed sufficit certitudo conjecturæ probabilis, ut est quando homo fecit probabiliter quod erat ex parte sui dolendo, confitendo, satisfaciendo, emendando. B

Cum in omni sacramento novæ legis sit aliqua materia visibilis elementi, quæ est signum & causa gratiæ, oportet etiam in sacramento pœnitentiæ ita esse, sed tunc materia sensibilis large sumitur pro omni re, sive res illa sit exterior substantia, sive actio humana, unde secundum hoc in pœnitentia, prout est sacramentum, sunt res & verba: verba quippe in confessione & absolutione sunt, res autem est ipsa actio humana. Ad intelligendum ista plenius nota, quod sicut in medicinis corporalibus quædam consistunt in sola passione curati, ut est C sectio vulneris: quædam vero in actione ejusdem, ut est exercitatio corporis: ita in sacramentis quædam consistunt in passione ejus qui sanctificatur, & non in actione, nisi per accidens, ut baptismus, confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo. Quædam vero consistunt essentialiter in actu ejus qui sanctificatur, ut alia duo sacramenta, scilicet pœnitentia & matrimonium. In primis ergo quæ sine actu nostro operantur, requiritur exterior materia, quæ significat & causam & rem sacramenti. In aliis vero ipse actus noster est pro materia sensibili. Ex prædictis patere potest quod in hoc quoddam est sacramentum tantum, ut est actus pœnitentis exterior: quoddam est res tantum, ut remissio pec-

pec-

peccatorum: quoddam res est sacramentum, ut contritio interior.

Caput XXI.

Ee qualitate pœnitentiæ.

EST enim pœnitentia quædam vera. Augustin. Pœnitentia vera est, pœnitenda non committere, & commissa deflere. Quædam est falsa. Isidorus: Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. Quædam est coacta: Conversus sum in ærumna mea, &c. Quædam est sera. Augustin. Si tunc pœnites quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Quædam iniqua: Judas pœnitentia ductus, &c. Quædam desperata: Præ angustia spiritus gementes, dicentes intra se, pœnitentiam agentes. Quædam sancta & meritoria. Bernardus: O fœlix pœnitentium humilitas. O bona spes confitentium, quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam cito tremendum Judicem convertis in piissimum patrem.

Aug. l. de Eccl. dog. c. 54 t. 3
Isid. lib. 2 de sum. bono c. 26
Psal. 31
Aug. l. 50 hom. 41 tom. 10
Mat. 27
Sap. 5

Debet pœnitentia esse amara. Planctum unigeniti fac tibi. Voluntaria. Augustin. Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcumque faceret homo pro differenda morte moriturus. Perfecta. August. Nulla pœnitentia est sera, dummodo sit vera. Accelerata: Ne tardes converti ad Dominum. Hieronymus: Naviculæ hærenti in solo funem potius præcide, quam solve: Perseverans: Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Fortis. Hieronymus: Licet in limine jaceat pater, licet mater ubera quibus te nutrierat, ostendat, per calcatum perge patrem, &c. Item resurrectio spiritualis, quæ est pœnitentia, debet esse cum Christo semper victuro, non cum Lazaro iterum morituro. Pœnitentia debet esse prompta, & non diu dilata. Primo, ne infructuosi simus, quia diu expectamur. Unde in Isaia: Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas. Secundo, quia ad magna vocamur. Ego ero merces tua magna. Tertia, ne ab æternis nuptiis excludamur, sicut factum est fatuis virginibus, quæ differebant se præparare. Quarto, ne ab hostibus impediamur, sicut filii Israel a Pharaone, ne egrederentur de Ægypto. Quinto, quia relinquere peccatum etiam pœnis compellimur. Gregorius: Contemnendus esset hic mundus, etiamsi rebus prosperis abundaret. At cum tot adversitatibus animum pulsat, cum tot calamitates ingeminat, quid aliud, quam ut non ametur, clamat? Sexto, ne blande seducamur, sicut avis per fistulam aucupis, & sicut piscis per escam in hamo, & sicut ursus per mel. Septimo, ne morte præveniamur. Gregor. Nihil certius morte, &c. Octavo, ne consuetudine teneamur, sicut arbor de facili non evellitur, cum bene radicatur. Numquid Æthiops potest mutare pellem suam, &c.

Hier. 6
Eccl. 5
Cant. 5
Hier. ad Heliod. ep. 1
Isa. 5
Gen. 15
Matt. 25
Exod. 7 c. & c. 56
Greg. l. 3 Dial. c. 38
Hier. 13

Ad agendam pœnitentiam movent quatuor; de quibus Bernardus: Nimis durum est cor, quod non emolliunt beneficia, nec terrent supplicia, nec alliciunt promissa, nec castigant flagella.

Impedimenta pœnitentiæ sunt, pusillanimitas aggrediendi: tales sunt sicut equus umbraticus, qui trunco vel umbra terretur. Pudor confitendi, sed sicut ait August. verecundia magna pars pœnitentiæ est. Horror satisfaciendi, sed sicut dicit Apostolus: Hoc momentaneum & leve tribulationis, &c. Delectatio peccandi, sed temporale est, quod delectat, æternum, quod cruciat. Spes diu vivendi, sed Dominus ait: Securis jam ad radicem arborum posita est. Desperatio gratiam obtinendi, sed contradicit. Quacumque hora ingemuerit peccator, &c. Timor recidivandi. August. Quando cecidi, erexit me: quando steti, tenuit me: quando ivi, duxit me. Ita loquitur de Deo. Exemplum delinquendi, sed stultus est, qui vidit aliquem cadentem in foveam, si non sit in eodem loco cautior. Consuetudo peccandi, sicut Balaam consuetus monstris non curavit quod asina loqueretur. Confidentia de Dei misericordia, quod quando pœnituerit, ipsum reci-

2 Cor. 4
Mat. 3
Ezech. 18 & 33
Num. 22

recipiet, sed hoc est peccare in Spiritum sanctum. Gregorius: Misericordiam Dei debemus saltem erubescere: si justitiam ejus nolumus formidare.

Caput XXII.

De effectu pœnitentiæ.

PER pœnitentiam absolvitur homo a peccato, restituitur Ecclesiæ, reconciliatur Deo, donis spiritualibus ditatur, de filio diaboli filius Dei efficitur, paradisus Dei aperitur. Hæc est quæ Angelos lætificat, *Luc. 15* impium justificat, amissa bona revocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat.

Item pœnitentia est secunda tabula post naufragium, ad quam potest homo recurrere, quamdiu est in statu vitæ præsentis, quandocumque, & quotiescumque divinam misericordiam voluerit implorare. Duplex est enim naufragium, scilicet peccati originalis, & actualis: sed de primo liberamur per tabulam baptismi, quæ virtutem & efficaciam accepit a tabula crucis Christi. De secundo autem liberamur per tabulam pœnitentiæ, quam divina clementia providit homini: quia pro peccato actuali non potest iterum baptizari.

Nota quod a reatu peccati liberamur per gratiam: a sequelis autem peccatorum per pœnitentiam, & partes pœnitentiæ: a miseria vero per gloriam: Item nota qualiter opera mortificata vivificentur: quia licet verum sit quod a privatione ad habitum non sit regressus in vita naturali, non tamen est verum in vita morali. Nam a privatione ad habitum voluntarius est regressus, scilicet a morte culpæ ad vitam gratiæ. Unde dicimus, quod sicut peccata actualia transeunt actu, & remanent reatu: ita bona opera transeunt actu, & ramanent merito. Secundum autem quod manent, dicuntur mortificari, vel vivificari. Bona igitur opera quamdiu sunt conjuncta radici merendi, scilicet charitati, dicuntur vivere: quando autem ab illa separantur, dicuntur mortificari, & quan-

A do revertuntur, dicuntur vivificari, quia redeunt ad statum suæ originis, videlicet gratiæ & charitatis, & quia valent ad majorem radicationem charitatis.

Caput XXIII.

De partibus pœnitentiæ.

PArtes pœnitentiæ integrales sunt tres, scilicet contritio, confessio & satisfactio. Quamvis enim complementum peccari possit esse in actu solum oris, & cordis solum, vel trium simul: tamen ad perfectionem pœnitentiæ exigitur horum trium aggregatio: licet ad esse simplex sufficiat contritio in actu, & confessio, B & satisfactio in proposito. Non enim in his, quæ habent esse successivum, exigitur quod partes integrales sint simul, sed exigitur hoc in toto, quod habet esse permanens.

Quod autem tres sint partes pœnitentiæ, sic ostenditur: Pœnitentia est quoddam spontaneum judicium, in quo contritio est quasi quædam citatio, ubi sequitur rei ante judicem spontanea confessio. Deinde sequitur per judicem impositæ emendæ solutio: Sed in hoc differt judicium fori a judicio poli: quia ibi confessus a jure condemnatur, & hic absolvitur.

Alia est partium istarum sufficienC tia: quia cum omne peccatum committatur corde, ore, vel opere, justum est, ut per contrarium curetur, scilicet ut peccator culpam animo detestetur, verbo accuset, & facto puniat. Item per peccatum offendit homo Deum, Ecclesiam & seipsum, sed per contritionem reconciliatur Deo, per confessionem Ecclesiæ, & per satisfactionem sibi. Item istæ tres pœnitentiæ partes sunt tres dietæ, quibus itur ad terram promissionis, de quibus dicitur: Ibimus viam trium dierum. Item istæ *Exod. 3* tres partes significant tres mortuos *Mat. 9* mortaliter, quos Dominus suscita- *Luc. 7* vit: quoniam per contritionem su- *Joan. 11* scitatur puella in domo, per confessionem juvenis in porta, per satisfactionem Lazarus in sepulchro.

CA-

Caput XXIV.

De contritione.

Contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Hæc diffinitio magistralis est, & ponitur hic dolor pro genere: voluntarie assumptus, ponitur ad differentiam doloris naturalis, qui non est meritorius, cum non sit in genere moris, sed voluntas tantum ponitur in genere moris. Pro peccatis, ponitur ibi pro materia doloris, ad differentiam doloris invidiæ, qui est de bono, alieno. Sic ergo diffinitur contritio prout est actus virtutis, sed prout est pars sacramenti pœnitentiæ, oportet quod aliquid comparatione ad alias partes addatur, & ideo ponitur, cum proposito confitendi & satisfaciendi.

Nota quod cor dicitur durum quando divinæ inspirationi se tangenti non cedit, sed obviat, in affectu peccati demorando. Frangi vero dicitur, quando incipit a proposito peccandi resipiscere, licet nondum totaliter convertatur. Conteri autem dicitur, quando voluntas perfecte ab effectu peccandi resilit.

In contritione duplex est dolor. Unus est voluntatis qui non est aliud quam peccati displicentia. Alius est sensualis. Primus est de essentia contritionis, & de hoc dolore intelligitur illud: Luctum unigeniti fac tibi, quia homo ex ratione debet magis velle numquam peccasse. quam unigenitum vivere. Secundus vero dolor non requiritur de contritionis necessitate, sed de ejus perfectione: quia talis dolor non est in nostra potestate.

Hier. 6

Nota etiam quod contritio potest tantum intendi, quod non solum culpa, sed etiam tota pœna dimittatur: hoc autem potest fieri dupliciter. Uno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam peccati causat: quia quandoque contingit tantum charitatem intendi in actu, quod contritio inde sequens merebitur absolutionem, ab omni pœna. A Alio modo fit istud ex parte doloris sensualis, quem voluntas in contritione excitat, quia ille dolor quædam pœna est, quæ tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem culpæ & pœnæ.

Differentia autem est inter attritionem & contritionem: sicut inter informe & formatum, secundum quod dicitur de fide informi & formata. Utrum autem attritio fiat contritio, distinguendum est, quia contritio dicitur cum gratia tritio, hoc autem potest esse dupliciter. Uno modo per concomitantiam, quia gratia associatur motui existenti in anima, & illum informat, quamvis non eliciat. Alio modo per causam, B ita quod motus a gratia eliciatur. Primo modo attritio fit contritio: quia actus ille simplex manens in anima formatur adveniente gratia, sicut color adveniente luce. Secundo modo impossibile est quod attritio fiat contritio.

Sed si quæritur, quamdiu quis de peccato dolere debeat: respondeo sicut dicit Hugo de sancto Victore: Deus quando absolvit hominem a vinculo peccati, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis. Sed detestatio peccati duplex est: quædam in habitu, ad quam semper tenetur homo etiam post perfectam peccati remissionem: de qua dicit Augustin. loquens de pœnitente, quod pœnitens semper C doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat. Alia detestatio est in actu: ad hanc homo non semper tenetur. Sciendum autem quod beati, & damnati, & hi qui sunt in purgatorio, non habent contritionem proprie: cujus ratio est; quia in contritione proprie sumpta sunt tria, scilicet gratia, dolor, & effectus meriti satisfacientis, in beatis autem non est dolor, in damnatis vero non est gratia, & hi qui sunt in purgatorio non merentur.

Aug. l. de vera & fal. penit. c. 13 in fi. tom. 4

CA.

Caput XXV.

De confessione.

Confessio est, ut ait Augustinus, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. Hæc confessio sacramentalis, quæ est pars pœnitentiæ, convenienter describitur per materiam, quæ est peccatum, & per actum, qui est aperire, & per finem, qui est spes veniæ.

Duplex est confessio, quædam est mentalis, quæ fit Deo, & hæc est de jure naturali. Quædam est vocalis, quæ fit homini, & hæc non est de jure naturali. Igitur ante incarnationem Christi sufficiebat confessio mentalis: quia Deus nondum erat homo: sed postquam factus est homo, debet confessio fieri homini vicario Christi. In hoc enim quod ministris sacramentorum Christus dedit potestatem ligandi atque solvendi, insinuavit confessionem eis tamquam judicibus fieri debere. Sic ergo Christus instituit confessionem tacite, sed Apostoli promulgaverunt eam expresse. *Matt. 16*

Quamvis igitur in contritione remittatur peccatum communiter, tamen confessio vocalis est necessaria vel in re, quando habetur opportunitas, vel in proposito, quando articulus necessitatis eam excludit, & non contemptus religionis. Et ista necessitas confitendi post contritionem, non est in tali casu propter necessitatem remedii, cum peccatum jam sit dimissum, sed propter obligationem præcepti.

Confessio & satisfactio necessaria est non solum propter reconciliationem in judicio Dei, sed etiam in judicio Ecclesiæ.

Quas etiam circumstantias teneamur confiteri. Nota quod circumstantiarum quædam sunt trahentes in aliud genus peccati ut coire cum muliere conjugata, & has tenetur homo confiteri. Quædam sunt aggravantes in eadem specie, & harum quædam sunt non aggravantes notabiliter, sicut scientia & hujusmodi: has non tenetur quis confiteri,

A quia sunt quasi venialia peccata. Quædam sunt aggravantes notabiliter, & has secundum quosdam tenetur homo confiteri. Non enim sufficit illi, qui accepit centum marchas de alieno, dicere: Ego accepi alienum, cum hoc posset verificari si solum accepisset unum denarium; secundum alios communius, sed non tutius opinantes, non oportet. Circumstantiæ aggravantes peccatum notantur his versibus:

Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus,
Lucta pusilla, modus, culpa, genus, & status altus.
Conditio, numerus, ætas, & scandala, sexus.

B Quamvis peccata alicujus nota sint sacerdoti, tamen oportet ea confiteri, quia non sunt ei nota ut judici.

Quamdiu possit quis differre confessionem, duæ sunt opiniones. Quidam enim dicunt, quod peccator debet statim confiteri habita opportunitate sufficienti. Alii communius dicunt, quod cum confessio sit inter præcepta affirmativa, non obligat nisi pro loco & tempore. Ecclesia autem determinat in decretalibus, quod omnis homo confiteatur semel in anno, quia tunc quilibet de necessitate communicare tenetur. In casibus tamen quatuor tenetur quis ante hoc tempus confiteri. Unus est ratione sacramenti, quando quis vult *Ex. de Pœnitentia & remissione c. omnis utriusque sexus.*
C communicare, vel celebrare. Alius ratione periculi, ut si est in periculo mortis. Tertius est ratione conscientiæ, ut si dictat sibi conscientia, quod statim teneamur: Quartus est ratione dubii, ut si non sperat illo anno amplius habere confessorem, quem modo habet, vel si habet casum de quo potest solus Papa absolvere, & modo habet copiam pœnitentiarii domini Papæ.

Si quæratur utrum confessio facta in peccato mortali valeat, dicendum est, quod confessio est sacramentum, & in præceptum. Inquantum est in remedium, non valet in mortali facta, tamen obsolvitur homo a præcepto, sicut ficte baptismum suscipiens.

Unum confessio sit iteranda? Nota

ta quod regulariter nullus tenetur A
confeſſionem bona fide factam amplius iterare. Sunt tamen quatuor caſus in quibus tenetur quis iterare confeſſionem, quorum duo ſunt propter confeſſorem, & duo propter confitentem. Primus, ſi deficit confeſſori clavis potentiæ, eo quod non habet poteſtatem ab illo peccato abſolvere. Secundus eſt, ſi deficit ei clavis ſcientiæ, quia neſcit diſcernere. Tertius eſt ſi confitens dimidiavit confeſſionem, oportet enim quod uni fiat confeſſio integre omnium, quæ habentur in memoria. Si vero aliqua exciderant a memoria, non ideo debet reputari confeſſio dimidiata. Quartus eſt ſi contempſit, ſeu neglexit, & oblitus eſt ſatisfa- B
ctionem, nam ſi ſciret, & adimplere vellet, non oporteret confeſſionem iterare.

Si vero aliquis cadat in peccatum poſtquam bona fide fecit confeſſionem, quæſtio eſt, utrum teneatur confeſſionem prius factam iterare, & eſt opinio quod non in ſpecie, ſed in genere: licet aliter dicant quidam.

Nota quod confeſſio facta per nuntium vel per epiſtolam, licet ſit quoddam opus bonum & meritorium, tamen inquantum eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, non poteſt ſic fieri: quia determinatam habet materiam, ſcilicet actum ſermonis, quo conſcientia hominis manifeſtari conſue- C
vit. Unde ſine neceſſitate non licet aliter confiteri. In neceſſitate poteſt defectus per æquipollentem actum ſuppleri.

Caput XXVI.

De qualitate & effectu confeſſionis.

Qualis debeat eſſe confeſſio, notatur his verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis.
Vera, frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda:
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

A Ad multa valet confeſſio: A morte liberat, quia ſicut confeſſio in foro contentioſo damnat, ſic in ſpirituali liberat. Vulnera mentis ſanat. Hieronymus: Vulnus non intellectum tardius ſanatur. Deum homini manifeſtat. Auguſtin. Si nollem confiteri, non me tibi abſconderem, ſed te mihi. Padiſum aperit. Auguſtin. *Aug. l. 10 Confeſſ. c. 2 tom. 1*
O breve verbum, peccavi, quod portas aperit paradiſi. Exemplum in latrone dextro. Peccata tegit. Unde quædam Gloſſa: Si homo peccatum detegit, Deus tegit: Miſericordiam divinam emollit. Gloſſa ſuper illud Pſalmi: Delictum meum cognitum tibi feci. *Pſal. 31* Si homo agnoſcit, Deus ignoſcit. *Pſ. 41* Animum jucundat:
B In voce exultationis & confeſſionis, &c. Interceſſores multiplicat. Sacerdotes enim pro ſuis confeſſis orant. Conſcientiam mundat. Auguſt. Confitendo fit homo de fœdo pulcher. *Aug. enar. in Pſ. 95 in illa ver. confeſſio, & pulchr. &c. tom. 8* Fœdus diaboli rumpit, ſicut cum aliquis ſecretum alterius detegit. Deo hominem conjungit. Auguſtin. Quid propius auribus tuis, quam confitens cor & vita, quæ eſt ex fide? In via ſalutis dirigit. *Pſ. 31* Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, &c. Peccatum delet. Dixi confitebor adverſum me, &c. Satisfactionem ſupplet. Gloſſa ſuper Matthæo: Jubemur confiteri peccata noſtra, ut erubeſcentiam patiamur pro pœna. Malum præcavet. Exemplum de
C dente putrido, qui extrahitur ne alii computreſcant.

Caput XXVII.

Cui debeat fieri confeſſio.

Generaliter teneas, quod confeſſio debet fieri ſacerdoti habenti claves, quæ ſunt ſcientia diſcernendi, & poteſtas ligandi, atque ſolvendi. Sciendum autem quod ſicut baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, ita & pœnitentia. Unde ſicut baptiſmus duplicem habet miniſtrum, unum cui competit baptizare ex officio, ſcilicet ſacerdotem: alium cui committitur diſpenſatio baptiſmi ratione neceſſitatis: ita & miniſter pœnitentiæ duplex eſt. Unus

eſt

est cui confessio fit ex officio, sicut est sacerdos. Alius qui audiendo confessionem vicem supplere potest sacerdotis in necessitate, ut est laicus. Dicunt tamen aliqui quod cum deest copia sacerdotis, non oporte confiteri laico, sed sufficit soli Deo.

Quamvis omnes sacerdotes claves habeant, non tamen possunt omnes ligare, & solvere, sicut excommunicati, suspensi, hæretici, & damnati. Hoc autem non est propter defectum ordinis, sed quia non habent materiam debitam, scilicet subditos, qui auferuntur ab eis cum excommunicantur. Possunt tamen tales baptizare, quia hoc est sacramentum necessitatis. Possunt etiam tales Eucharistiam consecrare, quia hoc substantialiter adhæret ordini.

Dicendum etiam quod nullus potest absolvere confitentem, nisi proprius sacerdos. Proprius vero sacerdos dicitur sex modis. Primo modo ipse Pastor Ecclesiæ. Secundo, per determinationem superioris, ut vicarii. Tertio, per privilegium quibusdam indultum, ut sunt fratres Prædicatores, & Minores. Quarto, per licentiam proprii sacerdotis, dum tamen non licentietur nisi vir dicretus, & honestus, & vere sacerdos. Quinto propter necessitatem, quia instante mortis periculo quilibet sacerdos potest absolvere. Et peregrini absolvuntur ab illis, apud quos sunt. Sexto propter defectum sui sacerdotis, quando scilicet, est idiota, vel proditor confessionis, vel quando solet mulieres confitentes procari: tunc enim si non invenit aliquem qui auctoritatem habeat, efficitur ei sacerdos proprius, non quilibet, sed discretus, & honestus, & notus, vel ex ordine, vel ex persona.

Caput XXVIII.

De sigillo confessionis.

Ea quæ geruntur exterius in sacramentis sunt signa rerum, quæ interius contingunt: & ideo confessio, qua quis sacerdoti se subiicit, signum est interioris, qua quis Deo subiicitur. Deus autem peccatum illius qui se sibi per pœnitentiam subiicit, tegit. Unde oportet de necessitate Sacramenti, quod sacerdos celet confessionem. Sunt & aliæ hujus celationis utilitates: quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, & simplicius peccata confitentur. Sacerdos autem non solum debet celare peccatum quod in confessione recipit, sed etiam omnia alia signa per quæ posset peccator, aut peccatum comprehendi. Potest autem pœnitens facere, ut illud quod sacerdos per confessionem sibi factam sciebat ut Deus, sciat ut homo. Et hoc facit, dum licentiat eum ad dicendum: & ideo si dicit, non frangit sigillum confessionis. Si autem quæratur, utrum id quod scit sacerdos per confessionem, & scit alio modo, possit revelare: super hoc diversæ sunt opiniones; sed hæc est verior; quia sive sacerdos sciat illud peccatum ante confessionem sibi factam, sive post, non tenetur celare, quantum ad id quod scit, ut homo. Nota quod iste est modus dicendi, dico tibi in confessione: & non clauditur tale dictum sigillo confessionis, quia non servatur ibi modus confessionis vel ordo.

Caput XXIX.

De satisfactione.

Sicut in bellis & controversiis restituta amicitia non statim restituitur debitum illati damni: ita post remissionem culpæ in contritione, seu confessione, remanet debitum pœnæ satisfactoriæ. Injungit autem sacerdos quædam ad satisfactionis fundamentum, sicut abstinere a peccato, & restituere ablatum. Quædam ad satisfactionis expeditionem, ut est vitare consortia malorum. Quædam injungit ad substantiam satisfactionis, ut jejunare, vigilare, dare eleemosynam, peregrinari, & hujusmodi opera pœnalia. Quædam injungit ad perfectionem & securitatem satisfactionis, ut sunt opera supererogationis.

Sa-

Psal. 6 Satisfactio debet respondere culpæ in tribus, scilicet in numero. Lavabo per singulas noctes, &c. In pondere. Augustin. Libenter debet facere immortalis futurus, quæcumque faceret pro differenda morte moriturus. In mensura. Gregorius: Tanto tempore debet esse amaritudo in pœnitentia, quanto fuit in culpa. Ista tria requiruntur in pœnitentia secundum convenientiam, non secundum necessitatem.

Caput XXX.

De singulis partibus satisfactionis in communi.

Satisfactionis quædam sunt partes principales, scilicet oratio, jejunium, & eleemosyna: quædam vero secundariæ, quæ ad has reducuntur, ut vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ. Dicendum ergo quod omnia opera carnem affligentia reducuntur ad jejunium, omnia opera vero spiritualia ad orationem, omnia autem opera misericordiæ ad eleemosynam.

Sufficientia partium principalium potest accipi respectu termini a quo est motus satisfactionis, quia per jejunium revocamur a concupiscentia carnis, per orationem a superbia vitæ, per eleemosynam a concupiscentia oculorum: Alio modo sumitur ista sufficientia ex parte termini ad quem fit satisfactio, quia per jejunium ordinatur homo in seipso, per eleemosynam ad proximum, per orationem ad Deum. Tertio modo sumitur hæc sufficientia ex parte materiæ, de qua fit. Per eleemosynam enim fit satisfactio de bonis exterioris substantiæ, per iejunium de bonis corporis, per orationem de bonis mentis. Quarto modo sumitur hæc sufficientia ex parte modorum satisfaciendi. Fit enim satisfactio tribus modis, vel per punitionem, vel per redemptionem, vel per supplicationem. Primum facimus jejunando, secundum eleemosynas dando, tertium orando. Quinto sumitur hæc sufficientia ex parte effectus. Per satisfactionem enim tria magna bona nobis proveniunt, scilicet, impetra-

A tio gratiæ, remissio pœnæ, expurgatio reliquiarum culpæ. Ad primum videtur valere eleemosyna propter multiplicationem intercessorum, ad secundum jejunium, ad tertium oratio.

Caput XXXI.

De singulis partibus satisfactionis.

Eleemosyna dupliciter potest accipi, aut intentione sublevandi necessitatem proximi, & sic est opus misericordiæ, aut intentione recompensandi pro debito offensæ divinæ, & sic est opus justitiæ. Unde primo modo proprie pertinet ad meri-

B tum vitæ. Secundo modo ad meritum dimissionis pœnæ: quia eleemosyna sic data proprie est satisfactoria.

De jejunio quoque sciendum est, quod in carne duo sunt, unum natura, quæ debet sustentari, & aliud vitium, quod debet domari. Jejunium ergo quod naturam servat, & vitium domat, bonum est, & satisfactorium, aliud vero non.

Oratio dupliciter habet fieri, aut pro impetratione bonorum, & sic est pars, vel opus contemplationis: aut pro amotione malorum, & sic est proprie pars satisfactionis.

Caput XXXII.

C

De justificatione impii.

Justificatio impii est motus ab injustitia ad justitiam. In justificatione impii quatuor requiruntur, scilicet motus liberi arbitrii, contritio, infusio gratiæ, & remissio culpæ. Horum prima duo sunt ex parte suscipientis, alia vero ex parte agentis. Prædicta autem quatuor sunt simul tempore, non natura. Prioritas autem & posterioritas, quæ secundum ordinem naturæ est, reducitur aliquo modo ad ordinem causæ & causati. Inter ista vero videtur hic ordo causalitatis esse. Causaliter enim motus liberi arbitrii prior aliis tribus est, quia requiritur consensus voluntatis in hujusmodi mu-

mutatione. Voluntas autem & liberum arbitrium ſumuntur hic pro eodem. Præterea motus iſte appellatur motus liberi arbitrii. Iſte quoque motus qui per liberum arbitrium conſentit Deo, ut primo motori, vocatur motus fidei: quia habet aliquid cognitionis, & aliquid affectionis ſicut fides. Dicamus ergo quod motus liberi arbitrii, ſive motus fidei in Deum, cauſaliter eſt prior, quam motus quo de peccato quis convertitur: quia ſicut in generatione peccati prior eſt converſio, quam averſio, cum converſio cauſet averſionem: ita in ejus deſtructione prior eſt converſio ad Deum per liberum arbitrium, quam averſio a creatura per contritionem de peccato. Quod enim primum eſt in compoſitione, ultimum eſt in reſolutione. Iſti vero duo motus liberi arbitrii, & contritionis ſunt priores, quam gratia infundatur, quia ſunt cauſa præparatoria ut gratia detur. Quamvis enim Deus ſine ulla præparatione poſſit impium juſtificare, tamen requiritur præparatio ex parte noſtra: quoniam ſicut requiritur præparatio ex parte materiæ in naturali mutatione ad recipiendam formam: ita in mutatione voluntaria, & hoc non eſt ex impotentia agentis, ſed ſuſcipientis. Alia ratio eſt, quia in juſtificatione peccatoris fit introductio unius formæ & expulſio contrariæ: ideo requiruntur prædicta duo, ſcilicet motus liberi arbitrii diſponens ad gratiæ ſuſceptionem, & contritio, ideſt receſſus a peccato diſponens ad culpæ expulſionem. Gratia vero prius infunditur, quam culpa remittatur, quia per gratiam culpa remittitur, ſicut in introductione formæ prior naturaliter eſt forma, quæ expellit a parte agentis, quam illa, quæ expellenda eſt, removeri poſſit.

Qualiter autem juſtificatio fiat in inſtanti, vel ſucceſſive, nota diſtinctionem. Poteſt enim juſtificatio dupliciter accipi, ſicut & generatio. Uno modo, ut dicat motum ad juſtitiam cum termino ejuſdem, & ſic fit ſucceſſive, ut quando ſuccedit ſucceſſiva præparatio. Alio modo

A poteſt accipi, ut dicat ſolummodo mutationem ſine motu: & hoc modo fit juſtificatio in inſtanti, & hoc triplici ratione. Prima quia fit virtute infinita & ſimplici, quæ immediate operatur. Secunda eſt, quia fit in ſubjecto, ſimplici, ſcilicet in mente. Tertia eſt, quia ipſa forma tam quæ expellitur, ſcilicet culpa, quam quæ introducitur, ſcilicet gratia, omnino ſimplex eſt. Ad illud quod dicit Auguſt. quod majus eſt juſtificare impium, quam creare cœlum & terram: dicendum eſt quod majus eſt, quantum ad id quod fit, quia melius eſt, ſed non quoad modum faciendi. Quamvis enim in juſtificatione impii ſit reſiſtentia formalis, ſcilicet contrarii ad contrarium, non tamen eſt ibi reſiſtentia, qua aliquid reſiſtat agenti, ſcilicet Deo, cujus virtuti nihil reſiſtere poteſt. In juſtificatione enim impii aliquid eſt ex parte Dei, & aliquid ex parte peccatoris, & aliquid ex parte Eccleſiæ. Ex parte Dei ſunt duo, ſcilicet miſericordia, quæ reatum indulget: & juſtitia, quæ emendam aliquantulam exigit, vel hic, vel in futuro, ſcilicet in purgatorio, hæc ſignificatur per binos diſcipulos, quos miſit Dominus in omnem locum, quo erat ipſe venturus; tunc quidem corporaliter, nunc autem per gratiam & ſpiritualiter. Ex parte peccatoris ſunt etiam duo, ſcilicet amor, & dolor: & hi ſunt duæ molæ quibus peccatum conteritur, quæ ſecundum legem non debent diabolo in pignore obligari. Ex parte Eccleſiæ ſimiliter ſunt duo, primum eſt meritum, præcipue Chriſti, quod eſt inexhauſibile, & aliorum ſanctorum, qui fecerunt opera multa ſupererogationis, quæ omnia ſub poteſtate clavium ſunt poſita, ut quod minus eſt in uno membro Eccleſiæ, compenſetur in alio. Unde ſi aliquis non eſt membrum Eccleſiæ, non influit in ipſum meritum prædictum. Secundum eſt indulgentia, quam dat Eccleſia per Papam & Epiſcopos: tamen ut ipſa indulgentia tantum valeat, quantum promittitur, exigitur auctoritas & cauſa, ſcilicet communis utilitas ex

Aug. tract. 72 in Jo. pot med. tom. 9

B

C

par-

parte dantis, exigitur etiam fides formata, & obedientia ex parte recipientis, hoc est, ut solvat id propter quod datur.

Caput XXXIII.

De pœnitentia venialium.

POenitentia est remedium institutum ad expiandum peccatum, cui debetur pœna sensibilis, quæ cum debeatur peccato non solum mortali, sed etiam veniali, patet quod pœnitentia est remedium contra utrumque, quia non est simpliciter de venialibus, sed de mortalibus, quia pœnitentia introducta est ad reconciliandum amicitiam, quam mortale peccatum tollit. Licet igitur pœnitentia non sit de venialibus simpliciter, tamen est per accidens, & hoc est tribus modis. Primo ratione dubii, ut quando creduntur esse mortalia. Secundo ratione statuti, ut quando homo, qui tenetur confiteri semel in anno, non habet nisi venialia. Tertio ratione periculi, ut quando venialis delectatio ad hoc producta est, quod nisi homo se avertat ab ea, trahit in mortale.

De remissione autem venialis peccati sciendum quod in duobus casibus non remittitur. Primus est, si talis habeat peccatum mortale: quoniam sine mortali numquam dimittitur veniale: licet e converso possit fieri, scilicet quod mortale dimittatur sine veniali. Cum enim peccatum mortale tollat charitatem, quæ universa delicta operit: constat quod existenti in peccato mortali nullum veniale remittitur. Secundus est, quando voluntas fixa manet in affectu alicujus peccati venialis determinati, quoniam illud idem tolli non potest, & hoc multiplici ratione. Prima est, quoniam omne peccatum remissione indiget quoad duo, scilicet, quoad culpam, & quoad pœnam: sed non potest esse remissio secunda sine prima, quia quamdiu homo culpam habet, debitor est pœnæ. Culpa autem consistit in deordinatione voluntatis. Unde voluntas sic manens pertinax reordinari non A potest. Alioquin duo opposita simul essent in eodem. Alia ratio est, quia manente causa non potest tolli effectus, sed voluntas inordinata ad aliquid, est causa venialis peccati, unde manente voluntate fixa in illo, non remittitur ipsum peccatum veniale.

Sciendum etiam quod unum peccatum veniale bene potest dimitti sine alio, quia peccatum mortale quod majoris est adhærentiæ, potest etiam remitti sine veniali. Alia ratio est, quia peccatum mortale ita Deo displicet, quod facit ipsum peccantem Deo displicere. Sed veniale licet Deo displiceat, cum inordinatum sit, tamen non facit peccatorem B Deo displicere: quia per illud non privatur gratia, sed obnubilatur, inquantum ejus processus ad exteriora impeditur, & propter hoc unum veniale non impedit, quin aliud remitti possit. Tertia ratio est, quia venialia non habent connexionem ad invicem, nec ex parte aversionis: quia non avertunt a summo bono: nec ex parte conversionis: & ideo unum dimitti potest sine alio. Non est autem sic de mortalibus, ubi non dimittitur unum sine alio, quia connexionem habent adinvicem ex parte aversionis. Quodlibet enim mortale avertit a Deo, licet non habeant connexionem ex parte conversionis.

C Ex prædictis colligitur quod aliter se habent mortalia ad invicem, & aliter venialia ad invicem, & aliter mortalia ad venialia. Mortalia enim sic se habent, quod unum non dimittitur sine altero: venialia vero sic se habent ad invicem, quod unum potest remitti sine altero. Mortalia autem sic se habent ad venialia, quod mortale remittitur sine veniali, sed non veniale sine mortali. Cujus duplex est ratio. Prima est; quia mortale & veniale se habent sicut habitus, & dispositio, sed ablato habitu potest manere dispositio, & non e converso. Secunda ratio est, quia mortale opponitur charitati: veniale autem fervori ejus: sed sublata charitate tollitur fervor, & non e converso.

Caput XXXIV.

Propter quid dimittatur peccatum veniale.

AD peccati venialis remissionem non exigitur novus charitatis habitus, sed sufficit novus motus: quia peccatum veniale non tollebat virtutis habitum; sed impediebat ipsius actum.

Notandum autem quod peccatum veniale non dimittitur contritione, cujus hæc est ratio: quia quamdiu voluntas in aliquo veniali fixa manet, numquam dimittitur; sed voluntatem ab eo avertere quod quis prius volebat, est displicere ei quod voluit, talis autem displicentia dolor contritionis dicitur.

Sed sciendum quod contritio potest accipi tripliciter, scilicet vel in actu, vel in habitu, vel medio modo. Contritio in habitu non sufficit ad peccati venialis remissionem: quia tunc quicumque haberet pœnitentiæ virtutis habitum non posset habere veniale peccatum: & sic veniale peccatum non posset esse cum gratia. Contritio quoque in actu non semper requiritur, quia sequeretur quod peccatum quod quis in memoria non habet, remitti non posset: propter hoc requiritur contritio medio modo, scilicet ut peccatum displiceat actualiter vel explicite, vel implicite. Dico autem implicite, quia talis actus sufficit, quia displiceret explicite peccatum veniale, si cogitatio ferretur ad illud.

Notandum etiam quod tam fervens potest esse motus charitatis in Deum, quod omnia peccata venialia consumat, etiam sine actuali cogitatione ipsorum: quia quando quis ferventer in Deum fertur, displicet ei quidquid a Deo retardat: & ita licet explicite de peccato veniali non cogitet, tamen in illo motu continetur implicite displicentia peccati venialis, vel unius, vel omnium.

Sciendum etiam quod in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali exigitur: sed sufficit quod displiceat ei A peccatum præteritum, & infirmitas qua ad peccatum veniale inclinatur: quamvis ab eo omnino immunis esse non possit: ita tamen quod voluntas non maneat fixa in uno veniali, quia illud sic retentum non dimitteretur in contritione generali, nec speciali, & hæc est ratio: quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, ut vitentur, non solum singula, sed etiam omnia: venialia vero etsi singula vitari possunt, non tamen omnia: quod ex infirmitate naturæ contingit.

Multa sunt per quæ tolluntur peccata venialia, quæ per tria comprehenduntur. Primo sunt omnia illa quæ gratiam conferuut, ut omnia sacramenta Ecclesiæ. B Secundo, illa quibus impedimenta fervoris & gratiæ tolluntur, sicut est aqua benedicta, quæ virtutem inimici reprimit, & Episcopalis benedictio. Tertio est exercitium humilitatis ex parte nostra, sicut est tunsio pectoris, oratio Dominicalis, eleemosyna, jejunium, & hujusmodi. Ratio autem horum est, quia cum venialia dimittantur per fervorem charitatis, quæ implicite vel explicite continet omnia illa, quæ nata sunt de se fervorem charitatis excitare, dicuntur venialia peccata dimittere: talia vero sunt omnia, quæ prædicta sunt. Unde cum secundum quantitatem fervoris sit quantitas remissionis, C patet quod prout per enumerata major, vel minor excitatur fervor, qui implicite, vel explicite contritionem continet, plura vel pauciora venialia dimittuntur, non tamen semper omnia.

Caput XXXV.

De extrema unctione.

MEdiator Dei & hominum non solum vocatur Jesus inquantum habet salvare, sed etiam Christus, inquantum habet unctionis gratiam in alios diffundere. Tribus vicibus inunctus fuit David. Primo in domo patris sui in signum regni futuri, hæc significat unctionem in baptismo. Secundo in Hebron su- 1 Reg. 16. 2 Reg. 2.

super Judam, & postea multa bella A habuit: hæc significat unctionem in
2 Reg. 5 confirmatione. Tertio, iterum in Hebron super omnem Israel, post hanc autem in pace regnavit: hæc significat unctionem in extremis.

De substantia hujus sacramenti sunt quinque: Primum est, quod hanc unctionem faciens sit sacerdos. Secundum est, intentio debita. Tertium est, materia debita, scilicet oleum infirmorum. Quartum est, forma verborum, hæc, scilicet. Per istam unctionem, &c. quam formam dicere debet jungens. Quintum est, locus inungendus, quia fit ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad lumbos, & ad manus, &c.

In hoc sacramento forma verborum est deprecativa: quia istud sacramentum debet valere per orationem Ecclesiæ, & per modum suffragii. Datur enim ad effectum, quem homo per propria opera posset consequi, nisi infirmitas impediret. Unde nota quod in aliquo sacramento verborum forma non est in sola oratione, nisi in isto. Dicit enim
Jac. 5 Jacobus: Si quis infirmatur, inducat presbyteros, & orent super eum. In quibusdam vero sacramentis consistit in sola enuntiatione verborum virtus, sicut in baptismo. Dixit
Mat. ult. enim Dominus: Baptizantes eos, non faciens mentionem de oratione. In aliquo autem sacramento secundum quosdam consistit forma in oratione, & enuntiatione: ut in sacramento pœnitentiæ. Consueverunt enim confessores primo orare, dicentes: Absolutionem, remissionem, &c. & postea dicere. Absolvo te. Cum enim in peccato offendatur Deus & Ecclesia, contra primum merito fit oratio, & contra secundum absolutio. Istud autem sacramentum non datur nisi adultis qui peccata venialia videntur habere, contra quæ institutum est: nec datur aliis quam infirmis in periculo mortis constitutis. Sanis autem non datur hoc sacramentum: quia habent aliud remedium paratum, scilicet pœnitentiam: nec datur nisi postulantibus, qui devotione sursum eriguntur. Et si sæpe infirmatur quis ad mortem, sæpe potest inungi; sed in una infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas ultra annum protrahatur, ita quod in uno anno propter eamdem infirmitatem nemo bis inungatur.

Effectus hujus sacramenti multiplex est, unus est sanitas, quæ est duplex: una est principalis, scil. liberatio ab infirmitate spirituali, quæ contrahitur per peccata venialia, quibus anima debilis efficitur ad exequendum actum gratiæ & gloriæ. Alia est secundaria sanitas, quæ est quasi effectus & signum prioris sanitatis, scilicet sanitas corporalis: & hoc est verum quando sanitas corporalis expedit sanitati spirituali. Tunc B enim istud sacramentum causat utrumque in suscipientibus digne. Interdum enim utilis est sanitas corporalis, scilicet ad meritum gloriæ cumulandum. Valet etiam ad devotionem excitandam, & velociorem transitum ad cœlum.

In hoc sacramento, sicut in ceteris, tria sunt: Unum est sacramentum tantum, scilicet unctio exterior. Aliud est res tantum, scilicet effectus duplicis sanitatis, ut dictum est. Tertium est sacramentum, & res scilicet quædam unctio spiritualis interior, id est, mentis jucunditas, & solatium.

Caput XXXVI.

De sacramento ordinis.

C Quinque sacrmenta, de quibus dictum est, pertinent ad statum personæ: sed duo, de quibus dicendum est, pertinent ad communem statum Ecclesiæ; quia ordo pertinet ad generationem spiritualem: matrimoniuum vero ad generationem carnalem.

Ordinem præcedit prima tonsura, quia in omni transitu de statu ad statum convenienter interponitur aliqua dispositio media. Unde in transitu a statu laicorum ad statum ministrorum Dei, convenienter prima tonsura interponitur. Fit etiam in hac tonsura aliquorum capillorum resecatio in modum coronæ: quia in mi-

ministerium illius assumitur, cui servire, regnare est.

Est itaque duplex signum distinctivum in ordinatis, scilicet exterius tonsura, & interius character. Ad esse autem ordinis tonsura non præexigitur, sed ad bene esse: quia dispositio congruitatis est ipsa tonsura ad ordinem, non necessitatis.

Mag. in 4 dist. 24 K. Hugo de sancto Victore ordinem sic describit: Ordo est signaculum quoddam, in quo potestas spiritualis traditur ordinatis, & officium. Hic nota quod sicut in naturalibus dedit Deus superiora corpora in regimen inferiorum, sic & in spiritualibus quosdam posuit superiores, quosdam inferiores, ut illi potestatem habeant super istos: sicut sunt clerici, qui præsunt in spiritualibus, & principes, ac judices sæculares, qui præsunt in temporalibus.

De substantia hujus sacramenti sunt sex: Primum est potestas ordinis quia oportet quod sit Episcopus. Secundum est materia, scilicet unctio in sacerdotibus, & tactus illorum, quæ tangenda sunt in aliis. Tertium est forma verborum. Quartum est sexus virilis, quia mulier non recipit characterem ordinis. Quintum est intentio recta. Sextum est quod ordinandus sit baptizatus, quia baptismus est janua omnium sacramentorum.

Quoddam est hic sacramentum tantum, ut visibile signum, quo potestas traditur. Quoddam est res tantum, scilicet gratia quæ confertur digne recipienti. Quoddam est res & sacramentum, ut character.

Septem sunt ordines, scilicet Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiconus, Diaconus, & Presbyter, qui omnium ordinum est perfectissimus, & terminus aliorum. Illi autem sunt quasi septem gradus, quibus ascenditur ad thronum Salomonis. Actus ostiariorum est, custodire locum confectionis sacramentorum ab iis, qui immundi determinati sunt, id est, excommunicatis. Actus lectorum est, legere prophetias. Actus exorcistarum est, arcere dæmones, ne dominentur in corpore nondum baptizati, scilicet per

A conjurationes. Actus acolytorum est deferre lumen Evangelii in lumine corporali. Actus subdiaconorum est, accipere oblationes ab offerentibus, easque offerre diacono: legere autem epistolas, non est actus eorum principalis, sed consequens. Actus diaconorum est, ordinare hostias in altari; legere autem Evangelium, vel prædicare, est actus consequens. Actus presbyterorum est consecrare corpus & sanguinem Christi, & est actus principalis: alius est consequens, scilicet ligare & solvere: per quem actum corpus mysticum præparatur, ut sit aptum & idoneum ad perceptionem corporis Christi veri.

B In quolibet ordine character imprimitur: sed quando fiat, nunc dicendum est. Ostiariis quidem character imprimitur, quando datur eis clavis, & dicitur: Sic agite tamquam rationem reddituri Deo de rebus, quæ clavibus istis recluduntur. Lectoribus character imprimitur, cum Episcopus porrigit eis librum, cum debita forma verborum. Exorcistis vero, cum dat eis librum exorcismorum cum debita forma verborum. Acolytis autem in verbis, quæ dicit Episcopus dum dat eis candelabrum. Subdiaconis imprimitur, quando Episcopus cum forma verborum dat eis calicem vacuum, & cetera vasa quorum usus est in confectione Eucharistiæ. Diaconis & præsbyte- Mat. 11
C ris imprimitur, quando Episcopus Joan. 2
imponit manum capiti cum verbis ad hoc statuti.

Prædictos autem ordines Christus Luc. 4
exercuit: Ostiariatum, quando ementes & vendentes de templo ejecit. Luc. 11
Lectoratum, cum in medio seniorum Joan. 8
librum Isaiæ aperiens, legit in eo. Joan. 13
Exorcistatum, quando dæmoniacos sanavit: Acolytatum, quando dixit: Mat. 26
Ego sum lux mundi. Subdiaconatum, quando linteo se præcinxit, & Luc. 22
pedes discipulorum lavit. Diaconatum, quando in cena corpus & san- Joan. 10
guinem suum ministravit discipulis, Isa. 53
& dormientes Apostolos excitavit. 1 Cor. 11
Presbyteratum, quando se in ara crucis obtulit, & quando in cena panem, & vinum in corpus & sanguinem suum convertit.

CA-

Caput XXXVII.

De qualitate ordinandorum.

QUalitas ordinandorum consistit in duobus, scilicet in faciendis, & in evitandis. Facienda sunt hæc: In moribus sit pudicus 43. dist. cap. 6. In habitu honestus 21. quæst. 4. per totum. Cibo & potu temperatus. Extra. de vi. & hon. cler. A crapula. Competenter, quamvis non eminenter litteratus. Extra. de elect. cum nobis. Mansuetus, & moderatus 41. dist. cap. 1. & 2. per totum. Tonsuram deferat clericalem. Extra. de vi. & hon. cler. & dist. 42. Hospitalis 16. quæst. 1. Quoniam. Doctor in prædicatione, dist. 43. Sit rector. Corrreptor vitiorum per virgam disciplinæ. 86 dist. cap. 3. Exemplum præbeat bonæ vitæ, distinct. 23. His igitur. Bonæ famæ distinct. 28. Priusquam. Residentiam faciat in ecclesia sua, vel beneficio. Extra. de cler. non residen. per totum. Unicum sufficiat beneficium habens curam animarum, Extra de præbendis. De multa. Bonus sit gubernator familiæ. 47. dist. in fi.

De necessitate clericis sunt hæc vitanda: Crimen mortalis peccati. Extra. de tempor. ord. Extraordinarie. Non litigiosus 46. dist. Ecce, & cap. sequenti. Non cupidus 47. distinct. cap. 4. Non lusor. Extra. de vi, & hon. cler. Non negotiator. Extra. Ne clerici, vel mon. per totum. Non exerceat venationes clamosas. Extra. de cler. venatore per totum. Non sit incontinens nec mulieribus cohabitet. Extra. de cohabit. cler. & mulie. A nobis. Non sit in comessationibus, conviviis & fabulis 44. distin. Non intersit spectaculis, nisi honestis clericorum. Non immisceat se negotiis sæcularibus. Extra. Ne clerici, vel mon. cap. 2. Nec joculatoribus, & histrionibus. Extra. de vi. & hon. cleric. Tabernas debet evitare, nisi in itinere. Extra de vi. & hon. cleric. Horas non debet negligere. Extra. de celebr. Miss. cap. 1. Justum A judicium non debet vendere. 1. quæst. 1. Si quis Episcopus. Ecclesiastica sacramenta non pacto, sed gratis debet dare. Extra. de Simonia, Tuam & per totum. Non sit excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis. Extra de sent. excom. Cum illorum. Non apostata. Extra de aposta. cap. ult. Non simoniacus in ordine, vel beneficio. 1. quæst. 1. & Extra de simonia per totum. Non sollemniter pœnitens: de pœnitentia dist. 1.

Ante ordinis susceptionem se quilibet per confessionem præparet 24. dist. cap. ult. In peccato mortali non accedat extra de tempor. ordin. Ad aures. Primam tonsuram non negligat. Nullus ordinetur, nisi examinatio præcedat. 24. dist. per totum. B Non accipiantur simul minores ordines cum subdiaconatu, nec etiam simul duo ordines sacri, sed gradatim. Extra de temporibus ordin. litteras. Nec per saltum recipiat quis ordines 52. dist. cap. 1. Nec ab alieno Episcopo, sed a suo 30. distin. Perlectis. Nec contra Episcopi prohibitionem, & sine titulo. Extra de vi. & hon. cleric. Cum secundum Apostolum. Nec furtive. Extra de eo. qui furt. ordin. suscep. capit. 1. & ultim. Missam, in qua ordinatur, & audiat, & tangat omnia, quæ sunt tangenda, unusquisque in susceptione sui ordinis 25. distin. Per dilectis. Non accedat non licentiatus, C & præsentatus extra de scruti. cap. uno. Jejunus a jejuno suscipiat ordines extra de tempor. Litteras. Non recipiantur ordines, nec conferantur, nisi temporibus ab Ecclesia institutis. Extra de tempor. ordin. c. 1 & 3.

Multa sunt, quæ impediunt promovendum etiam sine culpa, licet non sine causa. Non debet enim promoveri ignotus, extra de peregrin. cap. 1. Bigamus 26. dist. A cunctis. Neophytus 48. dist. Quoniam. Corpore vitiatus 16. quæst. 1. Legi. Qui non est de legitimo matrimonio natus extra de fil. presbyt. cap. Servus extra de serv. non ordin. cap. & 2. Obligatus ad ratiocinia quandoque expellitur ab ordinibus. Ex prædictis patet, quod dignitas clericalis, nec ordines non conferuntur a

quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec in quolibet tempore.

CAPUT XXXVIII.

De sacramento matrimonii.

Matrimonium est conjunctio maris & feminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Matrimonium per sponsalia initiatur, per consensum animorum expressum per verba de præsenti, ratificatur, per carnalem copulam consummatur, & perficitur.

Ad hoc autem sciendum quod duplex est perfectio. Prima est in esse simpliciter, secunda in esse completo: sicut patet in puero, in quo est perfectio, quantum ad esse hominis simpliciter, sed non est in eo perfectio, quantum ad esse completum, secundum quantitatem, & operationem hominis. Eodem modo dicendum est de matrimonio, in quo duplex est perfectio: Prima est quæ facit matrimonium, scilicet consensus animorum per verba de præsenti expressus: & ad hanc non exigitur copula carnalis. Secunda perfectio est quæ matrimonium consummat: & ad hanc exigitur carnalis copula.

Bonum matrimonii triplex est, scilicet fides, ut neuter alieno thoro maculetur. Proles, ut ad cultum Dei nutriatur. Sacramentum ut non dissolvatur. Licet enim Ecclesia possit divortia propter impedimenta matrimonii facere, numquam tamen potest, nec debet matrimonium quod legitime celebratum est, dissolvere: Matth. 19 quia quos Deus conjunxit homo non potest, quantæcunque auctoritatis sit, separare: tamen solvitur matrimonium per mortem:

Sciendum quod duplex est conjunctio in matrimonio, & duplex est mors correspondens illi. Est enim conjunctio spiritualis per consensum animorum, quæ solvitur per mortem spiritualem, qua homo moritur mundo per religionis ingressum. Alia est conjunctio carnalis per commixtionem sexuum, quæ solvitur per mortem corporalem.

A Est autem causa matrimonii quadruplex, scilicet efficiens, ut consensus animorum per verba de præsenti expressus. Materialis ut ipsæ personæ legitimæ. Formalis, ut benedictio, annuli subarrhatio, & hujusmodi. Finalis duplex est una principalis, scilicet prolis procreatio, & fornicationis evitatio: quia matrimonium non solum in officium, sed in remedium institutum fuit: licet fuerit primo solum in officium. Alia est secundaria, & illa est multiplex. Unde versus:

Hostes conciliat, & eo discernitur hæres;
Bis ligat, al ma notat, jus transfert, auget honorem.

B Quadruplex distinguitur matrimonium. Primum est carnale inter virum & mulierem, Secundum est morale inter Deum & animam in Ecclesia militanti per gratiam. Tertium est allegoricum inter Christum & Ecclesiam. Quartum anagogicum inter Deum & animam in Ecclesia triumphante per conjunctionem gloriæ.

Potest quis accedere ad uxorem suam quatuor de causis, scilicet causa prolis, causa reddendi debitum, causa vitandæ incontinentiæ. Istis tribus causis non est peccatum. Quarto potest fieri causa explendæ libidinis: & hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis, vel mortalis.

C Fit autem peccatum in conjugali coitu quinque modis. Unde versus:

Quinque modis peccat uxore maritus abutens,
Tempore mente, loco, conditione, modo.

Nota quod uxor dimissa propter fornicationem, reconciliatur viro multis modis. Unde versus:

Ultimo mœchatur, retinet, nec conciliatur,
Absens prostituit, jus, fraus revocant mulierem.

Tria sunt ornamenta sponsæ, scilicet annulus in digito, monile in pectore, corona in capite. Primum significat operis puritatem, quia in manu est opus. Secundum affectus since-

ce.

ceritatem, quia in pectore est affectus. Tertium contemplationis claritatem, quia in capite est perspicacitas intellectus.

Mat. 1 Luc. 1 Multis de causis beata Virgo fuit desponsata viro. Primo, ut designaret Ecclesiam desponsatam Christo, quæ similiter est virgo. Secundo, ut Joseph testis esset integerrimæ castitatis ejus. Tertio, ut per Joseph origo ejus ostenderetur, quia per viros genealogia texitur. Quarto, ne infamaretur, si generaret non habens maritum. Quinto, ne velut incontinens damnaretur, quia de tribu erat sacerdotali, & tales comburebantur, aliæ adulteræ lapidabantur. Sexto, ut virgo virili solatio sustentaretur. Septimo, ut partus diabolo celaretur. Octavo, ne Judæi Christum tamquam illegitimum juste persequi viderentur. Nono, ne legi, quæ commendat matrimonium, contrariari Dominus videretur.

Notandum, quod duodecim sunt impedimenta matrimonii. Unde versus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant conjugia, juncta retractant.

COMPENDII

THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER SEPTIMUS

De ultimis temporibus.

CAPITA HUJUS LIBRI.

Caput I.

De fine mundi.

Finale judicium quædam sunt antecedentia, quædam concomitantia, quædam sequentia. Antecedentia judicium tria sunt, scilicet pœna purgatorii, Ecclesiæ suffragia, persecutio Antichristi. Concomitantia judicium duo sunt, scilicet, conflagratio mundi, & resurrectio corporum. Consequentia judicium duo sunt, scilicet pœna infernalis, & gloria cœlestis. De quibus per ordinem dicendum.

Caput II.

De purgatorio.

Purgatorius ignis corporeus est, per quem tantummodo spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam, neque satisfactionem condignam, affliguntur. Hi qui sunt in purgatorio, spem habent evasionis: quia sciunt se non esse in inferno: & tamen propter pœnarum magnitudinem hoc aliquando non advertunt.

Multæ rationes, sunt, quare oportet esse purgatorium. Prima est, quia secundum Augustinum tria sunt genera hominum. Quidam sunt valde mali, quibus non prosunt Ecclesiæ suffragia. Quidam valde boni, quibus non sunt necessaria. Quidam nec valde mali, nec valde boni, qui habent venialia, & his debetur pœna purgatorii. Secunda est, quia sicut summa bonitas non patitur quod bonum remaneat irremuneratum, ita summa justitia non patitur quod malum remaneat impunitum. Tertia est, quia divinæ lucis tanta est dignitas, quod eam soli mundi oculi cernere possunt. Unde oportet, quod quilibet veniat ad munditiam baptismalem antequam conspectui divino præsentetur. Quarta est, quia culpa est offensiva divinæ majestatis, & damnosa Ecclesiæ, & deformativa in nobis imaginis divinæ. Sed offensa requirit punitionem, A damnum requirit satisfactionem, & deformatio expurgationem, propter quod necesse est, quod peccato pœna vel hic, vel alibi respondeat. Quinta est, quia contraria contrariis curantur: sed peccatum oritur ex delectatione: unde debet per pœnam deleri. Sexta est, quia nulli debet negligentia suffragari: sed si non puniretur talis, videretur in futuro commodum reportare de negligentia pœnitentiæ dilatæ. Septima est, quia justum est, ut spiritus, qui contempto summo subiecit se infimo, id est, peccato, subiiciatur postea inferioribus, id est, pœnis.

Aug. in Enchir. cap. 10. tom. 3.

Nota quod animæ postquam fuerint in igne sufficienter purgatæ, B statim evolant ad gloriam, & hoc patet multiplici ratione. Primo, quia post purgationem nulla remanet ad gloriam dissimilitudo in anima, unde merito illi debet jungi. Secundo, quia janua cœli illis semper est aperta, qui nullum habent obstaculum. Tertio, quia necesse est illos spiritus, in quibus est charitas sursum elevans, & nihil retardans, sursum elevari ad gloriam. Quarto, quia cum Deus sit pronior ad miserendum, quam ad puniendum, merito debet purgatos conjungere gloriæ, quos purgandos subiecit pœnæ. Quinto, quia non punit Deus bis in idipsum. Unde cum iste sufficienter satisfecerit in pœnis ignium, non C amplius debet puniri in dilatione præmiorum. Sexto, quia post purgationem non debet talis esse in purgatorio, neque in limbo, quia non est de numero illorum puerorum, neque in inferno, quia non est de numero damnatorum: ergo debet esse in cœlo, quia post mortem non sunt alia receptacula animarum. Septimo, quia efficacior est charitas quam iniquitas; sed iniquitas statim ducit ad supplicia, ergo charitas statim ducit ad præmium. Octavo, quia sicut cessante impedimento corpora gravia feruntur deorsum, & levia sursum: sic malorum spiritus, remoto carnis onere, statim feruntur ad locum suppliciorum, propter peccati gravitatem: spiritus vero bonorum, si non sit impedimen-

mentum alicujus culpæ, vel pœnæ debitæ, statim feruntur ad locum præmiorum.

Caput III.

De acerbitate pœnæ purgatorii.

In purgatorio duplex est pœna. Una est damni de carentia divinæ visionis. Alia sensus est, de afflictione ignis: & quantum ad utrumque minima pœna purgatorii major est maxima pœna mundi. Istud patet de pœna damni: quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est, quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum jam tempus habendi advenerit, ideo carentia ejus molestius toleratur. Istud etiam patet de pœna sensus: quia cum dolor non sit essentialiter læsio, sed læsionis sensus: tanto magis dolet anima, quanto magis sentit sensitivum aliquid. Ideo ab igne in ipsam agente maxime affligitur.

Ratio acerbitatis pœnæ purgatorii hæc est, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multo majorem non ita voluntariam in futuro, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi. Unde oportet ut quod ibi deficit in voluntate, hic suppleatur in acerbitate.

De igne qui purgat animas, dupliciter est loquendum, vel quantum ad id, quod primo animas affligit, & sic est corporeus: vel quantum ad quod proxime affligit, & immediate, sic est incorporeus. Primo modo dicitur ignis vere, secundo modo similitudinarie, sicut leo verus, & leo pictus. Utrumque tangit Gregorius, quando dicit: In eo ardent, dum ardorem vident. Ille autem ignis corporeus dupliciter potest considerari. Primo est instrumentum naturæ, sic agere potest in corpus, & non in animam. Secundo prout instrumentum divinæ justitiæ, sic agit in animam, imprimendo illi speciem suam, per quam affligitur, quia violenter illa specie informatur. Sicut enim anima secundum ordinem naturæ unitur corpori, ut instituat vitam, sic merito secundum ordinem justitiæ unitur igni, a quo suscipiat pœnam.

Greg. lib. 4 Dial. c. 9

Nota quod dæmones non puniunt animas in purgatorio, sed illic eas adducunt, vel etiam assistunt, ut communiter dicitur. Ex permissione tamen Dei dæmones in hac vita quandoque bonos affligunt, sed hæc est ratio: quia in præsenti durat pugna inter dæmonem & hominem, quia dæmon habet in eo potestatem exercitii, sed post hanc vitam non sic. Unde aer iste caliginosus est assignatus dæmonibus magis propter tentandi officium, quam propter supplicium.

De locis pœnalibus ubi sint & quot require sup. lib. 4. cap. de descensu Christi ad inferos. Sciendum tamen de loco purgationis, quod dupliciter assignatur: aut secundum legem communem, & sic est in uno loco in parte inferni circa limbum patrum. Aut secundum dispensationem specialem, & sic purgantur animæ aliquando in diversis locis, in quibus peccaverunt. Hoc autem fit propter aliquam suam revelationem per suffragia eorum, quibus apparent in illis locis, vel etiam propter aliquam ædificationem viventium. Ignis autem ille plus, vel minus cruciat, secundum quod plus, vel minus de combustibili, seu cremabili quisque secum tulit. Oportet enim prius quam facies Dei videatur, sicut legimus, quod ligna, fœnum, stipula, id est, majora, minima, mediocria, & venialia totaliter per cremationem consumantur. Prædicta vero pœnæ diversitas non est ex diversitate ignis accidentis, seu agentis, sed subiecti patientis, sicut sub eodem Sole unus plus æstuat, alter minus, ut dicit Gregorius. Necesse est autem, ut dicit Augustinus, quod tantum urat dolor, quantum hæserat amor, tanto enim quisque torquebitur diutius, quanto affectus ejus venialibus adhærebat fortius. *1 Cor. 3*

Caput IV.

De suffragiis Ecclesiæ.

Sicut pertinet ad divinæ justitiæ severitatem, bonos propter venialia puniri, ita pertinet ad bonitatem divinæ misericordiæ eosdem per suffragia relevari. Prosunt ergo suffragia defunctis, non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc, vel ad pœnarum mitigationem, vel ad celeriorem liberationem.

Sunt autem quatuor modi suffragiorum generales, ad quos omnes alii reducuntur, scilicet oratio, jejunium, eleemosina, & sacramentum altaris: quorum numerus sic accipitur: quoniam defuncti a pœna absolvi possunt duobus modis, scilicet per viam gratiæ, & per viam justitiæ. Per viam gratiæ dupliciter. Primo per intercessionem publicam capitis, quæ est in oblatione sacramenti altaris. Secundo per intercessionem quasi privatam membrorum, scilicet per orationes justorum. Similiter per viam justitiæ dupliciter: primo per modum redemptionis pœnæ, scilicet in eleemosynarum largitione, secundo per modum solutionis pœnæ, scilicet in jejuniorum afflictione. Si autem quæritur, quando incipiat valere defuncto, id quod pro se fieri mandavit? Dicendum quod opus operans, idest, meritum auctoris statim consequitur mortuum de bonis, quæ præcepit pro anima sua fieri: sed non opus operatum, id est, fructus ipsius operis, usquequo fiant: quia primum valet ex merito absoluto, sed secundum ex merito conditionali.

Caput V.

Quorum suffragia prosint, & quibus.

Ad hoc quod valeant suffragia, requiritur aliquid ex parte agentis, & aliquid ex parte mortui recipientis. Ex parte agentis requiritur quod sit in charitate, & quod inten-

A tionem suam dirigat ad illos quibus vult, ut opera sua proficiant. Distinguendum est tamen quod suffragia per malum possunt fieri dupliciter, vel ut per auctorem, & sic non prosunt nisi forte per accidens, scilicet in quantum per eleemosynas mali hominis excitantur boni pauperes ad orandum pro defunctis: vel ut per ministrum, & hoc dupliciter, quia, vel facit ea minister publicus Dei & Ecclesiæ, sicut quando sacerdos malus celebrat Missam, vel agit exequias mortuorum, & talia semper prosunt, quia malitia ministri non nocet operi boni auctoris: sicut patet in domino justo dante eleemosynam per servum malum. Si vero facit B ea, ut minister privatæ personæ, existentis tamen in charitate, sive defuncti, sive alterius, etiam talia prosunt: quia opus illud licet sit mortuum quoad ministrum, non tamen quoad auctorem. Si vero malus minister facit aliqua de mandato ejus, qui non est in charitate, non prosunt.

Aliquid etiam exigitur ex parte accipientis ad hoc ut suffragia prosint illi. Primum est, quod ipse sit in charitate. Unde non valet his, qui sunt in inferno, quia sunt a corpore Christi mystico separati: unde nulla spiritualis influentia pervenit ad eos, sicut nec influentia corporalis valet membris a corpore amputa- C tis. Secundum est indigentia: unde non valent beatis, qui non sunt amplius in via, sed in termino, nec possunt ad altiora ascendere: sed potius econverso illorum suffragia prosunt nobis. Utrumque autem est in his, qui sunt in purgatorio, scilicet charitas, & indigentia. Unde sicut potest homo satisfacere pro altero vivente, qui per se non valet, ita potest etiam pro defuncto.

Nota quod suffragia prosunt defunctis, sed magis aut minus pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro charitate vivorum, qui magis solicitantur pro aliquibus, quam pro aliis. Illa enim suffragia, quæ specialiter fiunt pro aliquibus, plus valent illis, quam aliis, licet etiam aliis aliquo modo communicentur.

Suf-

Suffragia vero, quæ communiter pro defunctis fiunt, quamvis pro modulo suo omnibus prosint, illis tamen amplius qui dum essent in via, magis meruerunt, ut sibi prodessent. Quamvis autem, ut dictum est, suffragia non prosint iis qui sunt in cœlo, nec illis qui sunt in inferno, tamen aliquo modo prosunt etiam illis. Unde nota quod valent illis, qui sunt in purgatorio per modum purgationis: valent salvatis, qui sunt in cœlo, per modum conjunctionis, quia multiplicatio salvandorum augmentat gloriam accidentalem. Valent & damnatis in inferno per modum diminutionis: quanto enim plures salvantur per meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur, & ita minor erit pœna per subtractionem consortii illorum: valent etiam impiis facientibus per modum meriti: quia cum pro parvulis defunctis celebrantur Missæ mortuorum, hoc non fit propter illorum indigentiam, cum statim evolent ad gloriam, sed propter gratiarum actionem.

Caput VI.

Utrum indulgentiæ prosint defunctis.

Papales indulgentiæ prosunt defunctis in purgatorio: quod patet, quia crux aliquando datur pro duabus, vel tribus, vel quatuor, vel decem animabus. In Ecclesia enim est thesaurus meritorum tam Christi, quam perfectorum, de quo solus Papa, qui habet claves hujus thesauri, pro necessitate Ecclesiæ potest accipere & dispensare. Alii autem sicut Episcopi, non habent in his potestatem generalem, sed limitatam, & non nisi per summi Pontificis dispensationem. Dicendum ergo quod Papa proprie non absolvit defunctos a pœna, sed quasi pro eis de communi thesauro Ecclesiæ solvit: sicut aliter credito liberat debitorem, dum eum a debito absolvit: & aliter amicus debitoris dum pro eo debitum solvit: sed viventes utroque modo absolvit Papa. Illi autem quibus datur indulgentia, non possunt eam ulterius dare, neque

A vivis, neque defunctis: & hoc duplici ratione. Primo, quia indulgentia non est donum collativum gratiæ, sed privativum pœnæ, privatio cum nihil sit, aliis communicari non potest. Secundo, quia dare indulgentiam auctoritatis est, & jurisdictionis, quam non habent laici, ex eo quod indulgentiam ab aliis recipiunt: unde non possunt defunctis impendere indulgentiam per auctoritatem, sed solum boni operis sui suffragium per charitatem, Papa vero potest utrumque.

Caput VII.

De adventu Antichristi.

B Antequam Dominus veniat ad judicium, regni Romani fiet destructio. Nam sicut dicit Glossa super Apostolum: Prius erit discessio ab utroque imperio, qua completa aderit Antichristus. Hic ex parentum seminibus concipietur: sed post conceptum descendet spiritus malignus in matris uterum, cujus virtute & operatione deinceps puer nascetur, aletur, adolescet: propter quod & filius perditionis vocabitur. Nascetur autem in Babylonia de tribu Dan, sicut dicit Glossa super Apostolum. Post hoc veniet in Hierusalem, & circumcidet se, dicens Judæis, se esse Christum illis pro- C missum, unde plebs Judæa specialiter ei adhærebit, sicut dicit Haymo super Apocalypsi, donec Enoch & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint salvandi, ad Christum revertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam: sed quando ita obstinabitur in peccato, quod dicet se esse Deum, & extollet se super omne id, quod dicitur Deus, aut colitur, sicut dicit Apostolus: tunc primo deseret eum Angelus ex toto, nec habebit eum postmodum ad promotionem, sed ad accusationem.

2 Thes. 2

2 Thes. 2

CA-

Caput VIII.

De vita Antichristi.

ANtichristus erit luxuriosus, & in concupiscentiis fœminarum, ut habetur in Daniele, in aperto tamen per hypocrisim simulabit sanctitatem, ut facilius decipere possit. Cor suum per superbiam magnificabitur, sicut dicit Daniel: Contra principem principum consurget, id est, contra Deum. Et ut dicit Glossa super Danielem, in tantam elevabitur superbiam, quod leges & cærimonias mutare conabitur, vel cursum temporum. Tantæ quoque præsumptionis erit, quod non putabit se a Deo puniendum, propter hoc quod judicium differtur. Auferentur judicia tua a facie ejus. Erit etiam blasphemus, sicut in Apocalypsi dicitur. Unde Daniel: Adversus Deum deorum loquetur magnifica: Item ad majorem Dei contumeliam faciet imaginem suam adorari, & omnes suo charactere signari in manu dextera, & frontibus suis, sicut habetur in Apocalypsi: Confitebitur enim se verum filium Dei, & filium hominis, ita ut in templo Dei sedeat tamquam ipse sit Deus, & se faciet adorari. Judæi namque templum quod Romani destruxerunt, reædificabunt. Affirmabit ante se nullum fuisse Christum, sed Antichristos fuisse, ut dicitur in Glossa, quia sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis habitat, ita & in Antichristo plenitudo omnis iniquitatis: quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus.

Dan. 11. Dan. 8. Dan. 8. Psal. 10. Apoc. 16. Dan. 11. Apoc. 13. 2 Thess. 2. Coloss. 2.

Caput IX.

De quatuor modis quibus decipiet.

MErito comparatur Antichristus Cerasti, qui est serpens cornutus: quia quatuor cornibus armabitur, scilicet callida persuasione, miraculorum operatione, donorum largitione, & tormentorum exhibitione.

Gen. 49.

Primus ergo modus subvertendi A homines erit callida persuasio. Prædicabit enim legem novam pravam esse, & legem Christi pro posse destruet. Prædicatores enim sui discurrent per universas partes mundi. Impedient quoque Apostoli Antichristi, ne scriptura secundum veritatem exponatur a catholicis Doctoribus, vel fidelibus audiatur: ipsi autem bonos se simulabunt, & tamen mala suadebunt.

1 Tim. 4.

Secundus modus subvertendi erit per fallacia miracula, quia per artem magicam illa faciet. Unde Glossa super Apocalypsi: Magica arte statuam faciet loqui & futura prædicere, & faciet, sicut dicitur in Apocalypsi, ignem de cœlo descendere B in terram. Glossa, id est, malignum spiritum faciet super eos descendere, ut loquantur variis linguis. Spiritus enim malignus descendet in eos in conspectu hominum, sicut Spiritus sanctus descendit in Apostolos Christi. Unde jactabunt se esse meliores Apostolis Christi, qui spiritum acceperunt in conclavi. Item per artem magicam simulabit se mortuum, & feretur a dæmonibus in aera, quasi ascendat in cœlum: & sic putabitur ab hominibus resurrexisse, qui prius mortuus putabatur: & tunc mirabuntur populi, & adorabunt eum, atque laudabunt. Ecclesia vero non faciet tunc miracula. De hoc modo decipiendi dicitur in Psalmo: C Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Glossa, recte Antichristus comparatur leoni existenti in spelunca: quia in eo vis & dolus operatur. Vis enim per leonem, dolus per speluncam intelligitur. Gregorius: Pensemus quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr corpus tormentis subjiciet, & tamen tortor ante ejus oculos miracula faciet. Sicut enim Antichristus finget se a mortuis resurgere, ita etiam finget se ad cœlum ascendere. Et plaga mortis ejus curata est. Glossa: Arte magica ascendet Antichristus in aera ferentibus eum dæmonibus. Faciet arbores cito florere, arescere, mare turbari, naturas in diversas figuras mutari: mortuos etiam in conspectu hominum suscitabit.

Apoc. 13. Apoc. 13. Psal. 10. Greg. li. 32. Mor. c. 12. ante med. Apoc. 13.

Ter-

Tertio decipiet per munera. Ipse namque Antichristus inveniet thesauros absconditos, per quos ad sequendum se inclinabit plurimos, ditabit enim bonis divites hujus sæculi, & tunc eorum falsam felicitatem ad decipiendum alios ostendet.

Quarto compellet per minas, & tormenta: quos aliter vincere non poterit. Tanta vero, sicut ait Dominus, tunc erit tribulatio, ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi: & hoc innuitur in Apocalypsi, ubi dicitur: Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Per pedes ultima Christi membra, per caminum vero vehemens tribulatio designatur. Exhibebit enim cuncta, quæ in præcedentibus martyribus impleta sunt genera tormentorum, sed in illis regionibus, tunc fideles maxime sunt vexandi, & vehementius, ubi Dominus fuit crucifixus. Et dicit Haymo super Apocalypsi: Illa tentatio non per partes, sed simul totum examinabit mundum. Solventur enim dæmones, qui modo ligati sunt, ne possint nocere quantum vellent. Fideles quoque illo tempore non prædicabunt, quia tamquam excommunicati habebuntur tunc boni. Nihil vendetur eis, nec emetur ab eis, nisi habeant characterem, id est, signum aliquod ad litteram, ut adhærentes sibi cognoscantur, & alii interficiantur. Aut nomen bestiæ, id est, confessionem oris: aut numerum nominis ejus, id est, multiplicationem operum; ut habetur in Apocalypsi. Antichristus autem sicut erit crudelior omnibus persecutoribus, ita sancti tunc temporis fortiores erunt omnibus retro martyribus.

Matt. 24 — Apoc. 1 — Apoc. 13

Caput X.

De sequentibus Antichristum.

Prædictis quatuor modis Antichristus multos ad se attrahet, unde in Apocalypsi: Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Attrahet autem malos per munera, bonos per tormenta, simplices per prædicationem & mirrcula. Qui enim sancti & justi credebantur, adhærebunt ei pro suæ arbitrio voluntatis. Habebit secum magos & maleficos, reges quoque, & principes. Unde in Apocalypsi: Vidi de mari bestiam ascendentem, &c. Glossa, id est, Antichristum habentem capita septem, id est, principes universos: cornua decem, id est, eos, qui impugnant decalogum. Nota igitur, quod Antichristus primo veniet in benignitate, & miraculorum operatione: & tunc a Judæis suscipietur: qui ei specialiter adhærebunt: ad quorum conversionem venient Elias & Enoch, & tunc Antichristus in apertam persecutionem consurget.

Apoc. 12 — Apoc. 13 — Apoc. 11

Caput XI.

De Gog, & Magog.

De Gog, & Magog dicunt quidam, quod sunt decem tribus intra montes Caspios clausæ: non ita tamen quin exire possent, si permitterentur, sed non permittuntur a regina Amazonum, sub cujus regno & ditione vivunt. Has dicunt Judæi in fine sæculi exituras, & venturas in Hierusalem, & cum suo Messia ecclesias destructuras. Alii dicunt, quod per Gog, & Magog intelligitur exercitus Antichristi, qui in fine sæculi veniet ad expugnandam Ecclesiam. Per Gog enim secundum Glossam illi, per quos latenter diabolus persequetur fideles, designantur. Per Magog illi, per quos aperte Ecclesia opprimetur, vel illi, qui tempore Antichristi prius occulte, & postmodum aperte Ecclesiam persequentur. Secundum Augustinum, Gog refertur ad gentes, Magog ad diabolum: quia Gog interpretatur occultatio, & Magog dejectio, vel destitutio.

Ca-

Caput XII.

De Elia, & Enoch.

Inter occultum adventum Antichristi, qui est per nativitatem, & manifestum ejus adventum, qui est per prædicationem & apertam persecutionem, venient Elias & Enoch, & convertent, sicut dicit Malachias, corda patrum in filios. Glossa, ad instructionem præteritorum de fide Salvatoris, inquantum & ipsi crediderunt: & cor filiorum ad patres eorum. Glossa, quia suscipient fidem, quam illi habuerunt. Unde & Christiani, & Judæi tunc in Christum pari religione consentient. De eorum prædicatione, & sancta conversatione dicitur in Apocalypsi: Dabo duobus testibus meis, scilicet Eliæ & Enoch, & prophetabunt, id est, prædicabunt 1260 id est, tribus annis, sicut ipse Christus prædicavit, amicti saccis. Glossa, prædicantes pœnitentiam, & exemplum ostendentes. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra. Glossa, id est, lumen dantes aliis. Tandem Antichristus occidet eos in Hierusalem: & jacebunt corpora eorum in plateis tribus diebus, & tribus noctibus cum dimidio, quia nullus audebit corpora eorum sepelire, propter metum Antichristi. Occisores autem eorum erunt valde læti propter mortem eorum: post dies autem tres & dimidium resurgent, & eorum occisores audient vocem talem, Elias & Enoch ascendite huc: & ascendent in cœlum in nube. Antichristus vero quindecim diebus post mortem illorum regnabit.

Mala. ult. *Apoc. 11* *Apoc. 11*

Caput XIII.

De duratione hujus persecutionis.

Regnabit Antichristus, sicut dicit Glossa super Apostolum, tribus annis cum dimidio. Unde Daniel, Juravit angelus per viventem in æternum, quod in tempus, scilicet, unius anni, & tempora, scilicet duorum annorum: & dimidium temporis, id est, dimidii anni. Glossa, hoc spatio dicitur duratura desolatio sub Antichristo. Nisi autem, ut dicitur in Matthæo, breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro. Gregorius: Quia enim & superbos nos & infirmos aspicit Deus, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviandos dicit, & Glossa super Matthæo. Hæc tribulatio quanto ceteris gravior, tanto brevitate moderatior.

Glossa 1 in c. 5 1 Thes. *Dan. 12* *Mat. 24.* *Greg. lib. 32 Mor. c. 11 ante med.*

Caput XIV.

De morte Antichristi.

Potestate sua Dominus occidet Antichristum, sicut dicit Glossa super Apostolum, sive per se, sive per Michaelem. Occidetur autem in monte Oliveti, in papilione, & solio suo, in loco circa quem Dominus ascendit in cœlum. Interfecto autem Antichristo non statim veniet Dominus ad judicium, secundum Glossam, super Danielem, concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, & ad conversionem & pœnitentiam subversorum. Quantum autem spatium sit inter illos quadraginta quinque dies, & finem mundi, nemo scit. Ministri vero Antichristi post mortem illius gaudebunt, ducentes uxores, & dicentes: Licet princeps noster mortuus sit, habemus tamen potestatem, pacem, & securitatem: & cum talia dixerint, repentinus eis superveniet interitus. Judæi vero tunc convertentur ad fidem: & S. Ecclesia usque ad finem pacificata quiescet, quia tunc fraudulentia & sævitia diaboli penitus ubique deficiet.

Gloss. in c. 5 1 Thess. *Gloss. in c. 12 Dan.*

Caput XV.

De conflagratione mundi.

Ignis maximus præcedet faciem judicis, quia virtute divina non solum ignis qui est in sphæra sua, sed etiam omnes ignes qui in terra & super terram sunt, concurrent ad mundi conflagrationem. Ignis autem iste habebit officium quatuor ignium, scilicet ignis infernalis, reprobos punien-

Psal. 96

niendo: & ignis purgatorii, bonos a venialibus purgando: & ignis terrestris, vegetabilia, & sensibilia consumendo, & omnium hominum corpora incinerando: & ignis elementaris elementa subtiliando, & ad innovationem disponendo. Per illum igitur ignem ita facies terræ exuretur, quod figura hujus mundi peribit, sicut olim factum fuit per diluvium. Et merito primum Dei judicium fuit per aquam, contra ardorem luxuriæ, qui tunc viguit: ultimum vero judicium per ignem erit contra torporem charitatis, quæ tunc quasi senescente mundo refrigescet. Istius autem ignis actio erit successiva: habebit enim initium, medium, & finem. Primo namque judicis adventum præveniet, & quasi simul per illum fiet purgatio justorum, punitio malorum, & incineratio corporum cum consumptione terræ nascentium, sicut dictum est. Quo facto statim erit resurrectio corporum cum adventu judicis ad judicium, & tunc inflammabitur totus mundus per circuitum. Terminato autem judicio, tota caliditas illius ignis exequetur sententiam judicis. Involvet enim peccatores, & trahet in infernum. Et ita patet, quod ignis ille adventum judicis præveniet & præcedet, & comitabitur, & sequetur.

1 Cor. 7 *Gen. 7* *Mat. 24*

Post prædicta fiet mundi innovatio, sed inter purgationem & innovationem multiplex est differentia. Primo, quia purgatio erit qualitatum pœnalium detractio, sed innovatio erit pulchrioris formæ inductio. Secundo, quia purgatio est elementorum ab impuritate, quam habent ex conjunctione, ad puritatem mutatio. Innovatio vero est cœlorum a statu veteri in statum novum commutatio, & hoc per cessationem a motu. In cœlis enim propter impermixtionem nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus. Unde non erit in eis purgatio per ignem, sed a motu cessatio. Ita autem purgabuntur elementa, quod præcidetur ab igne vis combustibilis, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, a terra vero gravitas & opacitas.

CAPUT XVI.

De resurrectione generali.

DEus sicut est potentissimus in constitutione naturarum, ita est clementissimus in collatione gratiarum, & justissimus in retributione stipendiorum. Quoniam igitur homo, vel meruit, vel demeruit in anima simul & corpore, punietur vel præmiabitur in utroque. Unde in eisdem oportet eum resurgere.

Ad vocem autem tubæ resurgent mortui, sicut dicit Apostolus. *1 Thess. 4* *1 Cor. 15* Dupliciter autem intelligitur illa vox. Secundum enim quosdam vox tubæ est imperium Christi resurgere imperantis: secundum alios vox tubæ est manifesta Christi apparitio. Unde Gregorius: Tubam sonare, nihil aliud est, quam mundo Dei filium judicem demonstrare. Resurgent igitur omnes, nulla in eis existente differentia, quantum ad ordinem temporis, sed magna, quantum ad ordinem dignitatis. Nam mali resurgent deformes & passibiles: in bonis autem natura servabitur, & vitia detrahentur. Omnes vero tam boni, quam mali resurgent integri corpore, debita statura secundum ætatem plenitudinis Christi.

Resurrectio igitur tria corriget in natura, scilicet defectum, sicut in pueris, & mutilatis, sive in diminuta natura membrorum, superfluum scilicet unguium, crinium, & hujusmodi: errorem, sicut in monstruositate membrorum. Resurgent quoque corpora eadem natura, quæ prius erant, & eodem numero, ex eodem pulvere in quem reducta fuerant: ita quod in quascumque auras, vel sinus pulvis ille dispersus fuerit, ad eamdem animam redeat, quæ ipsum primitus, ut viveret & cresceret, animavit. Nec solum resurgent corpora quantum ad membra principalia, sed etiam salvis capillis: & ceteris membris, quæ faciunt ad decorem. *Luc. 12* Resurgent etiam homines, quantum ad esse, & quantum ad integrum esse, & quantum ad decorem esse, & resurget unum-

quodque corpus in optimo suo esse.

Et quia duplex est mors, animæ scilicet per culpam, & corporis, per pœnam: his respondet duplex resurrectio, scilicet animæ per gratiam, & corporis, per gloriam. Et sicut in primis parentibus mors culpæ intulit mortem pœnæ: ita resurrectio animæ per gratiam, causabit resurrectionem corporis per gloriam. In resurrectione concurrent quatuor causæ, scilicet efficiens, ipse Deus: materialis, scilicet pulveres: formalis, scilicet conjunctio corporis, & animæ: finalis, scilicet ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum. Resurgent tunc homines velociter, integraliter, socialiter, æternaliter. Et erit ista resurrectio justa quantum ad Deum: perfecta quantum ad resurgentes: miraculosa quantum ad ipsam resurrectionem.

Caput XVII.

De judicio extremo.

POst resurrectionem statim erit judicium. Ipsum vero judicium præcedet trina citatio: Prima fuit per prophetas. Unde illud: Vocavi: & renuistis. Secunda per Apostolos, & prædicatores. Misit servos suos hora cœnæ dicere invitatis, &c. Tertia erit per ultimam vocem tubæ: & hæc citatio erit peremptoria. *Prov. 1* *Luc. 14*

Secundum Richardum triplex est judicium. Primum est uniforme, hoc est judicium præsentis Ecclesiæ, quæ non judicat, nisi de sola qualitate retributionum, & in genere tantum secundum quod bona bonis, & malis mala reddentur: sed numerum & quantitatem retributionum scit. Secundum dicitur multiforme, scilicet quod quilibet experitur in morte accipiendo sententiam de omnibus bonis & malis, quæ gessit: sed non omnia bona, vel mala statim recipit, quia in anima tantum, & non in corpore. Tertium dicitur omniforme, id est, ultimum judicium, quando recipit unusquisque secundum numerum & quantitatem sive bona, sive mala, in corpore, & in anima.

Ultimum judicium est horribile ex A omni parte, quia supra erit judex austerus, & iratus, subtus patens infernus, intus conscientia remordens, extra mundus ardens, a dextris peccata accusantia, a sinistris dæmonia terrentia, circa illa boni angeli in inferna propellentes, ibidem omnes sancti judicis sententiam approbantes, & omnes mali cum bonis peccata damnatorum cognoscentes.

De qualitate autem judicii nota quod erit horribile. Virtutes cœlorum movebuntur. Intolerabile: Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me? &c. Inevitabile. Apostolus: Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi. Inopinabile, quia dies Domini sicut fur in nocte ita B veniet. Inexorabile: Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Erubescibile. Apostolus: Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Prædicta vero erubescentia erit in duobus. Primo in veniendo ad judicium, quia mali cum habeant corpora ponderosa oportet eos illuc portari ab Angelis, sicut Habacuc portatus fuit ad lacum leonum in Babylonem. Secundo in stando coram judice: quia peccata eorum omnibus erunt manifesta. Unde illud: Revelabo pudenda tua in facie tua, &c. *Job. 14* *2 Cor. 5* *1 Thes. 5* *Prov. 6* *Rom. 6* *Dan. 14* *Nahum. 3*

Locus judicii erit in valle Josaphat: & hoc multiplici ratione. Primo, quia locum judicii oportet C esse communem: sed Hierusalem, & terra adiacens videtur esse communis, cum sit quasi medius nostræ habitationis locus. Secundo, quia debet esse publicus: sed locus prædictus est famosissimus propter opera nostræ redemptionis, que ibidem gesta sunt. Tertio competit locus ille ratione negotii, quia tractandum est ibi opus misericordiæ & justitiæ. Mons Oliveti, qui est apud illam vallem, designat misericordiam: Josaphat autem, quod interpretatur judicium, designat justitiam. *Joel. 3*

Caput XVIII.

De judicantibus.

NOn solum secundum potestatem divinam, sed etiam in forma humana Christus judicabit: quia in jurisdictione ordinaria judicabit, ut Deus, cum tota trinitate: sed in jurisdictione delegata judicabit, ut homo.

Unde nota, quod quinque sunt modi judicandi. Primus modus est primæ auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas. Secundus modus est secundæ auctoritatis, quo judicabit Christus, ut homo. Tertius est accessoriæ dignitatis, quo judicabunt Apostoli, & viri perfecti qui cum judice eminentius residebunt vel judicabunt, tamquam, melius scientes leges & consuetudines regni Dei, quibus implendis, & sciendis operam dederunt. Quartus est approbationis, quo judicabunt omnes sancti, & etiam Angeli. Quintus modus judicandi est culpam judicandorum manifestare, sic etiam mali judicabunt. *1 Cor. 6*

In judicando Christus habebit duos actus oppositos: unum passive, & alium active. Primus vero est infirmitatis, & alius potestatis. In primo enim adventu Christus venit ad judicium passive, in secundo veniet ad judicium active. In primo venit in forma infirma, in secundo apparebit in forma gloriosa. Hinc est quod Christum in judicio videbunt justi tam in natura divinitatis, quam humanitatis, a malis autem nullo modo videri poterit in forma divinitatis: & hoc duplici ratione. Primo propter defectum dispositionis in ipso vidente, quia natura sine gratia non sufficit ad Dei visionem. Secundo, propter demeritum delectationis, quæ est in visione divinitatis: quia videre Deum, secundum Joannem, vita æterna est: quæ non potest communicari reprobis. *Joan. 17*

Ex prædictis patet, quod Christus apparebit blandus justis, & terribilis injustis, sicut dicit Gregorius: Quod figuratum est in columna nubis in A die, & ignis in nocte. Videbunt mali humanitatem Christi, ut timeant: & non divinitatem, ne gaudeant. Boni autem utramque Christi naturam videbunt. Stigmata quoque Christus monstrabit, & insignia passionis suæ, scilicet crucem, clavos, &c. Sedebit quoque Christus supra in eminentiori loco cum sanctis, mali vero subtus in terra, quam dilexerunt. Et merito tunc Christus judicium exercebit, tum quia vere scit merita singulorum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi: tum quia non est reus de aliquo illorum, de quibus judicabit. Non enim fecit peccatum, nec inventus est dolus in ore ejus: & hæc duo præcipue decent judicem. *Joan. 20* *Coloss. 2* *Joan. 8* *Isa. 53* *1 Pet. 2* B

Caput XIX.

De judicandis.

ORdines quatuor erunt in judicio. Quidam enim judicabuntur, & damnabuntur, ut quorum merita damnabilia permixta sunt aliquibus bonis, sicut illorum, qui habuerunt fidem sine operibus. Quidam judicabuntur & salvabuntur, ut quorum merita bona permixta sunt aliquibus venialibus malis. Quidam non judicabuntur, & damnabuntur, ut quorum mala merita omnino impermixta sunt bonis, ut qui caruerunt fundamento fidei. Quidam vero non judicabuntur, sed judicabunt & salvabuntur, ut quorum merita bona impermixta sunt malis, sicut perfectorum pauperum Christi, de quibus in Matthæo: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c. C *Matt. 19*

De prædictis quatuor ordinibus nota, quod omnes homines judicabuntur judicio retributionis, sed non judicio disceptationis. Infideles enim, quia non fuerunt cives civitatis Dei, tamquam hostes sine ulla meritorum discussione, & audientia punientur. Fideles vero mali tamquam cives cum meritorum discussione, & audientia punientur. Justi vero non judicabuntur, ut eorum merita de novo discutiantur, an bona vel mala sint:

sint: sed ut bonorum præeminentia A in omnibus manifestetur, & ut contra malos appareat justa sententia damnationis.

Duæ sententiæ ferentur in judicio: una pro bonis, alia contra malos. Sententia pro bonis continet septem calausas. Prima est amabilis vocatio, ibi: Venite. Secunda, divina benedictio, ibi: Benedicti. Tertia, paterna dilectio, ibi: Patris mei. Quarta est, remunerationis retributio, ibi: Percipite. Quinta est regni assignatio, ibi: Regnum. Sexta est gloriæ præparatio, ibi: Quod vobis paratum est. Septima est æterna prædestinatio, ibi: Ab origine mundi.

Item sententia contra malos continet in ipsa sex clausulas. Primo, a B Deo separationem, cum dicitur: Ite. Secundo, maledictionem, ibi: Maledicti. Tertio, incarcerationem, per hanc præpositionem: In, designatam. Quarto, pœnæ acerbitatem, ibi: Ignem. Quinto liberationis desperationem, ibi: Æternum. Sexto, dæmonum associationem, ibi: Qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

Caput XX.

De innovatione mundi.

Terminato judicio statim erit innovatio mundi, quæ non complebitur quamdiu peccator est in mundo, id est, quousque detrudatur in infernum. Sicut enim ille maximus ignis C elementa purgabit, cum habeat virtutem expulsivam formæ extrinsecæ: sic mundum innovabit, cum habeat virtutem subtiliativam.

Mundum autem innovari, id est, pulchriorem formam accipere, ostenditur multiplici ratione: Primo, quia sicut dignum fuit, quod elementa purgarentur pro eo, quod infecta erant, propter peccatum hominis, ita dignum est, ut mundus innovetur, propter glorificationem hominis. Secundo, ut creaturæ remunerentur pro labore, quo homini servierunt. Tertio, ut totus mundus, prout est possibile, conformetur homini glorificato. Quarto, quia mundus factus est, ut homo nunc per speculum creaturæ Deum cognosceret, quem in sua natura videre non potuit. Unde in futuro oportet speculum meliorari, & purgari, ut in pulchritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris: hoc autem non erit ad necessitatem, quasi Deus aliter videri non possit, sicut modo: sed ad jucunditatem, ut scilicet delectationi visionis intellectualis addatur delectatio visionis sensualis.

Orbes autem cœlestes & sidera propter impermixtionem nulla indigebunt purgatione sicut elementa, sed tantummodo motus cessatione, & ideo innovabuntur, sed non purgabuntur. Innovatio autem in illis duo requirit, scilicet motus cessationem & claritatem splendoris ampliorem, quando stabit Sol in Oriente, & Luna in Occidente, ubi creati sunt. Hujus dicti hæc est ratio, quia corpora superiora facta sunt ad usum hominis dupliciter. Uno modo propter necessitatem corporis, scilicet statum generationis & corruptionis: & ideo cessante illo cessabit motus. Alio modo propter delectationem in pulchritudine creaturæ, & propter cognitionem Dei in illis, ideo lux illorum non cessabit, sed magis augebitur.

Circa elementa autem nota, quod terra erit sicut crystallus, & complanabitur. Aer erit clarior, nec habebit impressiones, quas modo habet, quia non erunt nubes, neque venti neque pluviæ, neque ros, neque nix, neque tonitrua, neque fulgura. Ignis etiam, & aqua fient puriores: & manebunt non solum secundum substantiam, sed etiam secundum suas qualitates, quas habebunt quantum ad habitum, sed non quantum ad usum. quia cum in his duobus elementis magis vigeant qualitates activæ, scilicet frigiditas in aqua, & caliditas in igne, magis sunt generationis, & corruptionis principium: & talis effectus illorum non erit amplius, propter hoc dicuntur interire. Vel ideo secundum aliquos dicuntur hæc duo elementa interire, quia Dominus ea intercidet in illis, teste Basilio super Psalmos: Vox Domini intercidentis flammam ignis, ita quod calidum ustivum Psal. 28

&

& frigidum glaciale tendent inferius, perspicuum autem in aqua, & lux in igne manebunt: quia de omnibus elementis ignobile tendet deorsum, sicut grossum, & terrenum, & opacum, ac tenebrosum, & hujusmodi.

Patet ergo quod cœlum & terra transibunt quantum ad formam; sed non quantum ad substantiam. Patet etiam ex prædictis terminari transmutationes elementorum, & generationes animalium & plantarum, quia causæ illorum cessabunt, & propter ista dicuntur elementa interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem & passionem. Corpora vero cœlestia habita quiete & lumine clariori, dicuntur renovari. Verumtamen illa, quæ sicut dictum est, intereunt, in homine salvabuntur, qui similitudinem habet cum omni genere creaturæ, & propter hæc in hominis innovatione & glorificatione possunt dici omnia renovari.

Caput XXI.

De pœnis inferni.

Sicut patet divina potentia in creando, sapientia in gubernando, clementia in reparando, sic patebit divina justitia in puniendo. Dignum est enim, ut non remaneat dedecus culpæ sine decore justitiæ.

Licet autem peccatum sit transitorium, tamen erit pœna perpetua, multiplici ratione. Prima quia homo peccavit in suo æterno, ideo punietur in æterno Dei. Secunda, quia materia ignis infernalis est æterna, sic & peccati macula: ideo & pœna. Tertia, quia peccatum est contra illum, qui est infinitus: unde, & pœna debet ei esse infinita, non quidem acerbitate, sed duratione. Quarta, quia homo per peccatum perimit in se bonum, quod posset esse æternum bonum: & ideo merito perpetuum incurrit malum. Quinta, quia mala voluntas reproborum æterna est, vellent enim in peccato, si possent, perpetuo delectari: & ideo perpetuo debent puniri. Sexta, quia in infinitum errat rationalis, cum A præponit finitum infinito in judicando: similiter concupiscibilis in appetendo, & irascibilis in adhærendo: unde & merito pœna erit infinita. Septima, quia damnatus de peccato perpetrato, numquam habebit veram pœnitentiam: ideo Deus numquam mutabit punitionis illius sententiam. Octava, quia peccatum a vita perpetua separat, scilicet a Deo: ideo mortem perpetuam peccator incurrit.

Post rationes inducam exempla de eadem materia. Videmus enim quod emptio momentanea dat jus possidendi perpetuum. Item vulneratio momentanea dat mortem perpetuam. Item casus in foveam temporalis est, detentio perpetua. Item crimen læ- B sæ majestatis temporale est, servitus perpetua. Item plaga temporalis est, livor perpetuus.

Quoniam in peccato est delectatio cum contemptu Dei, merito præcipitatur peccator in locum infimum & despectum, & maxime a statu gloriæ Dei elongatum, scilicet in infernum, ubi a despectis rebus puniatur, scilicet a fæcibus corporum mundanorum, quia in innovatione mundi quidquid est ignobile in mundo, ad locum pœnarum defluet, & ibi horrorem carceris multiplicabit.

Caput XXII.

De diversitate pœnarum.

C Cum in damnatis sit diversitas peccatorum, erit & diversitas pœnarum. Unde cum in peccato sit aversio a Creatore, & conversio ad bonum commutabile, & deordinatio voluntatis contra dictamen rationis, merito pœna variabitur propter ista. Unde propter aversionem erit carentia visionis divinæ, sed propter conversionem erit pœna materialis incendii, propter deordinationem autem rationis & voluntatis erit pœna universalis: quæ consistit in afflictione varia, acerba, & æterna.

Ignis autem infernalis non omnes æqualiter cruciabit, sed ab eodem igne alii plus, alii minus torquebuntur, secundum quod plus aut mi-

minus peccaverunt, ficut ab eodem igne aliter uritur palea, & aliter lignum.

Quamvis autem ignis ille fit corporeus, nec possit agere in spiritum, ipsum calefaciendo: agit tamen in ipsum, ut instrumentum divinæ justitiæ, ipsum lædendo: & ille dolor est maximus, tum propter potentiam divinæ manus ipsum ignem moventis, tum propter sensibilitatem patientis, tum propter immediationem conjunctionis. *Luc.* 16

Infernus est locus tenebrosus, cum sit locus justitiæ. Lumen autem cum sit delectabile, tamen ingerit tristitiam per accidens, scilicet inquantum ostendit aliquid triste. Unde in inferno est aliquid obscuri luminis, quo damnati videre possint unde doleant, & non unde lætentur.

B

Reprobi vident usque ad diem judicii gloriam beatorum in universali, non in particulari: quia vident eos in magna gloria, sed non in quali. De hujusmodi autem visione non lætantur, sed tristantur, tum propter invidiam alienæ felicitatis tum propter carentiam propriæ beatitudinis. Post judicium vero ad proprias pœnas ita deflectetur eorum consideratio, quod de Sanctorum gloria non cogitabunt. *Luc.* 16 *Mat.* 13

In damnatis erit fletus spiritualis, scilicet dolor interior, & non fletus corporalis, qui est cum resolutione lacrymarum, quia cessante cœli motu, nulla jam erit generatio vel corruptio. Vermis autem, quem Dominus in Isaia comminatur, nequaquam materialis est: quia nullum animal præter hominem remanebit. Erit autem ibi vermis conscientiæ, rodens animam, & non corpus. In summo loco sola est lætitia. In loco infimo sola est tristitia. In medio, hoc est, in mundo, hæc sunt modo permixta. *Isa. ult.*

C

Post diem judicii tria tantummodo loca erunt habitata, scilicet cœlum, infernus, & limbus. Quot sint loca pœnarum require in libro quarto, De descensu Christi ad inferos.

Octo genera pœnarum in legibus esse scripsit Tullius, scilicet damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Hæc omnia possunt pœnis infernalibus adaptari. Primum patet, quia damnati amiserunt Deum, & omnia bona tam gratiæ, quam gloriæ, non solum in re, sed etiam in spe. Non remanebit testa, ut hauriatur parum aquæ de fovea, scilicet divinæ misericordiæ, aut deportetur igniculus de incendio, scilicet charitatis: quia secundum Jeremiam, transiit æstas, consummata est messis. De secundo: Ligatis manibus & pedibus, &c. De tertio: Mallei percutientes impiorum corporibus. Istud autem non intelligitur de malleis materialibus, sed de diversitate pœnarum, quibus impii melleantur. De quarto: Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, &c. De quinto. Facies combustæ vultus eorum. Imo tam ignominiosum erit corpus peccatoris, quod anima resumens ipsum stupebit, quando tam terribile illud videbit, & vellet habere tale sicut fuit, quando dimidium comestum fuit a vermibus. De sexto: Proiicite eum in tenebras, &c. De septimo, Gregorius: Ibi mors semper vivit: & hæc, sicut dicitur in Apocalypsi, erit mors secunda. De octavo: Princeps Provinciarum facta est sub tributo. *Isa.* 30 *Hier.* 8 *Prov.* 19 *Apoc.* 18 *Isa.* 13 *Mat.* 22 *Apoc.* 20 *Thren.* 1

Nota, quod damnati sub tributo pœnarum semper servient, & tamen numquam persolvent. Ex prædictis collige, quod erit ibi calor ignis, stridor rigoris, tenebræ, fumus, lacrymæ, mœrores, aspectus dæmonum, clamor improperii, ariditas, sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, invidia, rancor, carentia visionis divinæ, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse quod omnis creatura appetit, erit eis pœna, quia quærent mortem naturalem, & non invenient. Ibi erit, sicut ait Dionysius; proterva phantasia, demens concupiscentia, & furor irascibilis. *Apoc.* 9

Caput XXIII.

De gloria Sanctorum.

UNumquodque tanto perfectius est, quanto magis conjungitur essendi principio. Homo autem qui perfectum esse expectat, duplicem habet finem ultimum, unum extrinsecum, qui est beatitudo creata, quæ nos in patria beatificabit formaliter; alium habet finem intrinsecum, qui est beatitudo increata, quæ nos beatificabit effective, scilicet ipsum Deum: Prima, scilicet beatitudo creata, est tamquam finis quo. Secunda vero, scilicet increata tamquam finis, in quo quiescitur.

Alio modo judicabant Philosophi de beatitudine: sed male. Dicebant enim Stoici beatitudinem in virtute animi consistere. Peripatetici vero in cognitione veritatis, Epicurei autem in voluptate. Nos autem dicimus duplicem esse beatitudinem, sicut dictum est. Deus enim remunerat suos secundum merita. Apostolus: Unusquisque propriam mercedem accipiet, &c. *1 Cor. 3* Propter merita: Gratiam pro gratia. *Joan. 1* Ite & vos in vineam meam, &c. *Matt. 20* Supra merita, unde illud: Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, &c. *Luc. 6*

Caput XXIV.

De dotibus in communi.

DOs in patria est illud, quod immediate animam De conjungit: ut est visio, dilectio, & comprehensio. Sunt enim dona quædam patriæ, sicut est sapientia, & intellectus, quæ licet Deo animam conjungant, non tamen sine habitu medio: & propter hoc non dicuntur dotes, sed animæ præmiationes. Dotes enim non appellantur dona quælibet, quæ dantur animæ in introductione sui in gloriam, sed dona præcipua, per quæ ad actum vitæ gloriosæ disponitur: sicut in præsenti non appellatur proprie dos quodcumque donum datum sponsæ in sua traductione, sed donum præcipuum, de quo sustentari debeat.

A Dotes sunt duplices. Quædam enim sunt a parte animæ, quibus Deo, tamquam principio vitæ suæ, sine habitu medio conjungitur: & per quas introducitur in amplexus sponsi sui indissolubiles, & fruitionem ejusdem. Quædam vero dotes sunt ex parte corporis, quibus ipsum corpus subiicitur animæ suæ, tamquam principiò vitæ suæ, ne per ipsum anima ab actu gloriæ retardetur.

Notandum autem quod dotes animæ sunt de præmio substantiali, dotes autem corporis de præmio accidentali. Christus dotes non habet, *Joan. 3* quia sponsus est, sed anima sponsa: & est dos possessio sponsæ, quæ usum ejus habebit post mortem viri. Si-B militer, nec Angeli dicuntur habere dotes, quia cum in nuptiis sit consensus animorum, & unio corporum, secundum non est in Angelis, licet primum habeant. Unde Angeli non possunt dici sponsæ, ut homo: ergo nec dotes proprie habebunt.

Sponsis carnalibus dantur tria, scilicet dos, donatio propter nuptias, & paripherna. Dos auem est, donatio facta sponsæ ex parte patris, & hoc ad usum sponsi propter onera matrimonii, sed ad possessionem sponsæ. In divinis autem Deus Pater dat sponsæ dotem ad possidendum, sed sponso Christo ad gloriam & honorem, & non ad usum: quia bonorum nostrorum non eget. Donatio *Psal. 15* C autem propter nuptias est, quæ a sponso datur sponsæ, & hoc erit in futuro, gaudium quod habebit anima in visione Christi hominis. Parapherna sunt, quod habet sponsa præter dotem, sicut sunt munera, quæ ei dantur ab amicis, & hujusmodi. Istud erit in patria per gaudium; quod habebit anima de societate beatorum, & de congratulatione felicitatis eorum.

Caput XXV.

De dotibus animæ in generali.

DOtes animæ sunt tres, scilicet cognitio, dilectio, & inhæsio, sive tentio, quæ a quibusdam, appellatur comprehensio, a quibusdam vero fruitio. Harum dotium nume-

rus multipliciter accipitur: primo ex parte virtutum Theologicarum, quia cognitio succedit fidei, dilectio vero charitati, comprehensio autem spei. Accipitur alio modo ex parte potentiarum animæ. Cognitio autem potest appropriari intelligentiæ, dilectio voluntati, comprehensio memoriæ. Appropriantur etiam a quibusdam aliis tribus potentiis, scilicet rationali, concupiscibili, & irascibili. Sensitiva non possunt intelligi, quia Deus non est obiectum potentiæ sensitivæ, sed intellectivæ. Possunt etiam prædictæ dotes accipi secundum tria, quæ tribus personis appropriantur: ita ut comprehensio respiciat Patris potentiam, cognitio Filii sapientiam, & B dilectio bonitatem Spiritus sancti. Circa istas dotes nota, quod cognitio rei visæ in se ponit præsentiam, comprehensio ponit rei contingentiam, dilectio ponit amantis ad rem amatam colligantiam.

Caput XXVI.

De dotibus animæ in speciali.

PRima dos animæ est cognitio, qua divina essentia videbitur tota ab omnibus, sed non totaliter prout est infinita. Videbitur tamen divina essentia limpidius ab uno, quam ab alio: & iste defectus erit ex parte videntis, non visi: quia C idem erit visum. Beatitudo autem consistit in perfecta operatione potentiæ altissimæ, scilicet intellectivæ & circa obiectum altissimum, scilicet Deum. Ex parte igitur obiecti, cum sit unum simplicissimum, nulla potest esse diversitas, sed ex parte potentiæ. Nam in quantum una potentia magis erit perfecta lumine gloriæ, quam altera, tanto perfectius operabitur circa unum & idem subiectum, sive obiectum, sicut idem Sol diversimode a diversis aspicitur, vel eadem littera a diversis legentibus, secundum quod oculus est magis, vel minus dispositus.

Tribus modis cognoscitur aliquid secundum quod est, vel sicut est. Primo modo cognoscitur Deus in A via etiam a malis. Secundo modo videbitur in patria a bonis. Unde Joannes: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, id est, suam majestatem, claritatem, & bonitatem. Tertio modo nec a bonis videbitur, nec a malis, nec in via, nec in patria: quia finitum numquam capiet infinitum. Videbimus tamen Deum in se, & Deum in nobis, & nos in Deo: & Deum in creaturis, & creaturas in Deo. 1 Joan. 3

Cognoscere autem Deum in sua essentia, est visio meridiana: cognoscere vero creaturas in verbo, est visio matutina, sed cognoscere creaturas in se, hoc est, in proprio genere, appellatur visio vespertina. Videbit enim unusquisque cogitationes alterius, prout vult ipse cogitans manifestare. Unde Gregorius: Uniuscuisque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. Videbunt itaque justi Deum, ut gaudeant: videbunt gloriam Sanctorum, ut congaudeant: videbunt quoque pœnas reproborum, ut de evasione periculorum gratias agant.

Ad sciendum autem qualiter Deus sine medio videatur, nota quod triplex est medium, scilicet differens, obnubilans, & disponens. Sine medio igitur differente videbitur Deus: quia Dei visio non est per distantiam, sed per præsentiam, cum ipse sit essentialiter ubique. Videbitur etiam sine medio obnubilante: quia tolletur speculum, & ænigma, quæ ambo sunt in via. Cum enim visus noster in præsenti non possit propter debilitatem in excellentem lucem figi, necesse est habere medium, scilicet speculum creaturæ. Quia vero infinita est distantia inter speculum, & rem visam: propter hoc obscure relucet ibi similitudo: unde videmus in ænigmate, id est, obscure. Videbitur quoque sine medio similiari: quia Deus cognoscetur in seipso, & non per aliquam abstractam similitudinem, alias creatura esset terminus, & Deus non esset vere finis omnium. Non autem videbitur Deus sine medio disponente, quod est gratia, & gloria. Oportet enim proportionem esse inter videntem & visum: hæc autem dispositio erit ex parte videntis, & non rei visæ. 1 Cor. 13

Scien-

Isa. 59 Sciendum autem quod multiplex est A medium. Primum est medium peccati. Peccata vestra diviserunt inter vos & Deum vestrum: istud est medium impiorum. Secundum est medium creaturæ. Apostolus: Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, &c. hoc est medium Philosophorum. Tertium est medium figuræ. Apostolus: Omnia in figura contingebant illis, hoc est medium Prophetarum & Patriarcharum. Quartum est medium scripturæ: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis, hoc est medium Theologorum. Quintum est medium fidei: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi, &c. hoc est medium fidelium, quo tamquam in ænigmate vident Deum.

Rom. 1

2 Cor. 10

Psal. 118

Apoc. 2

Secunda dos animæ est dilectio, sed inter dilectionem & virtutem differentia est duplex: una est secundum habitum: quia virtus est proprie illud, quod transit de statu gratiæ, ad statum gloriæ. Dos autem est id, quod supra meritum datur in inductione sponsæ. Alia est differentia, ut penes objectum, quia licet objectum utrobique erit Deus, non tamen secundum quod Deus, sed erit objectum virtutis inquantum est summa bonitas: objectum autem dotis inquantum unibilis in unum spiritum.

1 Cor. 13 Nota quod fides & spes secundum C rem evacuabuntur in patria: charitas vero neque secundum rem, neque secundum actum ejus evacuabitur, sed solum secundum modum; quia imperfectio ejus tolletur. Dicit autem Augustinus, quod fidei succedit spes, quam videbimus: spei vero succedit beatitudo, ad quam perventuri sumus, sed charitati nihil succedet, sed potius augebitur.

Tertia dos animæ est comprehensio, quæ est tentio visi & amati, vel tentio veri boni & præmii: & istud verum est, prout comprehendere sumitur pro attingere, & non pro circumplecti divinam immensitatem.

CAPUT XXVII.

De dotibus corporis in generali.

Unaquæque pars perfectius habet esse in suo toto, quam in se. Unde sicut anima nunc a corpore corruptibili separata perfectius habet esse, quam ei conjuncta, sic in futuro reconjuncta corpori incorruptibili perfectius esse habebit, quam modo separata: maxime cum non impediatur tunc a corpore, sicut modo: quin potius de glorificatione corporis habebit tunc gaudium speciale.

Dotes corporis sunt quatuor, qua- B rum numerus sic habetur. Nam ad hoc quod corpus perfecte subjectum sit animæ, nec impediat eam in operibus gloriæ, quatuor requiruntur: quorum duo pertinent ad sensum: alia duo pertinent ad motum. Quoad sensum duo requiruntur. Unum, ut sit facile receptibile specierum sensibilium, ad quod disponit claritas. Alterum, ut non sit receptibile passionum ignobilium, ad quod disponit impassibilitas. Quoad motum etiam duo requiruntur. Unum est, ut per contrariam inclinationem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas. Aliud, ut corpora per quæ movetur, non resistant ei, ad quod disponit subtilitas.

Alia sufficientia talis est, quia in homine quadruplex est compositio: Prima est qualitatum contrariarum: hæc compositio tunc erit perfecta, quando qualitates ita æquabuntur, ut nulla sit pugna unius contra aliam: & hoc faciet impassibilitas. Secunda est compositio materiæ cum forma, hæc autem compositio tunc erit perfecta, quando materia vincetur a forma: penes hanc perfectionem sumitur subtilitas. Tertia est compositio corporis organici cum anima: perfectio istius compositionis est, quod omnia organa sine impedimento sint mobilia ab anima: penes hanc perfectionem sumitur agilitas. Quarta compositio est corporis cum spiritibus lucidis, quibus movetur corpus ab anima: & huic compositioni secun-

dum

dum perfectum statum respondet claritas.

Tertio sumitur prædictarum dotium numerus secundum proprietates, quæ sunt in elementis. Nam penes aquæ transparentiam sumitur claritas, penes terræ soliditatem sumitur impassibilitas, penes tenuitatem ignis sumitur subtilitas, penes mobilitatem aeris sumitur agilitas.

Quarto sumuntur istæ dotes secundum quatuor defectus, quos habet corpus humanum a quatuor elementis, de quibus componitur. Habet enim corpus humanum ab igne caliditatem, & inde nigredinem: a terra grossitiem: ab aere passibilitatem: ab aqua frigiditatem, & inde tarditatem. Sed tolluntur, per quatuor dotes corporis.

Matth. 17 Mar. 6 Luc. 22 Christus assumpsit quatuor dotes ante passionem suam, sicut dicit Hugo de sancto victore. Claritatem in transfiguratione. Agilitatem, quando ambulavit supra mare: Subtilitatem in nativitate, quia salva virginali integritate matris natus fuit. Impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis suis manducandum dedit.

Caput XXVIII.

De dotibus corporis in speciali.

PRima dos corporis est claritas. Sed nota quod aliquid dicitur clarum dupliciter, aut quia pervium, sicut dicitur vitrum clarum: aut quia lucidum, sicut dicitur stella clara. Corpus autem glorificatum erit & pervium & lucidum: unde utroque modo erunt corpora clara. Duo enim sunt, quæ nunc causant obscuritatem in humano corpore: Unum est materiæ impuritas: alterum luminis paucitas. Tunc vero tolletur utrumque, scilicet illa impura densitas, & obscuritas, quæ ex modicitate luminis est: & ideo erunt corpora clarissima.

Matt. 13 Nota quod corpora glorificata, septies tunc erunt clariora, quam Sol sit modo, sicut Dominus ait: Quia justi fulgebunt sicut Sol. Sed teste

Isa. 30 Isaia: Erit lux Lunæ, sicut lux Solis: & lux Solis septempliciter sicut lux septem dierum.

Sciendum quoque quod corpora Sanctorum non erunt æqualiter clara, quia melior anima habebit corpus lucidius. Unde licet corpus Christi supra modum excedat claritatem aliorum, tamen in comparatione Sanctorum, potest claritas ejus assimilari claritati Solis, secundum illud Malachiæ: Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, id est, Christus. Claritas Sanctorum potest respectu Christi comparari claritati stellarum. Unde Apostolus: Stella differt a stella in claritate, hoc est, quod Sancti plus vel minus lucent, secundum differentiam meritorum: Claritas vero puerorum, qui post Baptismum moriuntur, antequam veniant ad annos discretionis, comparari potest lumini Lunæ: quia sicut Luna non habet lumen a se, sed a Sole, ita isti non habent gloriam ex merito proprio, sed ex merito Christi. Baptismus enim ex passione Christi habet efficaciam. Secunda dos corporis est impassibilitas, quæ resultat ex virtute animæ corpus suum potenter continentis, ita ut a nullo exteriore agente valeat immutari. Mal. 4 1. Cor. 15

Præterea quamvis corpora Sanctorum sint composita ex contrariis, illa tamen contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem, & concordiam redacta.

Dixerunt quidam, quod impassibilitas sanctorum corporum resultabit ex natura quinti corporis, id est, quintæ essentiæ. Sed hoc non est verum, quia nihil de quinto corpore venit in compositionem materialem corporum inferiorum.

Differentia est inter impassibilitatem Sanctorum, & Adæ in statu innocentiæ, & puerorum, quia impassibilitas Sanctorum erit non posse pati. Impassibilitas Adæ fuit posse non pati. Impassibilitas puerorum in limbo erit nihil pati: & hoc non est potentia resistendi læsionis exterinsecæ, quam non habebunt, sed ex ordinatione divinæ misericordiæ, quæ non permittit aliquid eis adhiberi per quod possint lædi.

Ex

Ex quo patet, quod si tales pueri ponerentur ad ignem post resurrectionem, læderentur ab eo, nisi obstaret divina misericordia. Secus est de corporibus glorificatis, quæ etiamsi ponerentur in inferno, non sentirent aliquam læsionem.

Subtilitas est tertia dos, quæ aufert grossitiem corporis causatam ex materialitate elementi, & compositione elementalium qualitatum. Nota ergo, quod duplex est subtilitas: Una ex raritate partium stantium non propinque, sed ex tali subtilitate efficitur corpus facile divisibile, & ea non erit in corporibus glorificatis. Alia est ex perfecta victoria formæ super materiam: & hujusmodi subtilitas est unitæ substantiæ, sicut dicitur cœlum subtile & hoc modo erunt corpora sanctorum subtilia.

Et est sciendum, quod sicut duo corpora non glorificata non possunt esse simul in eodem loco, sic nec duo glorificata. Alioquin sequeretur inconveniens, scilicet quod in unoquoque corpore glorificato esset potentia agendi ac intrandi partes alterius corporis: in alio vero esset impotentia resistendi: Corpus vero glorificatum potest esse simul in eodem loco cum corpore non glorioso. Nam sicut in corporibus non gloriosis ipsa grossities impedit, ne duo corpora possint esse in eodem loco, quia unum alteri resistit: ita grossities ista per gloriæ subtilitatem tolletur: adeo quod corpus non gloriosum non possit resistere glorioso, ita quod corpora gloriosa penetrabunt alia corpora, non ea dividendo, sed subintrando, manente distinstione dimensionum utriusque corporis.

Aug. l. 22 de Civit. c. 30 t. 5 Quarta dos corporis est agilitas, quæ tanta erit, sicut dicit Augustinus, quod protinus ubi volet spiritus, ibi erit & corpus. Verumtamen sicut melior anima habebit corpus lucidius, & ita & agilius: ita tamen quod voluntas Sanctorum erit omnino conjuncta rationi. Unde voluntas eorum numquam appetet, quod non debet. Sed enim voluntas animæ melioris volet rationabiliter citius moveri corpus suum, quam alterius: & spiritus minoris gloriæ non volet corpus suum tam cito moveri, sicut alterius. Unde patet quod in omnibus verificabitur dictum Augustini, quod ubi volet spiritus, protinus erit & corpus. Quare corpora modo sunt tarda, & tunc agilia, hæc est ratio, quia tunc in corpore duplex est motor, scilicet natura elementi prædominans, quæ movet ad medium locum, & voluntas animæ, quæ movet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda sunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, quia terra prædominans naturaliter deorsum trahit. In futuro autem natura erit totaliter subjecta voluntati, unde & tunc corpus movebitur ad imperium spiritus.

Caput XXIX.

De aureolis in genere.

Aureola est mentis speciale gaudium, veniens ex opere præcellenti & privilegiato. Sciendum autem quod sicut ex gaudio præmii essentialis, quod est aurea, redundat in corpore quidam decor, qui est gloria corporis: ita & ex aureolæ gaudio resultat aliquid speciale in corpore, ut sic aureola non tantum principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Sciendum autem quod decor cicatricum, qui in martyrum corporibus apparebit, non potest dici aureola: quia martyres aliqui cicatrices non habebunt, utpote qui submersi sunt, vel famis inedia, vel squalore carceris interempti: & tamen isti aureolam habebunt.

Tribus generibus hominum debetur aureola: quod patet multiplici ratione. Primo ex operibus excellentissimis trium animæ potentiarum. Excellentissimum autem opus concupiscibilis, est observatio castitatis virginalis. Excellentissimum vero opus rationalis, est prædicatio veritatis. Excellentissimum opus irascibilis, est perpessio mortis. Unde patet quod virginibus, prædicatoribus,

bus, & martyribus debetur aureola.

Secundo patet horum numerus & sufficientia ex hostibus, quos per pugnas magnificas vincimus, qui sunt mundus, caro, dæmonia. Martyres enim vincunt mundum: Virgines carnem: Prædicatores diabolum: quem non solum de se, sed etiam de cordibus aliorum expellunt.

Tertio, patet id per victoriam triplicium passionum. Sunt enim passiones innatæ, illatæ, & in cordibus alienis inflictæ. Sed passiones innatas superant virgines: illatas martyres: illas autem quæ sunt in cordibus alienis, prædicatores.

Quarto, distinguuntur aureolæ secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur. Christus enim fuit doctor, veritatem mundo manifestando: Martyr, a mundo passionem & mortem sustinendo, Virgo, puritatem servando.

Exod. 25 *Exod. 37* Quinto, sumuntur aureolæ secundum præfigurationem in veteri Testamento. Tria namque habebant aureolas, ut legitur: scilicet altare incensi, arca fœderis, & mensa propositionis. Prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare passionis immolaverunt. Secunda significat aureolam virginum, quia sicut arca fœderis fuit intus & extra auro decorata: ita virginitas mentem & corpus decorat & ornat. Tertia significat aureolam prædicatorum, qui sunt in mensa propositionis ministrantes panes prædicationis & doctrinæ.

Aureola diminutive dicitur, & hoc in comparatione ad auream. Unde nota, quod inter auream, & aureolam, & palmam est differentia. Aurea enim præmium est substantiale, quod metaphorice dicitur corona, tum ex parte meriti, quia non respondet generi operis, sed radici charitatis, tum ex parte præmii, quia per hoc efficitur homo particeps divinitatis: & per consequens regiæ potestatis: tum etiam ratione perfectionis, quod significat figura circularis. Aureola vero est præmium accidentale, non tamen quodlibet accidentale, sed illud quod respondet operi excellenti, & privilegiato, sci-

A licet virginitati, martyrio, & prædicationi. Palma est præmium accidentale, quod nec radici, nec operi debetur, sed voluntati. Tale præmium habuit S. Martinus, eo quod martyrium desideravit, licet opus non fuerit subsecutum: unde de ipso cantatur. Quam, scilicet animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit. Hæc autem palma, nec aurea, nec aureola debet dici.

Caput XXX.

De aureolis in specie.

B Aureola prima debetur martyribus, in quibus est perfectissima victoria de impugnatione exteriori: & hæc perfectio victoriæ consideratur ex duobus: Primo, ex magnitudine passionis: quia inter omnes passiones illatas exterius, mors supremum tenet locum. Et præterea dolor tactus omnibus aliis doloribus præeminet: & ideo in hoc gloriosior victoria est. Secundo, consideratur ex causa pugnæ, quæ ipse Christus est. Martyrem enim non facit pœna, sed causa, id est, mors propter Christum suscepta.

Sciendum autem quod martyrio non debetur præmium, secundum quod ab exteriori, sed secundum quod voluntarie pro Christi nomine C sustinetur: quia non meremur nisi per ea, quæ sunt intra nos, non per ea, quæ sunt extra nos, sicut nec de meremur nisi per ea quæ sunt intra nos. Quanto autem id quod quis voluntarie sustinet, difficilius est voluntati sustinere, tanto voluntas quæ propter Christum id sustinet, ostenditur firmius in Christo fixa: & ideo excellentius ei præmium debetur.

Aureola secunda debetur virginibus, propter singularem victoriam, quam de carne obtinent, contra quam quotidie bellum geritur. Quamvis autem & viduæ pugnent contra carnem, perfectius tamen virgines triumphant; quia nobilissimum genus victoriæ est numquam hosti cessisse. Illis autem virginibus tantummodo

de-

debetur aureola, qui vel quæ habuerunt propositum servandi virginitatem, quamvis hoc propositum sit interruptum, integritate tamen carnis manente: dummodo in fine vitæ inveniantur ad primum propositum rediisse: quia virginitas mentis reparari potest, sed non virginitas corporis, sive carnis. Si aliqua sit carne virgo, etiamsi propositum non habuit perpetuo servandi virginitatem, non est tamen dubium quin habitura sit speciale gaudium de incorruptione carnis, & superessentiale gaudium: sicut etiam innocentes de hoc gaudebunt, quod immunes a peccato fuerunt: quamvis peccati opportunitatem non habuerunt.

Nota quod aliqua potest corrumpi carne, nec tamen aureolam amittit: sicut illa, quæ violenter opprimitur. Unde S. Lucia dixit: Si invitam me corrumpas, merces mihi duplicabitur ad coronam, quod non est intelligendum de aureola duplicata, sed quia duplex præmium reportabit: unum pro integritate servata: aliud pro injuria, quam passa est.

Matt. 13 Insuper sciendum est, quod virginibus debetur fructus centesimus: & hoc quia cœlestem vitam ducunt, quæ significatur per centum: quia numerus ille de læva transit ad dexteram. Viduis debetur fructus sexagesimus, quia tales exercere se debent in operibus misericordiæ, quæ significantur per sexaginta. Conjugatis autem debetur fructus tricesimus, quia talibus sufficit implere decalogum in fide Trinitatis. Ex ductu enim ternarii in denarium fiunt triginta.

Aureola tertia est pugnantium seu prædicatorum, quia perfectissima victoria contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam ipsum de regno ejus expellit: & non
Dan. 12 solum a se, sed etiam ab aliis. Nec est dicendum, ut quidam voluerunt, quod hæc aureola debeatur tantummodo illis, quibus competit prædicare ex officio, & docere, sed quibuscumque exercentibus licite actum istum. Prælatis autem non debetur hæc aureola, quamvis habeant officium prædicandi, nisi & actu prædicent, quia aureola non debetur habitui, sed actui pugnæ, secundum illud Apostoli: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Prædicare 2 Tim. 2
& docere, cum sint actus misericordiæ, inter spirituales eleemosynas computantur.

Caput XXXI.

Enumeratio cœlestium gaudiorum.

Ultimo cœlorum gaudia sub epilogo enumeremus, non quidem singula generum, sed genera singulorum. Tot enim sunt gaudia particularia, quæ quilibet habet in se vel in aliis, quot ea solius Dei notitia comprehendit, & illi quos summa sapientia voluerit ea scire. Tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio: quod tamen non est intelligendum de intensione gaudii, sed de numero gaudiorum. Tot igitur, & tanta sunt ibi gaudia, quot omnes Arithmetici hujus mundi non possent ea numerare, nec Geometrici mensurare, Isa. 64
nec Grammatici, Dialectici, Rhetorici, aut Thoologi explicare: quia 1 Cor. 2
nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor, &c. Gaudebunt sancti supra se de Dei visione, infra se de cœli & aliarum creaturarum corporalium pulchritudine, intra se de corporis glorificatione: extra se de Angelorum & hominum associatione. Deus enim omnes sensus spirituales ineffabili delectatione reficiet, cum ipse sit objectum omnium sensuum spiritualium futurus. Erit namque Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos tactui. Ibi erit candor lucis æstualis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hyemalis. Ibi, teste Augustino, fulget Aug. de Civit. li. 22 cap. 30
quod non capit locus, sonat quod non capit tempus, olet quod non spargit flatus, sapit quod non minuit edacitas, non erit quod divellat satietas. Ibi, sicut ait August. 1 Reg. 14
Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Ibi videbitur stultitia, sa- 2 Reg. 2

pien-

2 Reg. 2 Jud. 14 pientia Salomonis. Ibi erit deformitas, pulchritudo Absalonis. Ibi erit tarditas, velocitas Asaelis. Ibi judicabitur infirmitas, fortitudo Samsonis. Ibi erit mortalitas, longa vita Mathusalem. Ibi erit paupertas, regnum August. Ibi, secundum Augustinum, nihil obest, nihil deest, nihil affluit, nihil est extra, quod appetatur, nihil intra, quod fastidiatur. Ibi, secuudum Bernardum: Deus erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Item Augustinus de corporis & animæ misera vita: O caro, illam vitam amplecti debuisti, ubi vita sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi lux sine tenebris, ubi gaudium sine tristitia, ubi pax sine discordia, ubi voluntas sine injuria, ubi regnum sine mutatione. Bernardus: Merces sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari: tam multa, quod non potest numerari: tam copiosa, quod non potest finiri: tam pretiosa, quod non potest æstimari. Item Augustinus: Illud quod promittit Deus, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transcendit, acquiri potest, ęstimari non potest. Ibi secundum Aug. Carmina non desunt, præmia non deficiunt: ibi nihil quod amabitur, deerit: ibi nihil desiderabitur, quod non adsit. Illa beatitudo, sicut ait Augustinus, in duobus consistit, scilicet, in necessaria præsentia omnis boni, & in necessaria absentia omnis mali. Item Augustinus: O vita vitalis, dulcis & amabilis, & semper memorabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, ubi æterna beatitudo, ubi beata certitudo, ubi certa visio, & sine fine laudatio. Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, & confluentia bonorum.

Gen. 5

Ber. ser. 11 in Cant. post med.

Aug. in manuali c. 7. tom. 9

Denique de gaudiis cœlestibus nota hos versus:

Mens cognoscendo datur amando fruendo
Est subtile, citum, clarum corpus, patiens nil.
Corpora Sanctorum cita, libera, fortia, sana.
Pulcbra, voluptatis plena, sed absque pati pœna.
Sensus, amicitia, concordia plena potestas.
Pax secura, decus, & gaudia sunt animabus
Gaudia, pax, requies, libera, ac secura, juventus
Non peccat sapiens, sanus, duris, redolens laus.
Aureolam Martyr, Doctor, Virgoque meretur.
Fructus centenus, sexagenusque tricenus
Virginibus, viduis, & conjugibus tribuetur.

Ex omnibus prædictis collige, spectare quoddam gaudium solum ad animam, quoddam ad corpus, quoddam ad totum conjunctum, quæ cum felici fine quisque beatus secundum merita recipiet sine fine. Amen.

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

COMPENDIOSUM PRINCIPIUM, IN LIBROS SENTENTIARUM.

QUID in singulis Sententiarum libris contineatur summatim, breviter, & artificiose hoc opusculo S. Bonaventura complectitur Ecclesiastici verbis usus. Gyrum cæli circuivi sola, &c. Quoniam autem in primo Libro Sententiarum secundum triplicem gyrum de Deo agitur, ut ipse ait, quorum unum de Deo secundum circumincessionem personarum esse affirmat: circumincessionis nominis notationem, ejusque vim tam apud Latinos Doctores Scholasticos, quam apud Græcos Theologos observare libuit. Circumincessio igitur idem est, quod Græce περιχώρησις, *quæ vox, ut patet ex Dionysio de divinis nominibus c. 9. & ex Damasceno lib. 3. fidei Orthod. c. 5. & 7. mutuam aliquorum commeationem, sive inter se incessum significat. Quam vocem ex eo fortasse Scholastici Latini professores nonnulli usurparunt, quod in aliquam Damasceni versionem antiquam incidissent Græcum vocabulum per circumincessionem exprimentem. Neque enim antiqui omnes Scholastici hujus nominis meminerunt: Nam S. Thomas nusquam, quod in mentem veniat, ejus mentionem facit, cum tamen 1. p. q. 42. art. 2. & 1. sent. d. 19. eam quæstionem inculcet, an Pater in divinis sit in filio, & e converso. At vero apud S. Bonaventuram hujus vocis frequens est usus, ut videre est in hoc opusculo, & serm. 21. in hexaem. & 1. sent. d. 19. ac multis aliis locis. Præterea in recentioribus Scholasticis Scoto scilicet, Gabriele, Occhan, Durando & aliis, vox circumincessio reperitur. Vim vero huic nomini a Theologis Græcis attributum aliter Doctores nostri Scholastici interpretantur, oculos animi convertentes ad mentem Hilarii, Ambrosii, & Augustini, quos Magister Sententiarum eadem 19. d. lib. 1. profert in explanationem illius loci Joannis 14. Ego in patre, & pater in me est. Qui patres isto Domini sermone simpliciter significari putaverunt personas inter se esse consubstantiales. Quam ob causam Scholastici Doctores circumincessionem a Græcis introductam cernentes propter hunc Joannis locum, & similes exposuerunt habitudinem personæ ad personam vel genus inexistentiæ, quo aliqua inexistunt per naturæ participationem, sive communionem. Unde apud ipsos circumincessio personarum in Deo nihil aliud est, quam unam personam esse in alia, & e converso, Græci verò Theologi hoc nomine non solum consubstantialitatem divinarum personarum significare voluerunt, sed potius earum inseparabilitatem, mutuum, & arctum complexum, & in se invicem quasi penetrationem,*

nem, & introitum admirabilem, ac stupendum citra confusionem tamen & mixtionem. Quo fit, ut personæ divinæ, circumincessione sint unæ, sive etiam unus Deus, quia per illam uniuntur, immanent, circum se incedunt, & commeant. Etenim quia immensus est Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus extra se versari nequeunt. Itaque ut se mutuo capiant, seque metiantur necesse est: idque sine ulla confusione, ac mixtione. Hoc appellatur Græce περιχωρεῖν, Latine vero circumincedere, sive ultro citroque commeare. Rem banc si fusius explicatam desideras, lege ex recentioribus Gilbertum Genebrardum Parisiensem Theologum, linguarum usu, & cognitione peritissimum, secundo suo libro de Trinitate, & in ejusdem apologia contra Blasphemiam 14. & 15. Schegkii hæretici.

Eccles. 24 GYRUM cæli circuivi sola, &c. Quam sit libri sententiarum inaccessibilis celsitudo: quam sit libri Sententiarum perplexa nodosæ profunditatis indago: quam sit libri Sententiarum perfecta, cognitionis, & increati cognoscibilis plenitudo: quam sit hebes cæcutientis intellectus caligo, ostendit increata sapientia in verbo proposito: Gyrum cæli circuivi sola, &c.

Libri Sententiarum innaccessibilis celsitudo tangitur, quando dicitur. Cæli, ut vere possimus dicere cum Job: Suspice cælum, & intuere æthæra, quod altior te sit. *Job. 35*

Perplexa nodosæ profunditatis indago notatur cum dicitur: Circuivi. Anfractus enim labyrinthi est, inquirere Trinitatem per cognitionem creaturarum.

Consummata cognitionis, & increati cognoscibilis plenitudo, notatur nomine gyri.

Hebes cæcutientis intellectus caligo, notatur, quando dicitur: Sola. Si enim sola increata sapientia circuit gyrum cæli, humana ratio non attingit. Unde & Augustinus dicit: Mentis humanæ acies invalida, in tam excellenti luce non figitur. Dicit ergo: Gyrum cæli circuivi sola, &c. *Aug. lib. 1 de Trin. c. 2 tom. 3*

Gyrus cæli habet quadriformem intelligentiam, quatuor libris Sententiarum proportionaliter respondentem.

Gyrus cæli dicitur sphæralis ambitus cæli, id est connexa superficies sphæræ cæli.

Gyrus cæli dicitur major circuitus A sphæræ cæli, quo non est aliquis major in sphæra cæli, & transit per centrum terræ, quod est centrum cæli. Unde æquinoctialis dicitur gyrus cæli, qui dicitur cingulum orbis, & uterque colurus potest dici gyrus cæli.

Gyrus cæli, dicitur regyratio primi in ultimum, & ultimi in primum. Et hoc modo Zodiacus dicitur gyrus cæli, quia in eo rotatur Sol ab Oriente in Oriens per Occidens.

Gyrus cæli dicitur revolutio eptasiderea circa Polum.

Gyrus cæli, qui est specialis ambitus cæli, materiam designat primi libri Sententiarum, qui agit de *Materia lib. Sent* B Deo. Agitur autem in primo Sententiarum de Deo, secundum trifarium gyrum. Est enim Deus sphæra intelligibilis, cujus centrum ubique, & circumferentia nusquam, ut dicit Hermes Trimegistus. Agitur enim in primo libro de Deo, secundum gyrum unitatis essentiæ in tribus personis, usque ad distinct. 31.

Agitur secundo de Deo, quantum ad gyrum circumincessionis personarum ad invicem, a distinct. 31. usque ad 35.

Agitur tertio de Deo, quantum ad gyrum appropriatorum, a 35. distinct. usque in finem. De gyro unitatis essentiæ in personis potest intelligi, quod scriptum est: Corona aurea per gyrum. Cum enim *Exod. 37* caput Christi sit Deus, ut dicit Apo- *Ephes. 4* stolus, & in Canticis legamus: Ca- *Cant. 5* put ejus aurum optimum. Corona au-

aurea per gyrum, est unitas divinitatis in tribus personis, ut ita dixerim regyrata, non numerata. De gyro circumincessionis personarum in invicem potest intelligi, quod *Eccl. 43* scriptum est: Gyravit cælum in circuitu gloriæ. Arcus ille, est verbum increatum, & incarnatum, radius solis ingeniti exceptus in nube concava humanitatis assumptæ. Iste arcus, id est, istud verbum Dei, gyrat cælum Trinitatis: sic enim *Aug. l. 12 de gen. ad lit. c. 28 tom. 3* tertium cælum vocat August. In circuitu gloriæ, quia & verbum in Patre, & Pater in Verbo est, & Pater, & Verbum in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre, & Verbo est. De circuitu appropriatorum, id est, potentiæ, & aliorum intelligi *Eccl. 29 Exod. 25* potest, quod scriptum est: Potentes gyrans migrare fecit. Hoc est labium æneum quod Deus præcepit fieri in gyro. Labium enim quamdam protensionem, & prominentiam habet, & significat divinam essentiam per appropriata ad creaturas comparatam. Istud labium est in gyro, quia potentia, sapientia, & justitia sunt idem in Deo, licet non sint eadem connotata.

Secundo gyrus sphæræ, qui est major circulus sphæræ transiens per centrum sphæræ, signat materiam *Materia 2 lib. Sent.* secundi libri Sententiarum, in quo agitur de creatione mundi. Nam & omnia corpora mundi principalia, sunt sphærica. Figura enim sphærica corporibus homogeneis maxime aptatur. Primo propter primitatem, nam & de prima figurarum multilaterum probatur prima passio per circulum, & per illam propositionem *Euclid. l. 1 elemen. Prob. 1 prolos.* Euclidis super datam lineam, triangulum æquilaterum, collocare. Secundo propter capacitatem: nam plus capit circumscriptio superficiei sphæricæ, quam si eadem comprimatur in cubum. Tertio propter perfectionem, quia in ea primum conjungitur ultimo.

Agitur autem in secundo libro de triplici gyro, de gyro creationis, & productionis rerum a principio usque ad distinctionem 21. de gyro tentatoris, & circumventoris potissimæ rei in distinct. 21. Videns igi-

A tur diabolus usque ad distinct. 30. De gyro prævaricationis, & involutionis peccati a distinct. 30. usque ad finem. De gyro creationis, & productionis rerum gyratarum, intelligi potest, quod dicit sapientia: Dominus possidet me in initio viarum suarum, antequam quidquam *Prov. 8* faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. De gyro tentatoris: & circumventoris potissimæ rei, id est hominis, scribitur in Job: Obsederunt in gyro tabernaculum ejus, spiritus, scilicet maligni. Quantum ad gyrum prævaricationis, *Job. 19*

B & involutionis peccatorum, scribitur de eodem hoste maligno, Per gyrum dentium ejus formido. Gyri *Job. 41* dentium, sunt involucra peccatorum, quibus peccator glutitur, & traiicitur in corpus diaboli.

Gyrus, qui est revolutio quæcumque, sive sit circulus obliquus, sive rectus, significat congruissime materiam tertii libri Sententiarum, in quo quidem agitur de triplici gyro: Primo de gyro incarnationis, in qua primum conjunctum est ultimo: Secundo, de gyro passionis, & redem- *Materia 3. lib. Sent.* ptionis, per quam ultimum reunitum est primo. Tertio de gyro gratuitæ reformationis, per virtutes, dona, & beatitudines, quæ sunt me-

C dia, quibus infimum fruitur summo. Hunc triplicem gyrum subtiliter tangit Ecclesiastes; quando dicit: Oritur Sol, vide gyrum incarnationis. Et occidit, vide gyrum passionis: & in circulos suos revertitur, vide gyrum resurrectionis: Gyrat per meridiem, vide gyrum gratuitæ refor- *Eccl. 1* mationis: Flectitur ad Aquilonem, ecce gyrus æstivæ fruitionis, nam quando Sol est in signis Aquilonariaus, æstas est.

Gyrus cæli dicitur revolutio eptasiderea circa Polum; & hoc signat convenientissime materiam quarti libri Sententiarum, de quo mystice *Materia 4 lib. Sent.* dicit Job: Numquid plicare poteris *Job. 38* micantes stellas pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare? Gyrus arcturi est signum septem stellarum, ut

Isid. l. 13 de etym. c. 6

ut docet Isidorus, indesinenter regy- A ratarum circa Polum. Et est istud signum post caudam majoris ursæ. Iste gyrus septem stellarum, gyrum signat septem sacramentorum, quæ gyrantur continue circa Polum, quia sacramenta totam efficaciam suam a Polo passionis Christi Jesu sortiuntur. Dicitur autem gyrus, quia & abluendi ad sacramenta confugimus: & abluti, ad sacramentum accedimus. Agitur enim in quarto libro de triplici gyro. Primo de gyro sacramentalis expiationis, de qua dictum est. Numquid gyrum arcturi poteris dissipare? Secundo de gyro resurrectionis, de qua dicitur in Ezechiele: Comportabit aggerem in gyro? In gyro aggerem comportare est cineres, in quos resolutum est corpus humanum, in idem numero corpus humanum reformare, & eidem animam reunire. Et hoc facit Magister in dist. 33. quando tractat de resurrectione. De hoc gyro potest intelligi, quod etiam in Ezechiele scriptum est; Circumduxit me per ossa in gyro, & dixit mihi: Fili hominis putas ne vivent ossa ista? Tertio de gyro judiciariæ examinationis agitur circa finem quarti & quantum ad judicium condemnationis reproborum, & quantum ad judicium glorificationis electorum. De gyro condemnationis reproborum intelligitur, quod in Threnis scriptum est: Flammæ devorantis eam in gyro. Animæ vero beatæ sunt in medio filiarum Palæstinarum, quæ ambulant per gyrum. Omnes enim accensis luminaribus, gyrant circa eam, id est, circa animam beatam.

Job. 38

Ezech. 26

Ezec. 37

Thre. 2

Judith. 13

SUM-

SUMMA SANCTI HIERONYMI DE ESSENTIA

ET INVISIBILITATE ET IMMENSITATE DEI,

quæ S. Bonaventuræ adſcribitur.

Hoc titulo inſcribitur iſte Tractatus in omnibus impreſſis S. Bonaventuræ, ſed in Editione Romana operum S. Hieronymi longe alio, & magis conformi rei, de qua in eo agitur: De his, quæ Deo in Scripturis ſanctis attribuuntur. *In qua quidem editione illum tamquam Hieronymo falſo adſcriptum inter parerga ad tomum nonum rejecerunt. Et vero potius Bonaventuræ, quam Hieronymi videtur, quamvis utrumque incertum ſit.*

OMNIPOTENS Deus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, unus eſt atque trinus, unus videlicet in natura, trinus in perſonis, ſolus inviſibilis, ſolus incircumſcriptus, incorporeus, & immortalis, ubique præſens, ſed latens, ubique totus, ſed immenſus. Inviſibilis eſt, quia in eſſentia ſua
1 Tim. 6 videri non poteſt, Apoſtolo teſtante,
Joan. 1 qui ait: Quem vidit nullus hominum, ſed nec videre poteſt. Et in Evangelio: Deum nemo vidit umquam. Incorporeus eſt, quia nullis membrorum lineamentis compoſitus, ſive compactus exiſtit, ſicut veritas
Joan 4 in Evangelio dicit: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Immenſus eſt, quia quantitas ejus, vel qualitas a nullo etiam metiri poteſt.
3 Reg. 8 Cui Salomon in ſua oratione ſupplicans ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te non capiunt, quanto magis & domus iſta, quam ædificavi? Incircumſcriptus eſt, quia circumſcribi non poteſt. Inlocalis eſt, quia de loco ad locum nequaquam tranſit,
Iſa 66 neque quolibet retinetur, ipſo de ſe per Iſaiam, teſtimonium perhibente: Cœlum ſedes mea eſt, terra ſcabellum pedum meorum. Et per Je- Hier. 23
remiam: Nonne cœlum, & terram impleo? Cujus immenſitatem Pro- Pſ. 138
pheta in Pſalmo confitens, ait: Si aſcendero in cœlum, tu illic es, &c. De cujus immenſitate adhuc in li-
bro Job ſcriptum eſt: Excelſior cœlo Job. 11
eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior eſt terra: immenſitas ejus latior eſt mari. Quia enim cœlum & terram implet, procul dubio nullus locus eſt ab ejus præſentia abſens. Super omnia quippe eſt regendo atque imperando. Subtus eſt omnia ſuſtinendo atque portando, non pondere laboris, ſed infatigabili virtute. Immutabilis eſt, quia ab eo quod mutari non poteſt, ipſo dicente per

B

Malachiam Prophetam, qui ait: Ego Dominus. & non mutor. Ideo Deus
immutabilis dicitur, quia in natura Mala. 3
ejus ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio, & alia his ſimilia non accidunt. Simplex enim natura eſt, immutabilis, & imperturbata. Neque aliud ipſe, & aliud quod habet, ſed ipſum eſt, quod habet, & quod eſt. Immortalis eſt, quia nullo modo mori poteſt, Apoſtolo di-
cente: Qui ſolus habet immortali- 1 Tim. 6

tatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.

Corporea membra, & affectus humani cum Deo attribuuntur in Scripturis quid significent.

Ubicumque autem sacra Scriptura sparsim per divinos libros in Deo motus animi secundum humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vultum, uterum, manus, dexteram, sinistram, digitos sive digitum, alas, scapulas, posteriora, pedes; item motus animæ, iram, furorem, oblivionem, pœnitentiam, recordationem, & his similia, non carnaliter juxta historiam a recte intelligentibus accipienda sunt, sicut a Judæis plerisque & hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque localem opinantur; sed spiritualiter omnia de eo intelligenda, & accipienda sunt. Si quis enim Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit, proculdubio in corde suo idola fabricat.

Caput, & capilli capitis quid.

Cum igitur ut dictum est, figuraliter in Deo caput legimus, ipsam essentiam divinitatis ejus, quæ omnia præcedit, & cui omnia sunt subjecta, intelligere debemus. Capillos vero capitis ejus sanctos Angelos, seu universos electos typice accipi oportet. De quo Sacramento in libro Danielis scriptum est: *Dan. 7* Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: Vestimentum ejus quasi nix candidum, & capilli capitis ejus quasi lana munda. Hoc enim signat per vestimenta candida Dei, quod & per capillos capitis ejus, sanctos videlicet Angelos, & multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel certe, ideo capilli ejus lanæ mundæ comparantur, ut per hoc antiquus dierum esse credatur.

Oculi.

Oculos dicitur Deus habere, pro eo quia videt, & nihil eum latet. In ejus enim conspectu, ut ait Apostolus, nulla creatura est invisibilis. *Heb. 4* Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. Aliter vero oculi respectus gratiæ ejus intelliguntur, ut est illud in Psalmo: *Ps. 33* Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. Item aliter, oculi Domini præcepta, per quæ nobis lumen scientiæ subministrat, mystice intelliguntur, ut est illud in Psalmo: *Psal. 18* Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Palpebræ.

Palpebræ Domini occulta, & incomprehensibilia judicia, sive spiritualis in divinis libris ejus locutio innuitur. De quibus occultis & incomprehensibilibus Sacramentis atque judiciis dictum est in Psalmo: *Psal. 10* Palpebræ ejus interrogant filios hominum, hoc est, probant.

Aures.

Aures dicitur Deus habere, propterea quod omnia audit, & nil eum sub silentio latet. De quo in libro Sapientiæ: *Sap. 1* Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur.

Nares.

Nares Dei, inspiratio ejus in corde fidelium, ut est in libro secundo Regum: *2 Reg. 22* Ascendit fumus de naribus, id est, lacrymosa compunctio pœnitentium de inspiratione ejus.

Facies.

Facies Dei, cognitio divinitatis ejus ad homines. De qua cognitione in Psalmis scriptum est: *Psal. 79* Ostende nobis faciem tuam, hoc est, da nobis cognitionem tuam, quia cognitio per Filium. Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Aliter vero facies Dei significat invisibilem essentiam divinitatis Dei Filii. De qua ipse Dominus ad Moysen per Angelum respondit: *Exod. 33* Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, ac si diceret: Incarnationem meam videbis in novissimis diebus, divinitatem videre non poteris.

Os.

Os Dei Filius Patris, id est, Christus Dominus, de quo Jeremias Propheta ex persona Judæorum effatus, ait: *Thr. 1* Quia os ejus ad iracundiam provocavi. Alterum vero os Domini, sermo ejus sive jussio accipitur. De quo sermone Domini Isaias Propheta ait: *Isa. 40* Os Domini locutum est, hoc est, Verbum Dei, Filius Dei Patris, per quem omnia facta sunt. De quo in Psalmo dicitur: *Psal. 32* Verbo Domini cœli firmati sunt. Et alibi: *Psal. 106* Misit Verbum suum, & sanavit eos. Et in Evangelio secundum Joannem: *Joan. 1* In principio erat Verbum, &c.

Lin-

Lingua. Lingua Dei mystice significat Spiritum sanctum, per quem Deus Pater secretum suum manifestavit hominibus. Unde dicitur in Psalm. (Psal. 44) Lingua mea calamus scribæ.

Labia. Labia Dei utriusque testamenti consonantia intelliguntur, de quibus duobus testamentis in Proverbiis dicitur: (Prov. 16) Divinatio in labiis regis, in judicio non erravit os ejus.

Brachia. Brachia Dei Patris, Filius, & Spiritus sanctus intelliguntur, sicut est in Isaia: (Isa. 51) Brachia mea populos judicabunt. De quo Jeremias (Hier. 32) ad ipsum ait: Et nunc Domine Deus, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, & brachio extento. Ideo autem Filius dicitur brachium Dei, quia creatura electa ab ipso continetur.

B

Dextera, & sinistra. Dextera Patris unigenitus Filius accipitur. De quo in Psalmo dicitur (Psal. 117) ex persona hominis assumpti; Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Aliter vero dextera Domini significat gloriam Patris, & æternam beatitudinem. De quo dicitur in Psalmo (Psal. 109) ex persona Patris ad Filium: Sede a dextris meis. Dicitur autem, & dextera Dei omnis electa creatura in cœlo & in terra. Sic per sinistram ejus intelligitur reproba creatura, id est, dæmones, & omnes impii, qui ad lævam positi, æterna supplicia sustinebunt.

C

Manus. Manus Patris, Filius Dei accipitur, pro eo quod per ipsum omnia sunt facta, sicut est reperire in Isaia: (Isa. 66) Omnia hæc manus mea fecit, & per eam facta sunt omnia. Alia vero manus Dei, potestas ejus intelligitur. De qua potestate in libro Hieremiæ (Hier. 18) dicitur: Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea domus Israel. Item manus Domini flagellum accipitur, de cujus percussione in Sophonia Propheta scriptum est: (Soph. 1) Extendam manum meam super Judam, & super habitantes Jerusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal. Pro qua etiam Domini percussione B. Job de ipso, ait: (Job. 19) Manus Domini tetigit me.

Digitus. Digitus Domini singulariter Spiritus sanctus accipitur. A quo Spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis in monte Sinai scripta narratur. Ipse enim scripsit, qui scribenda dictavit, id est, Spiritus sanctus. De quo Spiritu Dominus in Evangelio: (Luc. 11) Ego in digito Dei eiicio dæmonia. Quod alius etiam Evangelista aperte declarans, ait: (Matth. 12) Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Sicut enim digitus cum manu, vel brachio; manus vero, vel brachium cum corpore sunt in natura unum: ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ sunt, una vero substantia divinitatis. Digiti Dei pluraliter, sancti intelliguntur Prophetæ, per quos Spritus sanctus libros legis ac Prophetarum sua inspiratione describit. De quibus dicitur in Psalmo: (Ps. 8) Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Per cœlos enim libros legis ac Prophetarum, per digitos vero sanctos, ut dictum est, Prophetas mystice insinuavit.

Imago. Imago Dei Patris invisibilis, unigenitus Filius ejus intelligitur, de quo Apostolus: (Coloss. 1) Imago Dei invisibilis. Aliter namque imago Dei Patris in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso; hoc est, ex substantia sua per omnia similem sibi, & æqualem genuit: aliter vero in anima hominis, quam non ex se de sua substantia, sicut plerique hæretici opinati sunt, genuit; sed ex nihilo creavit. Sicut aliter est imago cujuslibet regis in filio ejus, quem ex semetipso similem sibi genuit, id est, homo hominem: aliter vero in annulo, sive in cera imago ejus impressa, quæ non est quod ipse: sic Filius, qui naturaliter est hoc quod & Pater.

Cor. Cor Dei Patris arcanum ejus sapientiæ mystice innuit, ex quo Verbum, id est, Filium suum impassibiliter genuit; ipso dicente: (Psal. 44) Eructavit cor meum verbum bonum.

Alæ. Alas dicitur habere Deus, pro eo quod more avis, electos suos tamquam pullos sub se fovet; & ab insidiis diaboli, & malorum hominum protegit. Unde Propheta: (Ps. 16) Sub umbra alarum tuarum protege me.

Scapulæ. Scapulas habere dicitur, quoniam infirma membra in scapulis portat. Si-

Psal. 90 Sicut in Psalmo: Scapulis suis obumbrabit tibi.

Venter. Venter Dei, secreta origo substantiæ ejus accipitur. Unde in Psalmo: Ex utero ante luciferum genui te. Aliter per uterum Dei, incomprehensibilia judicia Dei, quæ rimari nequeunt, mystice insinuantur. De quo occulto judicio ejus in libro Job (Job. 38) scriptum est: De cujus utero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?

Posteriora. Posteriora Filii Dei, incarnatio ejus accipitur, de qua posteriori parte Filius in monte Sinai ad Moysen per Angelum loquens, ait (Exod. 33): Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.

Pedes. Pedes Dei stabilimentum virtutis ejus, eo quod ubique præsens, & universa ei subjecta sunt. Illo ipso dicente per Isaiam Prophetam (Isa. 66): Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: Aliter pedes filii Dei, incarnatio ejus intelligitur, quæ Divinitati subjecta est tamquam capiti pedes. Sicut per caput Divinitas, per pedes ejus exprimitur humanitas: de humanitate in Exodo (Exod. 24) scriptum est: Viderunt Deum Israel, hoc est, Moyses, & Aaron, & Nadab, & Abiud, & septuaginta de senioribus populi: sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum, dum serenum est. Sicut autem per lapidem sapphirum cœlestes, vel sanctos Angelos, ita per cœlum serenum sanctam Ecclesiam electorum, ex omnibus assumptam figuraliter demonstrare voluit: super quas duas creaturas homo assumptus filius Dei in perpetuum regnat. De quo in Psalmo (Psal. 8): Omnia subjecisti sub pedibus ejus.

Vestimenta. Vestimentum filii Dei aliquando caro ejus, quæ a Divinitate assumpta est in divinis libris figuraliter accipitur, de quo indumento carnis Isaias ait (Isa. 63): Quis iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Rursus per vestimentum ejusdem Domini sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidem, & dilectionem ei conjuncta est, de quo in Psalmo (Psal. 92) dicitur: Dominus regnavit. Et in Psalmo alio (Psal. 103) ad ipsum Dominum: Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento.

Pallium. Pallium Christi, jam dicta ejus Ecclesia intelligitur. De quo in libro Geneseos (Gen. 49) scriptum est: Lavit in vino stolam, hoc est, in passionis sanguine carnem suam.

Calceamenta. Calceamenta Domini nostri Jesu Christi, mystice significant incarnationem ejus, quam ex mortalitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse dicit per Prophetam in Psalmis (Psal. 107): In Idumæam extendam calceamentum meum, id est, in plebe Gentilium manifestabo incarnationem meam.

B

Gressus. Gressus filii, Dei, adventus in mundum, & regressus ejus ad Patrem. De quibus Psalmista ait (Psal. 67): Visi sunt gressus tui Deus, egressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Ipse de cœlo venit in uterum Virginis. De utero vero nascendo, positus est in præsepio. Postquam omnia implevit, de quibus a Patre missus venerat, appensus est in ligno crucis, de cruce autem depositus secundum corpus sepultus est. Christi anima vero ad inferna descendit, tertia autem die per potentiam suæ divinitatis carnem suam de sepulchro suscitavit, & post diem Resurrectionis suæ quadragesimo die, videntibus Apostolis, ascendit in gloriam ejus. Hi sunt enim egressus filii, qui ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris. Iste est descensus, & ascensus ejus, qui frequenter in sacris Scripturis legitur.

C

Ascendere dicitur Deus, cum Filius carnem ex nobis assumptam in cœlum non captivis evexit, ut est reperire in Psalmo (Psal. 67): Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, quia naturam humani generis, quæ a diabolo in mundo captiva retinebatur, & assumens secum in cœlum ubi numquam ante fuerat tamquam captivam deportavit.

Abscondere & ostendere Deus faciem, quo modo dicitur. Abscondere ab hominibus faciem suam Deus legitur, cum quibusdam eorum exigentibus culpis cognitionem suam abscondit. Sicut in populo Judæorum nunc impletum videmus,

mus, qui negantes Filium Dei, scientiam veri Dei, ita perdiderunt, ut similes forent gentibus, quæ Dominum non noverunt. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ, quibus vult, scilicet electis suis, seipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit.

Sedere. Sedere dicitur, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam rationalem, ut est reperire in Psalmis: Regnavit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Sedere autem dicitur super Cherubin, quod interpretatur plenitudo scientiæ, per quod signantur sancti Angeli, sive mentes spiritualium virorum, in quibus invisibiliter Deus sedet, & regnat. In illis enim sedet, qui scientia ejus, & dilectione pleni sunt. Nam scriptum est: Anima justi sedes sapientiæ est. Sapientia vero Dei Patris, Christus est, qui in animabus sanctorum Dei sedere dicitur.

Psal. 46

Psal. 79

Descendere. Descendere Deus in mundum dicitur, quando aliquid novum, quod ante non fecerat, in creatura humana operatur. Sicut Filius de Patre descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria Virgine propter redemptionem nostram suscepit: & homo verus fieri dignatus est, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat. De cujus descensione, id est, incarnatione, in Psalmo scriptum est: Inclinavit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus ejus. Cœlos inclinavit, quia adventum suum prænuntians, Angelos sive Prophetas misit, qui ejus adventum hominibus annuntiarent. Caligo sub pedibus ejus, quia impii homines ob suam malitiam incarnationem ejus agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt.

Psal. 17

Stare. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, & suam creaturam ad pœnitentiam & conversionem patienter sustinet, ut est reperire in Habacuc propheta: Stetit, & mensus est terram, & dissolvit gentes, id est, stetit ad subveniendum, & dissolvit credentes in se a vinculis peccatorum.

Haba. 2

Transire. Transire dicitur Deus, cum de cordibus quorumdam hominum, in quibus antea per fidem continebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, & ad alios transit, quemadmodum de Judæis ad gentes, de hæreticis ad Catholicos. Sed & de quibuslibet irreligiosis, & negligentibus pro vitio suo recedere dicitur Deus, & ad alios transire: quod non localiter aut visibiliter, sed invisibiliter, occulto justoque judicio, facere consuevit.

Ambulare. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere, sed ambulatio ejus est in cordibus sanctorum delectatio, sicut scriptum est: Et habitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus. Vel certe ambulare Dei est in sanctis prædicationibus suis de loco ad locum transire.

Lev. 26

2 Cor. 6

Loqui. Loqui Dei, est invisibiliter sine sono vocis, vel quolibet strepitu, occulte in mentibus sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare, sive futura sicut in sanctis Prophetis revelare. Quæ locutio Dei, ut quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subjectam creaturam, sicut ad Moysen in rubo in igne apparuit, vel sicut Abraham atque Jacob, & ceteris, quibus in Angelis apparuit. Secundo vero modo in somnis, sicut ad Jacob, & ad Zachariam prophetam, & ad Joseph sponsum Mariæ, & alios sanctos, quibus secreta revelare voluit. Tertio autem modo neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione invisibiliter corda eorum tangendo, loquentes efficit, sicut in libris Prophetarum scriptum est, cum ibi Prophetæ subito afflati Spiritu sancto clamabant, dicentes: Hæc dicit Dominus.

Dei locutio tripliciter accepta.

Videre. Dei videre, est acta bona approbare, sicut est reperire in Genesi, ubi dicitur: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, id est, intelligentibus bona esse demonstravit.

Gen. 1

vit. Aliter videre Dei est, mala hominum sciendo reprobare, sicut est illud in Isaia propheta: Et vidit Deus, & apparuit malum in oculis ejus. Item aliter, videre Dei est nos videntes facere, ut est reperire in Psalmo: Proba me Deus, & scito cor meum, & cetera. Modus iste locutionis in libro beati Job similiter reperitur, ubi de sapientia Dei patris postquam in figura locutus est de Deo Patre, adjunxit, Tunc vidit illam, & enarravit, & investigavit, & præparavit, id est, videntes fecit atque prædicantes, & investigantes, atque aliis annunciantes, & cetera.

Isa. 59 *Psal. 138* *Job. 38*

Cognoscere. Gen. 22

Cognoscere Dei est cognoscentes facere, sicut ait ad Abraham: Nunc cognovi quod timeas Deum. Neque enim in tempore novit, qui scit omnia antequam fiant: sed cognoscere Dei dicitur cognoscentes facere, ut qui prius de se, quales essent, incogniti erant, per ejus interrogationem & probationem, quales essent sibimetipsis, manifesti fierent. Tale est illud in lege Moysi de populo Israelitico. Tentabo eos, inquit, utrum custodiant mandatum meum, an non.

Exod. 16

Nescire. Matt. 7

Nescire dicitur Deus, quosdam reprobos reprobare, sicut est illud in Evangelio: Nescio unde sitis. Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.

Zelare.

Zelare dicitur Deus, cum creaturam suam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel zelare dicitur Deus, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Justus enim est, & ideo omnis injustitia execrabilis est illi, quam, ut dictum est, nullo modo impunitam patitur.

Irasci.

Irasci dicitur Deus non animæ motu, vel qualibet perturbatione, quod illi omnino accidere non potest; sed creaturæ delinquenti, idest hominibus impiis, & peccatoribus justam dicitur inferre ultionem, hoc est, reddere illis quæ merentur. Et hoc est ultio divina, iste furor ejus dicitur.

Psal. 6 *Pœnitere, & non pœnitere.*

Pœnitere dicitur Deus, non quod A more hominum de transactis operibus pœniteat. Qui enim omnia novit antequam fiant, pro suis pravis actibus pœnitere non potest. Sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius inchoatum est, in aliquid mutari, id est ex bono exigentibus culpis in malum, sicut de Saule legitur, pœnituisse Deum, quod constituisset eum regem, vel sicut nunc videmus in populo Judæorum, qui cum esset populus Dei: ob impietatem suam factus est in Synagogam Satanæ. De malo vero in bonum accidit in populo gentium, qui ante non populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei factus est. Hoc quippe modo, occulto Dei B judicio, Judas Dei proditor de Apostolatus gradu lapsus, in inferni barathrum demersus est. Latro vero post crimen rapacitatis, de cruce ad Paradisum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, sicut dictum est, de malo ad bonum quod occulto justoque judicio Dei sive per severitatem justitiæ suæ, sive per misericordiam ejus fiat, pœnitentiam Dei dicimus. Quod expressius in libro Hieremiæ prophetæ scriptum est.

1 Reg. 15

Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare, ut est illud in Psalmo: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, id est Pater ad Filium: tu es Sacerdos in æternum C secundum ordinem Melchisedech: Sacerdos Dei Patris dictus est Filius Dei, non secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem in acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipse esset Sacerdos qui & sacrificium.

Psal. 109

Oblivisci dicitur Deus, cum quibusdam impiis & peccatoribus non miseretur. Quod utique non facit per crudelitatem, quæ in Deo non est, sed per occultum justumque judicium suum.

Indurare dicitur Deus quorumdam corda malorum, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est: non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere; sed exigen-

Exod. 7

gentibus eorum culpis cum duritia cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriunt, non aufertur; videtur quasi illos ipse induret, quod justo judicio indurati sunt.

Dormire Dei est, cum unigenitus Filius Patris in assumpta carne, pro nobis mori dignatus est. Cujus mors recte dulcis somnus prædictus est, ipso dicente per Jeremiam prophetam. Ideo quasi de somno excitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi. (*Hier. 31*) Aliter dormire dicitur

A Deus, cum fides ejus inter prosperitates hujus mundi, & intra quorumdam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem ipse Jesus significavit, cum in mari inter fluctus maris dormivit. (*Mat. 4*) Vel certe dormire, est anxiis tarde subvenire, sicut est in Psalmista: Exurge, quare obdormis Domine? Vigilare Dei, est in defensionem suorum electorum, & ultionem inimicorum, se manifestum demonstrare. (*Psal. 34*)

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

PHARETRA.

OPUSCULI sequentis argumentum. Auctor in Proœmio satis breviter, & dilucide explicat. In eo enim utilitatem libri, divisionem, & rationem nominis, cur scilicet Pharetra inscribitur, facile comperies. Et quoniam in hac Pharetra auctoritates Doctorum variæ reconduntur, quibus velut sagittis utentes antiquum hostem deiicere possimus: sedula diligentia adhibita est iisdem conquirendis, & margini adiungendis pro commoditate legentium. Illud vero animadvertendum est, aliquos Doctorum libros in Pharetra citatos, vel hoc tempore non extare, vel alio titulo in exemplaribus impressis inscribi, & olim uni Auctori adscriptos, jam hac ætate in alterius operibus recenseri. Nam, ut de singulis proferatur exemplum libro S. Ambrosii, quem S. Bonaventura Pastorale appellat, titulus est in editione Romana de Dignitate Sacerdotali. S. August. in Canonicam Jacobi expositio, quam Auctor citat, modo non extat. Liber de Singularitate Clericorum, quem August. tribuit, in operibus Cypriani connumeratur in editione Pammeliana. Quare eo recurrendum erit, ubi in margine citatur auctoritas, quod facilius in evulgatis libris inveniatur. Nonnullæ vero auctoritates, quæ vel propter rationes jam dictas, vel quia diligentiam superarunt, reperiri nequaquam potuerunt, asterisco notatæ sunt.

PRÆFATIO.

IN conversionis meæ primordio cum ob mentis recreationem auctoritates sanctorum legerem, & legens varias corruptiones perciperem: placuit mihi, ut ad ipsum fontem originalium recurrerem, & ob majorem certitudinem, ipsemet aliqua perciperem, quæ postmodum ut scivi, ordinavi: ut quæ ad meditationem, prædicationem, disputationem ibidem essent utilia, levius reperirentur. Hoc autem sciat lector quod reperi aliquando diversos doctores unum dixisse, aliquando eumdem Doctorem idem in diversis libris. Distinxi autem Opusculum istud per quatuor libros, ut dicatur liber primus de personarum varietate: secundus de principalium vitiorum & virtutum multiplicitate: tertius de periculosis: quartus de gratiosis. In unoquoque libro posui quinquaginta capitula: quia talis numerus jubilæi est figurativus. Opusculum autem istud Pharetram appellavi: quia sicut in Pharetra jacula reponuntur, quibus hostis hostem ferit, vulnerat, & deiicit, sic & hæc va-

hæ variæ auctoritates fide dignorum: quas si manu operationis tenemus, hostem antiquum deiiciemus. Sciendum quoque quod cum dico idem, non apponendo ubi intelligendum est in priori libro antea posito fore. Originalia ista subscripta ipse excepi.

De S. Gregorio.

Moralia.
Hom. super Ezechielem.
Registrum idest Epistolas.
Homilias super Evangel.
Pastorale.
Dialogum.
Cantica.

De S. Ambrosio.

De virginitate.
De viduitate.
De officiis.
De Patriarchis.
De excessu Satyri.
De fide resurrectionis.
De Hexaemeron.
De figura sæculi.
De obitu Theodosii.
Apologiam de David.
Pastorale.
Sermones.
Epistolas.
Super Lucam.
Super beati immaculati.

De S. Joanne Chrysostomo.

Super Matthæum bis.
Super Joannem.
De compunctione.
De militia spirituali.
De militia Christiana.
De eo quod non læditur homo, nisi a seipso.
Sermones.
Epistolam.

De S. Isidoro.

Etymologias.
Synonyma.
De summo bono.
De ortu & obitu antiquorum.
De novo Testamento.

De S. Cypriano.

De duodecim abusibus.

De S. Augustino.

De civitate Dei.
De Trinitate.
De doctrina Christiana.
De vita Christiana.
De disciplina christiana.
De Agone Christiano.
De confessionibus.
De gratia novi testamenti.
De moribus Ecclesiæ.
De vera religione.
De consensu quatuor Evangelistarum.
De incarnatione Verbi.
De essentia divinitatis.
De magistro.
De ordine disciplinæ.
De opere Monachorum.
De singularitate Clericorum.
De octoginta tribus quæstionibus.
De sex quæstionibus contra paganos.
De quæstionibus novi, & veteris testamenti.
De quinque responsionibus.
De ecclesiasticis dogmatibus.
De decem chordis.
De pastoribus.
De ovibus.
De chatechizandis rudibus.
De mirabilibus sacræ scripturæ.
De moribus Manichæorum.
De divinatione dæmonum.
De soliloquiis.
De meditationibus.
De virginitate.
De viduitate.
De bono conjugali.
De conjugiis adulterinis.
De quantitate animæ.
De duabus animabus.
De natura boni.
De natura & gratia.
De correctione & gratia.
De gratia & libero arbitrio.
De libero arbitrio.
De spiritu & littera.
De vita bona.
De perfectione justitiæ.
De prædestinatione divina.
De fide ad Petrum.

Ad

Ad Orosium.
Ad Bonifacium.
De pœnitentia.
De patientia.
De perseverantia.
Regulam.
Enchiridion.
De cura pro mortuis.
De symbolo.
De jejunio sabbati.
De utilitate credendi.
De laude charitatis.
De unico baptismo.
De baptismo parvulorum.
De sermone Domini in monte.
De sententia Jacobi, ad Hieronymum.
De conflictu vitiorum.
Super Genesim ad litteram.
Super Genesim contra Manichæos.
Epistolas.
Sermones.
De mendacio.
Contra mendacium.
Contra Julianum.
Contra Adamantium.
Contra quinque hæreses.
Contra Donatistas.
Contra Epistolam fundamenti.
Contra adversarios legis & prophetarum.

De sancto Hieronymo.

Super Isaiam.
Super duodecim prophetas.
Epistolas.
Homilias,

De S. Bernardo.

Super Cantica.
Super Missus est.
Super Qui habitat.
Super Ecce nos.
De consideratione.
De præceptorum dispensatione.
De libero arbitrio.
De diligendo Deum.
De amore Dei.
De duodecim gradibus.
Epistolas.
Apologiam.
Meditationes.
Sermones.
Flores.

De S. Anselmus.

De similitudinibus.
Meditationes.

De Cassiodoro.

De anima.

De Seneca.

Epistolas.
De copia verborum.
De clementia.
De liberalitate.
De spiritu, & anima.
Et aliqua de aliis libris & glossis.

CAPITA PRIMI LIBRI PHARETRÆ.

PHARETRÆ LIBER PRIMUS

IN QUO

DE PERSONARUM VARIETATE TRACTATUR.

CAPUT I.

De Deo.

[Greg. lib. 2 Mor. c. 8] GREGORIUS in moralibus: Deus ipse manet intra omnia, ipse est extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior per magnitudinem, & interior per subtilitatem. *[Ibid. lib. 16 c. 20]* IDEM: Deus hoc est: quod habet: æternitatem quippe habet, & ipse est æternitas: lucem habet, & lux sua ipse est. *[Ibid. lib. 16 c. 4]* IDEM: Omnipotens Deus & si plerumque mutat sententiam, consilium numquam. *[Ibid. lib. 14 c. 14]* IDEM: Omnipotens Deus, quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut vita per pœnam purgetur, & quietis tranquillitas, quæ hic inveniri non valet: alibi quæratur. *[Ibid. lib. 35 c. 2 non multum a princ.]* IDEM: Omnia humana, quæ justa, quæ pulchra sunt, Dei justitiæ & pulchritudini comparata, nec justa, nec pulchra sunt, sed nec omnino sunt. *[Ibid. lib. 16 cap. in fine.]* IDEM: Conditor noster mira dispensatione consilii, & culpas nostras respicit, & vivendi tempora impendit: ut longiora vitæ temporalis spatia aut converso fiant adjutorium muneris, aut non converso augmentum damnationis. *[Idem hom. 25 in Ev. circa fin. & 13 Mor. c. 10 post med.]* IDEM: in Homiliis: Ubique nobis occurrit superna medicina, quia Deus & dedit homini præcepta, ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia, ne desperet. *[Idem ho. 27 in Eze. circa med.]* IDEM: super Ezechielem: Omnipotens Deus, qui sibimet ipsi dissimilis non est, ea virtute videt omnia, qua audit omnia, & ea virtute judicat omnia,

A qua creavit omnia. *[Aug. epist. 57 ad Dardanum non multum an. fin. tom. 2]* AUGUSTINUS in epistola: Deus ubique præsens est, & ubique totus præsens, nec tamen ubique habitans, sed in templo suo. Capitur autem habitans ab aliis plus, ab aliis minus. *[Ibid. epist. 112 ad Fortun. a med. ex Hieron. in psal. 93]* IDEM: Deus totus oculus est, totus manus, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt: totus est manus, quia omnia operatur: totus pes, quia ubique est. *[Ibid. epist. 142 ad Fidiam post med.]* IDEM: Non tantum modo in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit, verum etiam ut amando agamus, quod discendo jam scimus. *[Ibid. epist. 112 ad Fortunatia. ante med.]* Idem dicit, Hieronymum dixisse: Videre Deum sicut est, B in natura sua, oculus hominis non potest. Nec solum homo, sed nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, sed nec omne, quod nominatur. *[Idem lib. 1 Confess. cap. 4 to. 1]* IDEM de confessionibus: Pœnitet te Deus & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium. *[Ibid. lib. 11 cap. 31]* IDEM: O quam excelsus es Domine: sed humiles corde sunt domus tuæ: tu enim erigis elisos & non cadunt, quorum celsitudo tu es. *[Ibid. lib. 7 cap. 4]* IDEM: Voluntas & potentia Dei, Deus ipse est. *[Idem de Gen. con. Man. lib. 1 c. 29 to. 1]* IDEM super Genesi contra Manichæos: Deum dicimus tantæ bonitatis esse, tantæ justitiæ, tantæque C incorruptionis, ut neque peccet, neque alicui noceat, qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis, qui peccare voluerit. *[Idem in Solil. lib. 1 c. 15 to. 1]* IDEM in Soliloquiis: Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli velle esse quasi proprius, & in tua potestate, sed ejus clementissimi, & utilissimi Domini te servum esse profitere: ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si ne-

Idem de Conjug. adul. lib. 1 cap. 18 post med. tom. 6

si nescias. IDEM de conjugiis adulterinis: Absit, ut catholicus quisquam dixerit, quando suadet Spiritus sanctus non Deum suadere: cum ipse Deus sit, & inseparabilia sint opera Trinitatis.

Idem de civ. Dei. ca. 1 to. 5

IDEM de Civitate Dei: Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos.

Amb. lib. 2 su Luc. ca. 1 to. 3

AMBROSIUS super Lucam: Nihil præsumptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet: Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur.

Isid. de sum. bo. lib. 1 ca. 15 sent. 8

ISIDORUS de summo bono: Ille qui nos malos tolerat, non dubium est, quin conversis clementer ignoscat.

Ibid. lib. 1 c. 2 sent. 6

IDEM cum de Deo nec secundum quantitatem, nec secundum qualitatem, nec secundum situm, nec secundum habitum, aut motum, aliquid digne dicatur: inest tamen ei & quodam modo latitudo charitatis, qua nos & ab errore colligit, & continet in veritate. Inest ei & longitudo, qua longanimiter nos malos portat: donec emendatos patriæ futuræ restituat. Inest ei & altitudo, per quam omnem sensum, suæ scientiæ immensitate exuperat. Inest ei & profundum, quo damnandos, inferius juxta æquitatem disponens prærordinat.

Chrysost. operis imperfecti, Homil. 46 fere in med. to. 2

JOANNES CHRYSOSTOMUS super Matthæum: Deus invitus compellitur, & cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia & ipse ab eis offenditur: sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit salvare.

Ibidem.

IDEM: Deus gaudet, non de suo lucro, sed de salute nostra: tristatur non de sua injuria sed de nostra perditione.

Bern. lib. 5 de consid. ante med.

BERNARDUS in libro de consideratione: Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas.

Ibid. fere in med.

IDEM: Deus non partibus constat, ut corpus: non affectibus distat, ut anima: non formis substat, ut materia: non mutatur, ut omne quod factum est.

Idem super Qui habi. ser. 11 in princ.

IDEM super Qui habitat: Vigilat super nos indefessus, & pervigil ille singularis clementiæ oculus non dormit neque dormitat, qui custodit Israel. Et id quidem necesse est, quia etiam non dormit, neque dormitat, qui impugnat Israel.

Idem ser. de tr plici miseri, & 4 miserati. prope fin.

IDEM in sermonibus: Quatuor filiæ magnæ misericordiæ Dei sunt: immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectus.

Auctor de spir. & ani. cap. 6 apud Aug. tom. 3

AUCTOR de spiritu & anima: Nemo Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria: & quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet illum; quia misericors est. Tardius siquidem ei videtur esse peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori veniam accipere. Sic enim festinat Deus absolvere tormenta compassionis suæ, quasi plus cruciet eum compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui.

Glos. to. 5

GLOSSA: Deus natura misericors paratus est, ut salvet per clementiam, quos salvare non potest per justitiam.

CAPUT II.

De Christo.

Greg. li. 18 Moral. c. 27 longe post med.

GREGORIUS in Moralibus: Nuntiante Angelo, & adveniente Spiritu sancto, mox Verbum in utero, & mox intra uterum Verbum caro: & manente incommutabili essentia Verbi, quæ ei est & cum Patre, & cum Spiritu sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera matris, ut impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula, temporalis possit esse in fine sæculorum: ut per ineffabile sacramentum conceptu sancto, & partu inviolabili secundum veritatem utriusque naturæ, eadem virgo, & ancilla Domini esset, & mater.

Ibid. lib. 21 c. 9

IDEM: Ad hoc Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.

Ibid. lib. 16 ca. 14

IDEM: In altitudine sua divinitas a nobis, utpote parvulis apprehendi non poterat: sed stravit se hominibus, per humanitatem, & quasi in jacentem ascendimus: surrexit & levati sumus.

Ibid. lib. 20 cap. 26 non longe a princ.

IDEM: Qui nos existere fecit ex nihilo, etiam sine sua morte

te revocare nos potuit a diabolica A passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod nos esse voluit: ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam a nobis in perpetuum fugaret. IDEM: Mos medicinæ est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, & frigida frigidis: sæpe etiam calida frigidis, & frigida calidis sanare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, & tantis nos inveniens languoribus oppressos, quiddam nobis simile, & quiddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus. IDEM: Is, qui propter B nos minor angelis sibi extitit: æquales nos angelis, virtute suæ minorationis fecit. Unde & moriendo, docuit mortem non metui: resurgendo, docuit de vita confidi: ascendendo, de cælestis patriæ hereditate gloriari. IDEM super Ezechiele: Ut humanum genus a suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cum languor crevit ægroti. IDEM in Moralibus: Ad hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit: ut superbum non esse hominem doceret C humilis Deus. IDEM in Registro: Descendens ad inferos Christus solos illos, per suam gratiam liberavit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. IDEM in Homilia: Deus qui in utero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. JOANNES CHRYSOSTOMUS in sermonibus, Christus viator factus est, ut te sine labore faceret: ex muliere natus est, ut prævaricationem Evæ deleret: homo appellatus est, ut te Deum vocaret: filius hominis dictus est, ut te in filium adoptaret Dei. IDEM: O misericordia Christi, o Judæ dementia! Ille eum triginta denariis paciscebatur, ut venderet, &

Ibid. li. 24 cap. 2 non longe a princ.

Ibid. li. 27 ca. 8 circa med.

Idem in Ezech. Ho. 2 circa med.

Idem li. 34 Mor. c. 18 longe post med.

Idem Reg. lib. 6 cap. 179 ind. 15

Idem in homil. 16 in Evang. non longe a princ.

Chrysost. hom. de cruce Dominica in med. to. 3

Ibid. ser. de prodit. Juda longe post med.

Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat. IDEM: Non sub tecto, sed sub cælo Christus immolabatur, ut universus aer in excelso immolatæ ovis odore a tetro mundaretur. Sed & terra simile beneficium sentiebat decursi de latere sanguinis stillatione mundata. AMBROSIUS de virginate: Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur & videte quoniam Dominus suavis est. IDEM super Lucam: Me illius infantiæ Christi vagientis abluunt fletus: illæ lacrymæ mea delicta laverunt. Plus igitur Domine Jesu debeo injuriis tuis, quibus redemptus sum, quam operibus tuis, quibus creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. IDEM: Non solum fidem firmat, sed & devotionem acuit, quod Christus vulnera suscepta pro nobis cælo inferre voluit, abolere noluit, ut Deo patri nostræ pretia libertatis ostenderet. AUGUSTINUS in meditationibus: Quid est Jesus nisi Salvator? ergo propter temetipsum esto mihi Jesus. Noli Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine si ego commisi, unde damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. IDEM de vera religione: Nullum peccatum committi potest, nisi cum appetuntur ea, quæ Christus contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit. IDEM contra Julianum: Caro Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus ejus invenit: contagium vero peccati originalis non contraxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit. IDEM: Christus: in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est. Natus est enim de Spiritu sancto ex virgine MARIA. De Spiritu sancto, ut non esset in illo caro

Ibid. ho. de Cruce, & Latrone, quæ est prima inter duas hujus titu. longe ante med.

Ambr. de Virg. ad Marc. ser. lib. 3 to. 4

Idem lib. 2 in Luca ca. 2 to. 3

Ibid. lib. 10 in cap. 24

Aug. lib. meditat. c. 39 sparsim tom. 9

Idem de Ve. Relig. ca. 16 to. 1

Idem con. Julian. l. 5 ca. 9 post med. to. 7

Ibid. lib. 6 c. 8 in fin.

peccati: ex virgine autem Maria, ut esset in eo similitudo carnis peccati. IDEM contra quinque hæreses: Fusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici. IDEM in libro de pastoribus: Ab omnibus tentationibus te eruet Dominus: si ab illo non recesserit cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum, venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illini, venit spinis coronari, venit opprobria sufferre, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te: tu nihil pro illo sed pro te. IDEM de catechizandis rudibus: Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Jesus, ut contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit: ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. IDEM de prædestinatione divina: Venit filius Dei quærere, quod perierat: sanare, quod ægrotabat: erigere, quod jacebat: potestatem habens dimittere peccata: quod non debebat, donare: quod ei debebatur ignoscere. * IDEM de ordine disciplinæ: Quod hoc nostri generis corpus tantus propter nos Deus assumere, atque agere dignatus est, quanto videtur vilius, tanto est clementia plenius, & a quadam ingeniosorum superbia longe lateque remotius. IDEM in Epistola. Ipsa virtus per inviolata matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea, per ostia clausa membra invenis introduxit. IDEM de Verbis Domini: Multos filios Dei unicus filius Dei: emit sibi fratres sanguine suo, probavit reprobatus, redemit venditus, honorificavit injuriatus, vivificavit occisus. Dubitas quod dabit tibi bona sua, qui non dignatus est suscipere mala tua. IDEM in sermone: Expalmatur, qui est vera palma victoriæ: spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere: ligatur, qui solvit compeditos: ligno suspenditur, qui erigit elisos: aceto potatur, fons vitæ: disciplina cæditur magister aliorum: salus vulneratur: vita moritur: occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetua vita occideretur mors. ISIDORUS de

Idem orat. de quinque hæres. cap. 7 post med. tom. 6

Idem li. de Past. c. 5 tom. 9

Idem li. de cathe. rud. c. 22 to. 4

Idem de prædest. & gra. cap. 13 tom. 7

Idem epist. ad Volus. ante med. tom. 2

Idem tra. de 4 Virtutibus charitatis post med. tom. 9

Isidor. li. 2 de sum. bon. c. 16 sent. 22

A summo bono: Christus, sicut peccatum, quod pœna dignum est, non admisit, ita pœnam peccati nostri suscepit: ut per indebitam pœnam suam, debitam aboleret culpam nostram, ut per hoc admitteret diabolus quos reos tenebat, dum unum interfecerat, qui nihil peccati admiserat. RABANUS in libro de laude crucis. Passio Christi cælum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit. In ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur viventia, conservantur sentientia, illustrantur intelligentia. Inde timor ductus a pœna fideles liberat: tristitia salubris pœnitentes a B peccatis mundat: concupiscentia boni virtutum fructus germinat: gaudium vitæ spe confidentes lætificat. BERNARDUS super Cantica: In carne Christus & per carnem potenter ac patenter operatus est mira, locutus salubria passus indigna. Per quæ evidenter ostendit, quia ipse sit, qui potenter, sed invisibiliter omnia condidisset, sapienter regeret, benigne protegeret. IDEM: Frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus cardinalibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierunt, qui factus a Deo est nobis sapientia, docens prudentiam: & justitia, delicta donans: & sanctifi- C catio in exemplum temperantiæ, continenter vivens: & redemptio in exemplum patientiæ, fortiter moriens. IDEM. Utrumque mihi es Domine Jesu, & speculum patiendi, & præmium patientis: utrumque fortiter provocat ac vehementer accendit. IDEM: An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis a contemnente, ut quandoque exhibeat remissionis gratiam in pœnitente. IDEM: Christus in carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi, in mortis susceptione satisfecit patri. Amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis. Huic securus me credo, qui salvare me velit, noverit, atque possit.

Rab. li. 2 de lau. cru. in de. clarati. 1 fig.

Ber. in Cant. ser. 6 ante med.

Ibid. ser. 22 cir. fint

Ibid. ser. 47 post med.

Ibid. ser. 9 circa med.

Ibid. ser. 20 paululum a princ.

Ibid. ser. 15 post med. sit. IDEM: Jesus mel est in ore, melos in aure, jubilus in corde. *Ibid in med.* IDEM: Est inter oleum & nomen Jesus similitudo, in quibusdam qualitatibus olei, quod lucet, quod pascit, quod ungit, fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. *Ibid. inferius.* Vide idem de hoc nomine JESU: Lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & ungit invocatum. *Ibid. ser. 61 ante med.* IDEM: Ego omnino fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus, & pedes, latusque lancea perforaverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. *Ibid. ser. 43 ante med.* IDEM: Ego fratres ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, mihi fasciculum hunc colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum scilicet infantilium illatarum necessitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium. *Ibid. ser. 61 ante med.* IDEM. Petra refugium herinaciis, & re vera refugium. Ubi enim est, tuta firmaque requies infirmis, nisi in vulneribus Christi Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur Diabolus, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. *Ibid. ser. 22 circa med.* IDEM: Apud Dominum misericordia, & copiosa, apud eum redemptio: prorsus copiosa, quia non gutta sanguinis, sed unda largiter per quinque partes corporis emanavit. Quid tibi debuit facere, & non fecit? illuminavit cæcum, solvit mutum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. *Ibid. post med.* IDEM: Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine JESU, audientes, quod non spernas pauperem,

A peccatorem non horreas. *Ibid. ser. 61 prope fin.* IDEM: Vult benignus dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem: enim vero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur.* IDEM in floribus: Sitio, inquit Dominus. Domine quid sitis? ergo ne te plus cruciat sitis, quam Crux? De Cruce siles, & de siti clamas, Sitio. Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium: plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet.* IDEM: Quid tibi respondeam Domine: quid loquar, aut quid retribuam? Fecisti mihi de corpore tuo speculum animæ meæ. *Idem ser. de pass. Domini ser. 4 hebdomadæ pœnosæ longe post med. q.* IDEM

B in sermonibus: Exinanivit Christus semetipsum formam servi accipiens, filius erat & factus est tamquam servus. Nec solam formam servi accepit, ut subesset: sed etiam mali servi, ut vapularet, & servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. *Idem ser. eo in princ.* IDEM: In passione Domini: tria specialiter convenit intueri, opus, modum, causam. *Idem ser. eo in prin.* Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. *Idem ser. 2 in die Pent. prope fin.* IDEM: Quam dulciter Domine JESU Christe cum hominibus conversatus es: quam abundanter multa, & magna bona hominibus largiri dignatus es: quam fortiter tam indigna, quam aspera pro hominibus passus es: ita ut li-

C ceat sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad horrenda crucis supplicia. *Idem ser. de pass. Domini post med.* IDEM: Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, ait, Pater ignosce illis. *Idem ser. de dilig. Deo fere in princ.* IDEM: Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, ut durissimi cordis sit, quisquis eum toto affectu non diligit. *Idem in ser. de Nativitate B. Mariæ.* IDEM: An trepidas ad Christum accedere? Frater tuus est, caro tua, per omnia tentatus absque peccato, ut misericors fieret.* IDEM: Quis cogitare sufficerit: qualiter Dominus prævenit nos, venerit ad nos,

sub-

subvenerit nobis? Singularis illa majestas voluit mori, ut viveremus: servire, ut regnaremus: exulare ut repatriaremus, & usque ad servilissima opera inclinata est, ut constitueret nos super omnia opera sua.

Ansel. lib. 2 Cur Deus homo, c. 8

ANSELMUS in libro, Cur Deus homo. Quatuor modis potest Deus facere hominem, aut de viro & fœmina, sicut assiduus demonstrat usus: aut nec de viro nec de fœmina, sicut creavit Adam: aut de viro sine fœmina, sicut fecit Evam: aut de fœmina sine viro, quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suæ subiacere potestati, & hoc ad ipsum opus dilatum esse nihil convenientius, quam ut de fœmina sine viro assumeret humanitatem. Utrum autem de virgine aut de non virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare, sed sine omni dubitatione asserendum est, quia de virgine nasci Deum oportebat.

Bern. ser. de adv. Dom. in priu.

BERNARDUS in Adventu Domini: Si personam advenientis intueor, non capio excellentiam majestatis. Si attendam ad quos venerit, dignitatem magnitudinis expavesco.

Ibid. paulo post & ser. 3 in Vigil. Nativi. Domi.

Et sequitur: Venit universitatis creator & Dominus ad homines, venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita: venit non perdere, sed salvare, solvere non ligare.

Ex eodem ser. 1 de Epiph. & ser. in die Natalis Domini. Tit. 2

IDEM: Priusquam appareret Dei humanitas, latebat ejus benignitas. Apparuit enim ejus potentia in rerum creatione, apparebat autem sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ maxime apparuit in humanitate. Apparuit gratia Dei Salvatoris. Nota. Quantumcumque te dejeceris, humilior Christo non eris, esto quod pedibus incedas fusca tunica vestiaris, pauperibus æqueris, cellam pauperum dignanter introeas: sis cæcorum oculus, pes claudorum, manus debilium, aquam ipse comportes, ligna conscindas, focum extrahas, ubi vinculum? ubi sputum? ubi alapæ? ubi flagellum? ubi patibulum? ubi mors?

CAPUT III.

De Eucharistia.

Greg. hom. 37 in Ev. post med.

GREGORIUS in Homiliis: Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is, qui in se surgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum immolatur.

Idem lib. 4 c. 58 & 59

IDEM in Dialogis: Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo JESU Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoddam ex visibilibus & invisibilibus fieri? Sed necesse est, cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus. IDEM infra, capitulo de muliere: Nota duo. IDEM etiam capitulo de conjugatis: Si quis sua.

Chrysost. homil. 6 ad populum Antiochenum, tom. 5

JOANNES CHRYSOSTOMUS super Joanne: Ubicumque viderint sanguinem Dominicum, fugiunt quidem dæmones, concurrunt autem Angeli: hic sanguis effusus, omnem orbem terrarum lavit. * IDEM in sermone: Indigna & fucata mentis mysteriorum celebrantibus secreta, a diabolo præparantur insidiæ, qui magis ac magis a se mutantur, qui non æquo animo communicare festinant. * IDEM: Sicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, nullum præstat auxilium: ita & spiritualis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio.

Hieron. Epist. 28 ad Lucinium in fin. to. 1

HIERONYMUS in Epistola: Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in actibus Apostolorum diebus Pentecostes & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia, semper possemus accipere.

August. de Eccles. dog. ca. 54 tom. 3

AUGUSTINUS de Ecclesiasticis dogmatibus: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis die-

diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. IDEM de Civitate Dei: Corporis, & sanguinis Christi sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabuntur in umbra futuri. Et post: Pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus, Corpus Christi offertur, & participantibus ministrantur. BERNARDUS in legenda S. Malachiæ: Eucharistiæ plane sacramentum potens est peccata consumere, debellare obvias potestates, inferre cœlis revertentes de terra.

Idem de Civ. Dei lib. 17 c. 20 tom. 5

Ber. in vita S. Mala. Episc. longissime ante med.

CAPUT IV.

De Cruce.

GREGORIUS super Ezechielem: Redemptor noster; ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit. Et sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. AMBROSIUS super Beati immaculati: Crux est opprobrium perfido, fideli autem gloria, redempto resurrectio est: quia pro nobis passus est Dominus, illo nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione vocavit. JOANNES CHRYSOSTOMUS in sermonibus: Crux nobis totius beatitudinis causa est, hæc nos a cæcitate liberavit erroris, hæc e tenebris reddidit luci, hæc debellatis inimicis quieti perpetuæ nos sociavit, hæc alienatos Deo conjunxit, hæc nos peregrinos existentes cœlorum cives ostendit. IDEM: Crux spes Christianorum: Crux resurrectio mortuorum, crux cæcorum dux, crux desperatorum vita, crux claudorum baculus, crux consolatio pauperum. Et post; Crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus. Et infra: Crus insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crus imperitorum Philosophia, crux lex impiorum, crux Prophetarum præconizatio, crux annuntiatio Apostolorum, crux martyrum gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum. AUGUSTINUS super Psalmos: Crux finita est in pœna, sed infinita semper manet in gloria, a locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? ISIDORUS de summo bono: Quocumque o mens procellis mundi involveris, lignum conscende crucis, ut a mari, id est, a tempestate hujus sæculi libereris. * BERNARDUS in floribus. In cruce pendet omnis fructus vitæ: quia ipse est arbor vitæ, quæ est in medio paradisi: ipsa est longitudo & latitudo, sublimitas & profundum. Ipsa bonos colligit & remunerat: ipsa malos dispergit & condemnat: ipsa est mœstorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio. RABANUS de laude crucis: In cruce insinuatur a morte redemptio, demonstratur sancta morum conversatio, intimatur omnium virtutum perfectio, promittitur ad æternam vitam ingressio, æternæ beatitudinis speratur adeptio, & veræ felicitatis acquisitio. IDEM. In te crux S. Angeli gaudia sua accumulata conspiciunt, in te homines jura salutis suæ cognoscunt, in te inferi justam retributionem fraudis suæ percipiunt. Omnibus es æqua, omnibus justa. Præterita renovas, præsentia illustras, futura præmonstras, perdita requiris, quæsita invenis, inventa custodis. IDEM. Tu S. Crux peccatorum remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentatio. Infirmorum remedium, laborantium auxilium, & lassorum refrigerium. Sanorum incolumitas, quietorum serenitas, fortunatorum felicitas. IDEM: Tu S. Crux cura ægrotos medicans, tu gaudium mæstos consolans, tu sanitas dolentes lætificans, tu status credentium recte, tu firmitas operantium bene, tu beatitudo perseverantium, rite, sancta, pia, bona, justa. CASSIODORUS super Psalterium: Crux est humilium invicta tuitio, super-

Greg. hom. 6. in Ezec. circa med.

Ambr. in Psal. 118 octonaria. 21 in fin. tom. 2 edi. Rom.

Chrysost. hom. 2 de Cruce. & latrone tom. 3

Idem Ho. de cruce circa med. tom. 3

August. enar. in Psal. 36 conci. 2 de 2 p. ejus Psal. longe ante med. tom. 8

Isidor. de sum. bo. lib. 2 c. 22 sen. 2

Raba. li. 1 de Lau. cruc. in Declarati. 17 figura.

Ibidem in declarati. 21 figu.

Ibidem.

Ibidem.

Cass. in Psal. 4 Vers. signatum est super nos.

superborum abjectio, victoria Christi, perditio Diaboli, infernorum destructio, cælestium reformatio, mors infidelium, vita justorum.

CAPUT V.

De B. Maria.

Greg. Regist. lib. 9 in d. 4 c. 61

GREGORIUS in registro: Dum unigenitus Dei existens ante sæcula, ex Mariæ utero natus est homo, investigabili miraculo, facta est & ancilla hominis per divinitatem, & Mater Verbi per carnem. IDEM in moralibus loquens de Verbo illo. Lucæ primo: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Quia umbra non aliter exprimitur nisi per lumen & corpus, virtus altissimi obumbrabit Mariæ: quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit. Ex quia videlicet obumbratione, omne in se refrigerium mentis accepit. IDEM: Christus non operante coitu, sed Spiritu sancto superveniente, conceptus est. Natus autem materna viscera & fœcunda exhibuit, & incorrupta servavit. AMBROSIUS de virginibus: Talis fuit Maria, ut ejus unius vita, omnium disciplina sit. IDEM: Quicumque sibi Mariæ exoptat præmium, ejus imitetur exemplum. IDEM: Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit: vidit & Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. IDEM: Virgo erat Maria non solum corpore, sed & mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem ponens, intenta operi, verecunda sermone. IDEM: Quando læsit Maria vultu parentes? quando dessensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solum solita erat cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, non præteriret verecundia. IDEM: Nihil torvum in oculis Mariæ, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus lascivior, non vox

Idem Mor. lib. 33 c. 3 in princ. — *Ibid. li. 24 Moral. c. 2* — *Ambr. de Virg. lib. 2 ante med. tom. 4* — *Ibidem.* — *Ibid. lib. 3 longe ante med.* — *Ibid. lib. 2 non multum a princ.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

A petulantior, ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. AUGUSTINUS contra quinque hæreses: Sicut in transitu Mariæ non est corrupta virginitas, sic in ea non est maculata majestas. IDEM: Unde sordes in Maria, quæ nec concipiendo, libidinem, nec pariendo, passa est dolorem? Unde sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam fabricator ejus & Dominus venit. IDEM: Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam: illa gustando prohibitum: maledicta, hæc credendo Angelo, benedicta. IDEM de virginitate: Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. IDEM: Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi
B felicius Christum corde, quam carne gestasset. Ipsa quoque virginitas ideo gratior, & acceptior: quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit: IDEM: Quo modo (inquit) fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. IDEM in sermonibus: Vera ratione censeo, confitendum,
C Mariam in Christo & apud Christum esse. In Christo, quia in ipso vivimus, movemur, & sumus: apud Christum, gloriosæ ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam ceteris, atque ad communem utilitatem non esse adductam post mortem, putredinis videlicet, vermis, & pulveris. BEATUS BARTHOLOMÆUS ut habetur in legenda: Hæc prima inter fœminas hoc constituit in corde suo, ut diceret Deo: Domine offero tibi virginitatem meam, cum hoc a nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem invitata fuisset. HIERONYMUS in sermone: Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita etiam in comparatio-

Aug. oratione de quin. hær. c. 5 tom. 6 — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Idem lib. de Virgin. sancta, c. 3 tom. 6* — *Ibidem.* — *Ibid. ca. 4* — *Ibidem Tractatu de assumpt. Bet. Mar. c. 8 to. 9 & est ser. 34 de Sanctis.* — *Hieron. in ser de assumpti. B. Mariæ, t. 9 quem ser. alii Sophronio ascribunt.*

tione Matris Domini nulla fœminarum invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximia comprobetur. *Ibidem.* IDEM: Totam repleverat Spiritus sancti gratia, totam incanduerat divinus amor: ita ut in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus & ebrietas perfusi amoris. *Ibidem.* IDEM: Quidquid in Maria gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de cœlo prospexit. *Ibidem.* IDEM: Maria quia mente passa est, plus quam martyr fuit. Nimirum quoniam ejus dilectio amplius fortis quam mors: quia mortem Christi suam fecit. *Ibidem.* IDEM: Si Spiritu Dei omnis virtus Angelorum constat, beatam & gloriosam Virginem, in quam supervenit Spiritus sanctus & Deus totus, ita ut portaretur novem mensibus in ejus utero, creditur ampliora promeruisse virtutum privilegia, & percepisse gratiam ab Angelis etiam collaudatam. *Ibidem.* IDEM: Si in domo patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem domum matri filium præstitisse, quam olim ædificavit sibi domum subnixam columnis septem. *Chrysost. hom. 1 in Mat. operis imper. tom. 2.* JOANNES CHRYSOSTOMUS super Matthæum: O inæstimabilis laus Mariæ, magis credebat Joseph castitati ejus, quam utero ejus, & plus credidit gratiæ quam naturæ. Conceptionem manifestam videbat & fornicationem suspicari non poterat: possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. *Ibid. Paulo supra.* IDEM: Comessatrix aut vinolenta numquam Maria fuit, non levis, non otiosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia, aut loquuntur, aut audiunt: non super virum oculos suos extulit, aut infixit aspectum. *Isid. de vita & morte Sanct. nov. test. cap. 68.* ISIDORUS de novo testamento: Maria, quæ interpretatur domina sive illuminatrix, clara stirpe David, virga Jesse, hortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei vivi, sacrarium Spiritus sancti. *Beda hom. in festo anun. B. Mar. to. 7.* BEDA in homiliis: Jure Angelico aspectu simul, & affatu meruit perfrui, quæ Angelicam vitam studuit imitari. IDEM:

A Decebat ut sicut, per superbiam Evæ mors intravit, ita per humilitatem Mariæ panderetur introitus vitæ. *Ibid. hom. in sexta feria 4 tempo um Decemb.* *Damasc. fid. orth. lib. 4 c. 15.* JOANNES DAMASCENUS: Maria in domo Dei plantata, & impinguata Spiritus sancto, ut oliva fructifera omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni vitæ hujus vitio, & carnalis desiderio mente desistens, & ita virginem animam observans cum corpore, quod decebat eam Deum in sinu suo suscipere. *Bern. in Cant. ser. 29 in fin.* BERNARDUS super Cantica: Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam totaliter pertransivit: ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret; sed toto corde, tota anima, B tota virtute diligeret, & esset gratia plena. *Idem ho. 2 sup. Missus.* IDEM super Missus est: In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres orationis suffragium non deseras conversationis exemplum. Ipsam enim sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras: ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia securus ad gratiam pervenis. *Idem circa med.* IDEM: Quod Moysi monstratum est in rubo & igne, Aaron in virga & flore, Gedeon in vellere & rore: hoc aperte Salomon prævidit in forti muliere, & ejus pretio: apertius præ- C scivit Hieremias de fœmina & viro: apertissime Isaias declaravit de virgine & Deo: & Gabriel tandem exhibuit ipsam virginem salutando. *Ibid. ante med.* IDEM: Ipsa conteret caput tuum, &c. Cui hæc victoria servata est nisi Mariæ? ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni spiritus suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. *Idem. ho. 3 super Missus est.* IDEM: Audi filia & vide, &c. Inclinavit Maria aurem suam, videlicet ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum & domum patris sui: quia nec populum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit hæredem, sed quidquid honoris in populo,

lo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est quasi stercora, ut Christum lucrifaceret. IDEM: Ipsa est nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor in supernis præfulget, & inferos penetrat, terram etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quam corpora, fovet mentes, & excoquit vitia. IDEM in Epistola: Fuit procul dubio mater Domini ante sancta, quam nata, nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis diem: IDEM. Decuit reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ & justitiæ omnibus obtineret. IDEM: Si ante conceptum suum sanctificari minime potuit, quoniam non erat: sed nec in ipso conceptu, propter peccatum, quod inerat: restat quod post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur. IDEM in sermone: Sileat misericordiam tuam, o B. Virgo, si quis invocatam eam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus enim virginitatem tuam, & humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius: quia misericordiam complectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim illa, quæ totius mundi reparationem obtinuit, & salutem omnibus impetravit. IDEM: Quis misericordiæ tuæ, o Benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem: & profundum ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. IDEM: Maria omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine illius accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam. * IDEM: Fuit beata Virgo fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. IDEM: In te sola Beata Virgo rex ille dives & prædives exinanitur, & excelsus humiliatur, & immensus abbreviatur, & ab Angelis minoratur, verus denique Deus & Dei filius incarnatur. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. * IDEM: Mariam salutans Angelus, non solum plenam gratia, sed etiam adhuc superventurum in eam asserit Spiritum sanctum. Ad quid nisi ut, adveniente jam spiritu: plena sibi, eodem superveniente, nobis quoque superplena & supereffluens fieret? IDEM: Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam judicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. IDEM: Filioli MARIA peccatorum scala, MARIA mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest ne filius aut repellere te, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam, & sola est gratia, qua egemus. IDEM: Non in sola Mariæ taciturnitate commendatur ejus humilitas, sed evidentius resonat in sermone. Audierat, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & nihil aliud quam ancillam ejus se esse fatetur. ANSELMUS de conceptu virginali: Decebat enim ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret: ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi virgo illa niteret, cui Deus pater unicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genuit, & tam-

Idem hom. 2 super. eod. in fin.

Idem Epi. 174 ad Canonicos Lugdunen. ante med.

Ibid. paulo post.

Ibid. prope fin.

Idem. ser. 3 in Assumpti. B. Mar. in fin.

Ibidem post pauca.

Idem ser. 2 B. Vir. ex ver. Apocl 12

Idem ser. 3 in Annuntia. Dominica post med.

Ibid. ser. 1 de Assump. B. Maria

Idem ser. in nati. B. Mariæ ante med.

Idem ser. 2 de B. Virg. Maria ex. Ver. Apo. 12

Ansel. de concep. Vir. ex pec. ori. cap. 18

quam seipsum diligebat, ita dare disponebat. * IDEM in libro orationum: Sicut o beatissima omnis a te aversus, & a te despectus, necesse est, ut intereat: ita ad te omnis conversus, & a te respectus, impossibile est, ut pareat. IDEM: O fœmina mirabiliter singularis: & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, Angeli reintegrantur. O fœmina plena & superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic revirescit omnis creatura. O virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura, non solum creatura a creatore, sed etiam creator a creatura. * IDEM circa Soliloquium: Loquamur domina, beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrant, cœlos superant: per plenitudinem enim gratiæ tuæ, & quæ in inferno erant se lætantur liberata, & quæ supra cœlum sunt, se gaudent restaurata.

CAPUT VI.

De Angelis.

Greg. lib. 28 Mor. cap. 2 post med.

GREGORIUS Moralibus: Nisi Angeli quædam nobis interna nunciantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent: nec cibos cum Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti alimento gestarent. IDEM: Divinitatis celsitudinem quamvis sublevatæ videant, nec virtutes tamen Angelicæ comprehendunt. IDEM: Certa Angelorum ministeria dispensandis quibusque gentibus sunt prælata. IDEM: In hoc est nunc natura Angelica a nostræ naturæ conditione disjuncta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: angelorum vero spiritus, loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distenti sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. IDEM in homilia: In hominibus omne judicium per Angelos exhibetur. AUGUSTINUS de Civitate Dei: Sancti Angeli, quorum societati & congregationi in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. JOANNES CHRYSOSTOMUS in sermone: Factum est, ut moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Tantæ pœnæ pauperis sic repente deliciis commutantur, ut portaretur ab Angelis, & induceretur in paradisum, ne saltem ambulans pauper Lazarus laboraret. Portatur post tantos labores, quia prius defecerat: & portatur ab Angelis. Non enim suffecerat ad portandum pauperi unus Angelus, & propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant. IDEM super Epistolam ad Hebræos: Intellige quantus honor nobis existit, ut ad nos sicut ad amicos ministros Angelos suos destinet Deus. Quamvis enim multum intersit inter Angelos & homines, propinquos tamen nobis eos fecit Deus: quia nostræ saluti student, propter nos discurrunt, nobis suo funguntur officio. ISIDORUS de summo bono: Inest Angelis mutabilitas in natura, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. IDEM: Inter Angelos distantia potestatum est, & pro graduum dignitate ministeria eisdem sunt distributa, aliisque alii præferuntur tam culmine potestatis, quam scientia veritatis. HIERONYMUS infra in capitulo de homine: Magna dignitas! BERNARDUS super Cantica: Gaudent Angeli in conversione & pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes, lacrymæque pœnitentium vinum eorum. IDEM: Non ambigo, quin Angeli gratanter in palatio colligant, quem tam gratanter in sterquilinio visitant. Denique lætati sunt in conversione peccatorum, & in assumptione præmiorum non agnoscent? IDEM in Epistola: O si quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit, videret proculdubio quemadmodum præveniunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum: videret, inquam, qua

Marginal notes: *Ibid. li. 9 cap. 10* — *Ibid. li. 17 cap. 8* — *Ibid. li. 2 cap. 2 paulo post med.* — *Idem hom. 34 in Ev.* — *Aug. li. 11 de Civ. Dei, ca. 31 in fin.* — *Chrysost. hom. de divite in cap. 16 Luc. to. 2* — *Idem ho. 3 in Epist. ad Heb. ante med. to. 4* — *Isidor. de sum. bo. l. 1 c. 12 sen. 2* — *Ibid. sen. 14* — *Ber. ser. 30 in Cant. ante med.* — *Ibid. ser. 2 in fin.* — *Idem Epi. 78 ad Suger. Abb. ante med.*

cura, quove tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus, & procurantibus præsunt. IDEM super Qui habitat: Quid sub tantis custodibus timeamus? nec enim superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris: fideles enim sunt, prudentes sunt, potentes sunt. GLOSSA. Quotidie Angeli de terra longinqua idest, de superna patria descendentes, in mundo justos, vel inter tentationes spe cœlestium roborant, vel finito certamine, ad palmam retributionis inducunt. GLOSSA: Adest unicuique nostrum Angelus bonus, qui regat, moneat, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus nostris exposcendis quotidie videat faciem Dei.

Idem ser. 12 post med.

Glossa in Prov. 25 post med.

Gloss. in Num. 25

De distinctione novem ordinum.

GREGORIUS in homiliis: Hi, qui minima nuntiant Angeli: qui vero suprema annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc est, quod ad Mariam virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Et infra: Virtutes vocantur hi nimirum spiritus, per quos signa, & miracula frequenter fiunt. Potestates vocantur hi, qui hæc potentius in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrænantur: ne corda hominum tantum tentare prævaleant quantum volunt. Principatus quoque vocantur, qui & ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum quæcumque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina mysteria principantur. Dominationes vocantur, qui etiam potestates principatuum dissimilitudine alta transcendunt. *Subinfert*: Ea ergo Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent pro eo, quod eis cetera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur. Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicium, semper Deus omnipotens præsidet. *Et infra*: Et sublimiora illa agmina ideo Cherubin vocata sunt: quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur: ut secundum creaturæ modum eo plenius omnia sciant, quo visioni conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphin autem ardentes vel incendentes vocantur, quæ quia sic Deo conjuncta sunt, ut inter hæc, & Deum nulli alii spiritus medii intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. IDEM in eadem homilia: Distinctæ conversationes singulorum hominum distinctis ordinibus congruunt: & in eorum sortem, vel ordinem per conversationis similitudinem deputantur. Nam sunt plerique qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt: Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui divinæ largitatis munere refecti, secretorum cœlestium summa non solum capere prævalent, sed etiam aliis nuntiare. Quo ergo isti nisi in Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alii, qui faciunt mira, signa valenter operantur. Quo ergo isti nisi ad supernarum virtutum sortem, & numerum congruunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque tute orationis & vi acceptæ potestatis eiiciunt. Quo itaque isti per meritum suum, nisi inter potestatum cœlestium munerum sortem sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, cumque & bonis meliores sint, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo isti sortem suam nisi inter principatuum numerum acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis, omnibusque desideriis & illecebris dominantur, ut ipso jure munditiæ dii inter homines vocentur. Quo ergo isti nisi inter numerum Dominationum currunt? Et sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum se sollicita intentione discutiunt, divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis acci-

Greg. Homil. 34 in Ev. ante med.

Ibid. circa med.

accipiunt, ut judicare & regere alios possint, quorum profecto mentibus divina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti nisi throni sui conditoris sunt? Quia vero Cherubin plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas, omnes, qui Dei ac proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubin numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amore accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abiiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo amore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphin dixerim, quorum cor in ignem conversum lucet & urit?

Rom. 13.

Caput VII.

De Homine.

Greg. hom. 8 in Ev. cir. fin.

Gregorius in homiliis: Curemus fratres charissimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in æterna præsentia & Dei cives & Angelis æquales sumus, vendicemus moribus dignitatem nostram. Idem in Moralibus: Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem patriam Angelorum quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam mori non potuisset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non potuisset. Idem: Homo ab humo appellatus est, & quo modo valet esse sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra? Idem Non se desperet humana fragilitas, unigeniti sanguinem consideret, & in pretio suo conspiciat quam magna est, quæ tanti valet. Augustinus de adulterinis conjugiis: Indignantur viri, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas Christianas. Idem de Trinitate: Justitiam sibi dare non potest homo, quam perditam non habet. Hanc enim cum homo conderetur, accepit, & peccando utique perdidit. Idem de libero arbitrio: Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat, antequam fiat sapiens: si aut non se accommodet ad accipiendum præceptum, aut cum acceperit non observet. Idem de Civitate Dei. Infantia quidem hominis non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit nesciens, prophetat quodam modo. Idem: Puer a ploratu incipit, nec ridere potest. Propheta calamitatis lacrymæ sunt testes miseriæ: non adhuc loquitur & jam Prophetat. Erubescant cantatrices ibi non flere, ubi infans, qui non est unius diei, prædicat esse flendum. Idem super Genesi contra Manichæos: Omnium animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo signatur etiam animum nostrum in superna sua; idest, in æterna spiritualia erectum esse debere. Hieronymus in Matthæum: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Joannes Chrysostomus super Matthæum in hoc sumus imago Dei, ut quod bonum ei videtur, & apud nos sit bonum, & quod ei malum videtur, & apud nos sit malum. Idem in sermone: Comparatus est, ait Propheta, homo jumentis insipientibus, & similis factus est eis. Pejus est comparari, quam nasci: Naturaliter non habere rationem tolerabile est, verum ratione decoratum, irrationali creaturæ comparari, voluntatis est crimen.

Idem Mor. lib. 4 c. 26

Mor. c. 16 in fin.

Ibid. l. 27 c. 8 cir. fin.

Aug. de adult. con. l. 2 c. 8 t. 6

Idem de lib. arb. l. 3 c. 24 to. 1

Idem sup. Gen. l. 1 c. 17 in fi. t. 1

Hieron. l. 3 comm. in Matt. c. 18 t. 6

Chrysost. serm. de Ascens. Dom. circa med. t. 3.

Bern. l. Medit. c. 1 in princ.

men, non naturæ. BERNARDUS in meditationibus: Tria in mente mea invenio, per quæ Deum recolo, aspicio, concupisco. Sunt autem hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas. IDEM de consideratione. Homo natus ad laborem, non ad honorem. Homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu. Brevi vivens tempore, ideoque cum metu. Repletur multis miseriis, & propterea cum fletu, & vere multis: quia corporis & animæ simul. IDEM: Attende, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occasum, ac quid eris post hanc vitam. De primo paulo post versus:

Idem l. 2 de consid. longe post med.

Idem. l. Meditati. c. 3 paul. a prin.

Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque,
Surripuere tibi nosse, quid esset homo:

De secundo:

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Idem ser. 1 in Annunciat. B. Ma. circa med.

IDEM: Ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutem habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri. IDEM: Quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hic incommodo miserabiliter laboramus: Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Unde idem. BERNARDUS: Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, deiicimur & superamur. Nec mirum, quia ut dicitur in Job: Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari, scilicet adversarii nostri. BOETIUS infra in capitulo de ignorantia humanæ naturæ: AUCTOR de spiritu & anima: Anima est rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Per rationabilitatem habilis est illuminari ad aliquid cognoscendum infra se, supra se, in se, juxta se. Cognoscit siquidem Deum supra se, se in se, Angelum juxta se, quidquid cœli continetur ambitu, infra se. Per concupiscibilitatem & irascibilitatem habilis est affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum: & ideo de rationabilitate omnis sensus animæ oritur, & de aliis omnis affectus.

Idem ser. 7 de adven. Dom.

Ibidem.

Jobi 41

Auct. de spir. & an.

c. 4 apud Aug. to. 3

CAPUT VIII.

De Muliere.

Greg. Reg. lib 12 ind. 7 interroga. 10 Aug. c. 30

GREGORIUS in registro: Si hora eadem, qua genuerit, actura gratias mulier intret Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est: nam in prolis prolatione gemitus. IDEM: Menstrua consuetudo mulieribus non culpa est, videlicet quia naturaliter accidit. IDEM: Si in menstrua consuetudine ad Sacramentum Dominici corporis & sanguinis accedere mulieres non præsumant, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum vero percipiendæ ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ non sunt. IDEM: In Sina monte Dominus ad populum locuturus, prius eundem populum abstinere a mulieribus præcipit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita ut qui verba Dei perciperent mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis de ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? AUGUSTINUS de Civitate Dei: Quod fœmina Adæ ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quam sacra mariti & uxoris debeat esse conjunctio. IDEM: de patientia: Non Diabolus uxorem Job, cum etiam filios abstulis-

Ib. circa med.

Ib. paulo post.

Ibid. circa fin.

Aug. de Civ. Dei l. 12 c. 26 in fin.

Idem l. de patient. c. 12 tom. 4

lisset, tamquam nocendi imperitus reliquerat, quæ quantum esset necessaria tentatori jam in Eva didicerat: sed modo alterum Adam, quem per mulierem caperet, non invenerat. Cautior fuit Job in doloribus, quam Adam in nemoribus. IDEM de decem chordis: Illa est casta, & sancta fœmina, & vere Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed dolet propter charitatem. IDEM de verbis Domini: Quod dolendum est, multi viri vincuntur a fœminis, servant fœminæ castitatem, quam viri servare nolunt. AMBROSIUS de virginibus: Saltat, sed adulteræ filia quæ vero pudica, quæ casta est, filias suas religionem docet, non saltationem. JOANNES CHRISOSTOMUS super Matthæum in originali: Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, notorium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem viro tormentum est, necesse est, ut aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes, quotidianas pugnas & amaritudines habeamus. IDEM Sexus muliebris incautus & mollis est. Incautus quidem, quia non omnia quæ videt, aut audit, cum sapientia & ratione considerat. Mollis autem quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. IDEM in sermone: Quid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, sobria, & pudica. Pulchritudo autem est sine his virtutibus præcipitium patens, venenum insipientibus compositum. IDEM super Joannem: Nihil fortius muliere religiosa & prudente ad deliniendum virum, & informandum ejus animum ad quodcumque voluerit. HIERONYMUS in Epistola ad Oceanum: Janua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus fœminarum est. Cum proximat stipula, incendit ignem, flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis, exurit fundamentaque montium. SENECA in Proverbio: Malo in consilio vincunt fœminæ viros. SECUNDUS Philosophus: Mulier est hominis confusio, insaturabilis bestia, sollicitudo continua, indesinens pugna, quotidianum damnum, castitatis impedimentum, domus tempestatis, adulterii vas, viri & continentiæ naufragium, præcipuum prælium, animal pessimum, pondus gravissimum, aspis insatiabilis, humanum mancipium.

Idem l. de dec. chord. c. 9 t. 9

Idem de verb. Dom. serm. 46 in ante med. t. 10

Ambr. de Virg. l. 3 pag. 4 a princ. t. 4 edit. Rom.

Chrysost. operis imperf. Hom. 32 in c. 19 Mat. post med. to. 2

Ib. hom. 44 in c. 23 Matth. in princ.

Idem ho. in Ps. 30 ante med. tom. 1

Idem ho. 60 in c. 10 Jo. post med. t. 3

Hier. Ep. ad Ocea. de vita cler. to. 9

A

CAPUT IX.

De Christianis bonis.

GREGORIUS in Moralibus: Ecce veritas clamat: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Perfectus igitur Christianus quo modo debet res terrenas jurgando defendere, quas non præcipitur possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfecte Deum sequimur in hujus vitæ itinere, a magno onere levigati sumus. IDEM in registro: Christianum decet, ut nobilem, plus benignum, quam rigidum, plus misericordem esse, quam districtum, & lucrum de damno alterius non expectare, sed recepti prætii sit sorte contentus: quatenus quidquid cessit pauperi, omnipotens ei Deus multiplicata, sicut promisit, restitutione compenset. AUGUSTINUS de verbis Domini: Cum Christianus cœperit bene vivere, ac fervere bonis operibus, mundumque contemnere, statim in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores & contradictores frigidos Christianos: Si autem perseveraverit, & eos superaverit perseverando, & non defecerit a bonis operibus, in idipsum illi jam obsequuntur, quod ante prohibebant. IDEM de vita Christiana: Hoc est sacrificium, quod Deus super omnes hostias quærit & diligit, ut per justitiæ nostræ opera nomen suum ubique laudetur, & Deus verus esse servorum suorum actu & opere comprobetur. IDEM: Non solum hoc a Christiano quæritur, ut malo careat, sed ut bonum exerceat. ISIDORUS de Etymologiis: Non se glorietur Chri-

Greg. l. 31 Mor. c. 8

B

Idem Reg. l. 7 Ind. 2 cap. 37.

C

Aug. de Verb. Dom. ser. 18 post med. t. 1.

Idem l. de vita Christia. c. 9 in fin. t. 9

Ibid. c. 18 in prin.

Isid. l. 7 Ety. c. 14

Christianum, qui nomen habet, & A facta non habet: ubi autem nomen secutum fuerit opus, certissime ille est Christianus, qui se factis Christianum ostendit, ambulans sicut & ille ambulavit, a quo & nomen traxit. AMBROSIUS in Epistola: Omnis, qui Christum recipit, sapiens est: qui autem sapiens est, etiam liber est: omnis igitur Christianus, & liber, & sapiens. JOANNES CHRYSOSTOMUS in Epistola: Unum tantummodo Christianus judicat malum, solumque formidat Domini cœlestis offensam. BERNARDUS in Epistola: Quid prodest Christum sequi, nisi contingat & consequi? Ideo Paulus ajebat: Sic currite ut comprehendatis. IDEM: Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est (inquit) obediens usque ad mortem. GLOSSA Bedæ Jacobi primo: Ne indignemini si mali in mundo florent, si vos patimini: quia non est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo, sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingat gaudere debetis. Glossa. * Mansuetudo hominem spernit, humilitas in se omnibus subiicit, decet autem Christianum æqualibus & inferioribus affabilem esse, & mitem, senioribus humilem.

Amb. Ep. ad Simplicia. de Ver. Ps. 104 t. 2 Edit. Rom.

Bern. Ep. 6 ad Theodor. Monalonge post med. to. 5

Idem in Ep. 253 ad abb. Garin. prope fin.

CAPUT X.

De Christianis malis.

GREGORIUS in Moralibus: Multos peste propriæ pravitatis obsessos, sub Christiano nomine ipsa tranquillitas Ecclesiasticæ pacis abscondit: quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream velut paleas tollit. IDEM in Registro: Si veraciter Christianus esses, plus Dei judicium quam voces hominum timeres. HIERONYMUS infra in Capitulo: De stultiloquio, De turpiloquio: Non flagito. AUGUSTINUS de decem chordis: Qui non de futuro sæculo cogitat, nec propterea Christianus est, ut id quod in fine Deus promittit, accipiat, nondum

Greg. l. 25 Mor. c. 10 cir. med.

Idem Regi. 11 in p. 7. cap. 30

Aug. de dec. chor. c. 4 in princ. tom. 9

Christianus est. IDEM de vita Christiana: Christi, ille non famulus, sed subsannator & irrisor est, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. IDEM: Non in hoc nobis nomen tantum quod Christiani dicimur, blandiamur, sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vendicemus alienum: ISIDORUS de summo bono: Christianus malus secundum Evangelii doctrinam non vivit, & ipsam fidem, quam verbo colit, adorta tentatione, facile perdit. BERNARDUS super Cantica: Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace pax est, & non est, pax B a paganis pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis Ecclesiæ etiam tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, spreverunt & maculaverunt me. IDEM in sermone: Nunc frustra clamat Christus de levitate oneris sui, sine causa jugum suum suave prædicat: quando quidem & ab ipsis, qui Christiano censentur nomine, onus Diaboli, & jugum carnis atque sæculi hujus delectabilius reputatur. IDEM: Sicut ipsi Christum prosequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur, amici tui Deus & proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt, conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani a minimo usque ad C maximum.

Idem lib. de Vi. Christia. c. 1 t. 9

Ib. c. 6

Isid. de sum. bo. li. 2 c. 2 sent. 12

Ber. in Cant. ser. in fin.

Idem ser. 1 in conv. S. Pauli.

CAPUT XI.

De prælatis bonis.

GREGORIUS in Moralibus: Pia pastorum mens, quia non propriam gloriam sed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari. IDEM Nolenti mihi atque reverenti cum grave esset altaris mysterium etiam pondus est curæ pastoralis injunctum. IDEM in Dialogo. Petri vicem & ligando & solvendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. IDEM in pastorali: Rector semper cogitatione sit mundus quatenus hunc nulla immunditia polluat, qui hoc susci-

Greg. l. Mor. 22 c. 16 in fin.

Ib. in Ep. dedi. ad Lean. c. 2 ante expo. in Job.

Idem li 2 Dial. cap. 23

Idem past. cu. 2 paro cap. 2

Ibidem 2 par. cap. 3 fucipit officium, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: Mundamini, &c. IDEM: Sit rector actione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, & grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur: Super montem excelsum, &c. *Isa. 40* *Ibid. 2 p. cap. 4* IDEM: Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem protrahit: ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. De Primo in numeris: Vas, quod non, &c. De secundo in Isaia: Canes muti. *Num. 19* *Isa. 56* *Ibi. 2 par. cap. 5* IDEM: Sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, ut & per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat. In Genesi de Angelis ascendentibus & descendentibus. *Gen. 28* *Ibi. 2 par. cap. 6* IDEM: Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem sui prioratus agnoscat. In Epistola ad Hebræos dicitur, quod tria erant in arca, scilicet manna dulcedinis, virga disciplinæ, & tabulæ scientiæ legis. *Ibidem 2 par. ca. 5* IDEM: Tales sese, qui præsunt, exhibeant, quibus eorum subiecti occulta quæque sua podere non erubescant: ut cum tentationum fluctus parvi tolerant, ad pastoris sui mentem, quasi ad matris suæ sinum recurrant. *Heb. 9* *Ibidem 2 part. Past. c. 2 refertur in Glos. Ezec. 28* IDEM: Debet rector subtili examine bona malaque discernere, & quæ vel quibus, quando & qualiter congruant studiose cogitare, nil proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona reputare. *Refertur in Gloss. Cantic 5* IDEM: Qui ad solicitudinem regendarum animarum se accingit, restat, ut quibus æterna prædicat, ad providenda quoque eis temporalium necessitatum subsidia invigilet. *Idem ho. 26 in Evan. ante med.* IDEM in homiliis: Causæ pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta

A post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. * IDEM in registro: Prælatorum bonitas subiectorum salubris est regula. IDEM: Sic nos fidelibus subditis tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipsos, quos doloribus affligunt, & habere hæredes quærunt. *Idem Re. lib. 11 ind. 7 interrogati. Au. cap. 4* AUGUSTINUS de pastoribus: Glorientur pastores, sed qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc est Christum in subditis pascere, hoc est in Christo pascere, hoc B est propter Christum & propter subditos sibi non parcere. *August. de Past. cap. 13 non lon. ge a prin. tom 9* IDEM: De bonis ovibus fiunt boni pastores. *Ibid. paulo ante.* IDEM: Habemus duo quædam, unum quod Christiani sumus, alterum quod præpositi sumus. *Ibid. cap. 1 in prin.* Illud quod Christiani sumus, propter nos est, quod præpositi sumus, propter alios est. In eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra, in eo quod præpositi sumus, non nisi aliena. AMBROSIUS in pastorali: Quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini. *Amb. lib. de dignitate sacerdotali. ca. 3. tom. 4* Ne sit nomen inane, & crimen immane. Nec sit honor sublimis, & vita proclivis. Ne sit C deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus & irreligiosus profectus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ovinam & ferocitatem habeamus lupinam. IDEM de officiis: Decet omnes censura frugalitatis, continentiæ auctoritas & maxime eum, qui honore præstat, ne præeminentem virum thesauri possideant sui, & pecuniis serviat, qui præest liberis. *Idem lib. 2 offic. c. 13* *Ibi. ca. 12* IDEM: Quo modo potes eum judicare, consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro.

ro. * JOANNES CHRYSOSTOMUS super Matthæum: Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem. * IDEM: Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem succumbere pœnitentem. ISIDORUS in Synonymis: Talem te redde subditis, ut magis ameris quam timearis. Reverentia enim ex amore procedit, odium vero timor efficit. BERNARDUS in Epistola: Nec præceps eris in sententia, nec vehemens in vindicta, non in corrigendis remissior, non in parcendis severior, non pusillanimis in expectandis, non superfluus in victu, non notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum, non prodigus dator, non tenax ad largiendum. IDEM: Non vos felices, quia præestis & non prodestis, immo si non prodestis, vos infelices putate. Ut autem secure præesse possitis, subesse & vos, si cui debetis, non indignemini. Indignatio quippe subiectionis, prælationis reddit indignum. IDEM; Si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia Dei pretiosius, nil optabilius est bono utilique pastore. Nempe rara avis est ista. IDEM: In alto noli altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil rarius apud homines. IDEM super Cantica: Sciant boni fidelesque præpositi languentium sibi creditam curam animarum, non pompam rerum sæcularium: cumque internum murmur cujuspiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, & si etiam in ipsos usque ad convicia & contumelias prorumpentes, medicos se & non dominos agnoscentes, parant confestim adversus frenesim animæ, non vindictam, sed medicinam. IDEM infra capite de fama: Validos & constantes. IDEM de Præcepto & dispensatione: Ponant præpositi metam obedientiæ subditorum ex votis labiorum suorum, non suorum desideriorum, monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes ei, cum necesse fuerit ad remissiora, non cadentes cum eis ad deteriora. IDEM: Nil me prælatus prohibeat eorum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. IDEM de consideratione: Præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis ut prosis, præsis ut fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses non imperes. IDEM: Si te agnoscis sapientibus & insipientibus non dominatorem, sed debitorem; conandum summopere tibi & tota vigilantia considerandum, quo modo & qui non sapiunt, sapiant, & qui desipuere, resipiscant. IDEM: in secunda parte Epistolarum: Pascere tripliciter debemus, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis, & pascere ad mandatum Christi, ut nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit a Deo tamquam Aaron. * IDEM in sermone: Quoties prælatus pro uno ex minimis Dei spirituale studium intermittit, toties pro eo spiritualiter animam suam ponit. IDEM multa infra de temperantia, de dignitate bona, de zelo, de sollicitudine, de correptione, de æquitate.

Isid. li. de Synony. cap. penul. in princ. *Ber. Epist. 42 ad Henric. Senon. Archiepis. non longe a princ.* *Ibid. longe post med.* *Ibid. Epist. 248 ad Eugenium Papam.* *Idem Epi. 123 Hildeber. Turo.* *Idem in Cant. ser. 25 in prin.* *Idem in tract. de praecep. & dispens. longe ante med.* *Ibid. paulo ante verba citata.* *Idem lib. 2 de consid. non longe a prin.* *Ibid. paulo post prad. ver.* *Idem in declama. sup. Ecce nos reliqui. omnia, ante med.*

CAPUT XII.

De Prælatis malis.

GREGORIUS in Moral. Unusquisque superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus honoris sui singularitate lætatur. IDEM infra in capitulo de stultiloquio, de conviciatione: Sæpe qui in potestate sunt. IDEM: Cum majores ipsi voluptati deserviunt, nimirum minoribus lasciviæ fræna laxantur. IDEM: Hypocrita, assumpto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, & temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærit. IDEM in registro: Ita sibi regentium merita connectuntur, & plebium, ut sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat vita

Greg. lib. Mor 24 cap. 14 *Ibid. lib. 2 cap. 10* *Ibid. li. 31 cap. 8 in prin.* *Idem Reg. lib. 6 ca. 19 post med. & lib. 25 Mor. c. 14*

vita subditorum: & sæpe ex demerito plebium delinquat vita pastorum.

Ibid. l. 7 ind. 2 c. 114

IDEM: Quod dicere pudet, & grave tacere est, regendi rectores, & qui docendi sunt doctores, nec erubescunt videri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ductoris est ignota, & quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt.

Ibid. l. 4 ind. 13 c. 48

IDEM de quodam abbate malo. Qui tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis numquam præponi debuit.

Aug. de civ. Dei l. 19 c. 25 t. 5

AUGUSTINUS in Epistola: Omnis, qui male vivit in conspectu eorum, qui præpositus est, quantum in ipso est, omnes occidit. IDEM de Civitate Dei: Illo pacis ordine, quo alii aliis subjecti sunt, sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus.

Idem l. 2 de past. c. 1 in princ. t. 9

IDEM de pastoribus: Sunt pastores, qui pastorum audire nomina volunt, pastorum officium implere nolunt. IDEM

Ib. in fin.

Quisquis ita præpositus est, ut in eo, quod præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit non oves.

Ib. cap. 4 in prin.

IDEM: Parum est malis pastoribus, quod oves languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant, sed etiam ipsas fortes, & pingues necant, quantum in ipsis est: & si illæ vivunt, de misericordia Dei vivunt, tamen quantum ad pastores malos attinet, occidunt. Quod modo (inquis) occidunt? male vivendo, malum exemplum præbendo.

Bern. de consid. lib. 2 circa med.

BERNARDUS de consideratione: Monstruosa res est, gradus summus, & animus infimus: status supremus, & gressus minimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus gravis, & actus levis: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.

Ib. paulo ante cit. ver.

IDEM: Simia in tecto, rex fatuus in solio suo sedens.

Idem Ep. 42 ad Hen. Senon. Ar. duabus pag. in pri.

IDEM in Epistola: Si instar mei qui ovis sum, pastor meus & ipse curvus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, ventri solum, mente jejunus, pabula terrena quæritans, in quo discernimur? Væ si venerit lupus, non erit, qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. IDEM

A

Idem in Cant. ser. 23 ante med.

super Cantica: Innumeros cernes simpliciter, ac sine querela inter fratres conversari, quos si fratribus præesse feceris, non solum inutiliter, sed & insipienter, & nequiter agere videbis.

Ib. ser. 77 non longe a princ.

IDEM: Non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instruere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare, & devorare, dicente de prælatis Domino: qui devorant plebem meam, ut cibum panis.

Ib. ser. 76 in fin.

IDEM: Quo modo in pascua divinorum educet eloquiorum greges Dominicos pastor idiota? Sed & si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non

B

tam nutriat doctrina, quam vita sterili noceat. IDEM: Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi: ministri CHRISTI sunt, & serviunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histronicus habitus, regius apparatus in cibis, & potibus.

Ib. ser. 30 circa med.

IDEM: Miror audaciam plurimorum, quos non videmus de suis vineis colligere, nisi spinas & tribulos: vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri, fures sunt & latrones, non custodes, neque cultores in illis.

Ib. ser. 10 non longe a princ.

IDEM De eis dico, qui animas regere susceperunt, quod sine mirabili gemi-

C

tu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitione turpis quæstus.

Ibid. paulo post.

IDEM: Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profecto matres, qui cum sint de crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. IDEM: Parum est nobis, infra in capitulo de oblivione.

Ibid. ser. 77 paulo post princ.

IDEM Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? Ubi est, qui orando flectat iram Dei, qui prædicet annum placabilem Deo? leviora loquimur, graviora gravius manet judicium,

IDEM

Idem ser. de conv ad clericos, c. 31

IDEM in sermone: Utinam nostri quicumque videntur hodie Pharisæi, forte enim aliqui sunt, etiam si non facerent, saltem dicerent, quod oportet. Utinam qui sine sumptu Evangelium ponere nolunt, ponerent vel pro sumptu, utinam vel Evangelizarent, ut manducarent. Idem de contemptu: O terribilis Deus in consiliis super filios hominum, frustra, incipient miseri Prælati dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Cooperite nos. Venient ante tribunal Christi, audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata, quibus facti sunt duces cæci, mediatores fraudulenti. Idem in capite de ignorantia: Quando excusare poterit. Glossa in Matthæum: Quam rarus est Domino serviens, oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens. Multa infra lib. 3. cap. de honore, de zelo, de doctrina, de correctione, de remissione, de acceptione personæ.

Idem in declam. sup. Ecce nos rel. omnia, ante med.

Glossa in Matt. 24

CAPUT XIII.

De Subditis.

Greg. li. 34 Mor. c. 18 paul. ante med.

GRegorius in Moralibus: Cum subjectorum corda superbia instigat, hoc summopere agere nititur ut sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus, rectoris sui judices fiant. Idem: Dum salva fide, res agitur, virtutis est meritum, si quidquid superior præcipit humiliter toleratur. Debet tamen humiliter suggeri: si forte valeat, quod displicet emendari. Idem in registro: Servorum Dei humilitas, in afflictionis tempopore debet apparere. Qui vero se contra præpositos suos erigunt, profecto ostendunt, quia servi Dei esse contemnunt. Idem: Qui paternæ adhortationis verba libenti animo suscipit, & in sinu cordis amplectitur, emendatorem se vitiorum fore procul dubio profitetur. Idem in Homilis: Utrum juste, aut injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is, qui subest, & tamen injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam, ex alia culpa, mereatur. Idem: Pastor vel absolvere indiscrete timeat vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat juste, vel injuste, nec pastoris sui judicium temere reprehendat; ne, & si injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. Idem infra in capitulo de disciplina: Tanto apud Dominum, &c. Isidorus de summo bono Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. Idem in Synonymis; Potiori gradui competentem reverentiam tribue, & juxta dignitatem unicuique redde honorem. Hieronymus in capitulo de obedientia: Servias fratribus, &c. Augustinus de natura boni; Injustum non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & patientia bonorum probetur, & malorum iniquitas puniatur. Idem de civitate Dei: Justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed examen virtutis. Proinde bonus, etiam si serviat, liber est; malus autem, etiam si regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod est gravius, tot dominorum quot vitiorum. Joannes Chrysost. super Matthæum: Propter bonos sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Bernardus super Cantica; Parum est esse subjectum Deo, nisi sis & omni creaturæ propter Deum: sive Abbati tamquam præcellenti: sive Prioribus, tamquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere & minoribus; sic enim decet nos (inquit) Dominus omnem implere justitiam. Glossa: Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores a quiete surgere cogantur, non tantum pœnam peccati illius incurrunt, sed etiam puniuntur pro inquietudine doctorum. Idem: Qui doctores cælestibus intentos inquietare præsumit, etiam virtutes, quas credebat se habere, perdit.

Ibid. lib. 25 c. 14 circ. med.

Idem in Reg. lib. 2 cap. 23

Ibid lib. 9 ind. 4 c. 54

Idem hom. 26 in Evã ante med.

Ibidem.

Isid. de summo. l. 3 c. 45 sent. 3

Idem li. de Synony. c. 16 in fin.

Aug. li. de nat. bon. c. 32 t. m. 6

Idem de civ. Dei l. 4 c. 3 in fi. t. 8

Chrys. op. imp. hom. 43 tom. 2

Bern. in Cant. ser. 42 cir. me.

Glossa Cant. 2

Ibidem.

Caput XIV.

De Prædicatoribus bonis.

Greg. li. 19 Mor. c. 10 non longe a prin.

GRegorius in Moralibus: A bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis victus accipitur: & quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solum de rerum munere, sed de conferentium gaudent mercede. * Idem: ille apud Deum magis in amore ejus est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. Idem: Humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibebat, & ad orationis studium in nocte pernoctabat: ut perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus, nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos, loquentes refundant. Hieronymus in originali super Hieremiam: Ille est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas non risum movet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem. Augustinus de doctrina Christiana: Qui dicendo nititur persuadere, quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, & flectat: oret atque agat, ut intelligenter, libenter, obedienter audiatur. Idem: Habet, ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis, majus pondus vita docentis. Nam qui sapienter, & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis animæ suæ sit inutilis. Ambrosius de virginibus. Debet is, qui docet, supra eum, qui docetur, excellere. Isidorus de summo bono: Prius debet justus prædicator bene agere, ut consequenter possit bene docere. Sicut enim in numismate metallum, & figura, & pondus perquiritur; ita in omni doctore Ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat quo modo vivat, inquirendum est. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram solicitudo patrum, per pondus humilitas designatur. Qui ergo ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit. Bernardus super Cantica: Est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post te ad cœlestia regna, si recte sentias, si digne proloquaris, & si vivendo confirmes. Seneca in Epistola: Eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, sed eos, qui vita docent; qui cum dixerint, quid faciendum sit, probant hoc ipsum faciendo, quod docent: qui docent, quid vitandum sit, nec umquam in eo, quod fugiendum dixerunt, deprehenduntur. Eum elige doctorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris. Multa libro tertio de doctrina, de conjunctione vitæ, & doctrinæ.

Ibid. li. 6 c. 17 paul. a prin.

Hier. li. 1 in lam. c. 1 tom. 4

Aug. de doct. Chr. l. 4 c. 17 tom. 3

Ibidem. cap. 27

Amb. li. 2 de Virg. in prin. c. 4

Isid. de sum. bo. l. 3 c. 36 sent. 5

Ber. in Cant. ser. 16 paul. a prin.

Senec. Ep. 52 cir. med.

Caput XV.

De Prædicatoribus malis.

Greg. li. 8 Mor. c. 26 ante med.

GRegorius in Moralibus: Mens concupiscentiis exterioribus occupata, divini amoris igne non caret: & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corpore proferuntur. Idem: Qui mandata Dei in memoria retinet, sed nequaquam facit, is in doctrinæ suæ verbis sententias, quibus damnetur, tenet. Idem: super Ezechielem: Turpe est nimis ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare. Idem: Non facile prædicatio prædicatoris accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa non affuerit operis fortitudo. Idem in capitulo de conscientia mala: Scriptura sacra, &c. Idem in registro: Nimis iniquum est, si hi, qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur, cum verus prædicator dicat: Mihi autem absit gloriari, &c. Idem: Quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus, dum iniqua docemus operibus, & sola voce ea, quæ

Ibid. li. 15 cap. 7

Idem in Ezec. hom. 19 longe ante med.

Idem ho. 1 in Ezech. ante med.

Idem Reg. li. 6 ind. 15 c. 169 post med.

Ibid. li. 2 ind. 12 c. 76

quæ sunt justa, prætendimus. Ossa jejuniis atterimus, & mente turgemus: corpus despectis vestibus tegimus, & elatione cordis purpuram superamus: jacemus in cinere, & excelsa suscipimus. Doctores humilitatis, duces superbiæ, ovina facie, lupinos dentes abscondimus. Hieronymus in Epistola: Delicatus est magister, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam, & latro potest, sacerdotis Christi os cum mente concordet. Idem: Nec rusticus, nec simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil noverit: nec peritus, & eloquens lingua existimet sanctitatem. Multoque melius est, ex duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem. Idem in originali super Michæam: An non confusionis, & ignominiæ est, Jesum crucifixum magistrum pauperem atque esurientem, fartis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubente bucca, tumentique ore proferre? Si in Apostolorum loco, & ordine sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed & conversationem quoque, & abstinentiam. Idem: Rigida vita, Infra de adulatione. Isidorus, de summo bono: Ad majoris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam, quod sequi oporteat, & sequi nolle, quod sciat. Idem: Qui non vivit, sicut docet, ipsam, quam prædicat veritatem contemptibilem facit. * Joannes Chrysostomus super Matthæum: Non poterit excusari Doctor, cujus verba aliud sonant, aliud facta demonstrant. Idem de compunctione cordis: Docere, & non facere, non solum nihil lucri, sed etiam damni plurimum confert: Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam, atque operam negligenti. * Augustinus in Epistolis: Exaudi teipsum durissime, immanissime, surdissime Doctor, quid mihi lingua aurea, & cor ferreum? Idem de divinatione dæmonum: In hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videmus, pariter a justis perversisque doceri. Nec obesse aliquid, immo & prodesse ad majorem notitiam famamque veritatis, cum de illa etiam hi, quidquid noverint, dicunt, qui & perversis moribus contradicunt. Bernardus in sermone: Beati, inquit, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Considerate diligenter non pacidicos, sed pacificos, commendari. Sunt enim qui dicunt, & non faciunt. Sane quemadmodum non auditores legis justi sunt, sed factores: sic non annuntiatores pacis, sed actores beatificantur. * Seneca in Epistola: Hoc turpissimum est, quod nobis obiici solet, verba nos fari, non opera tractari.

Hier. Ep. 2 ad Nepoti. cir. med. t. 1 — Ibid. post med. — Idem cont. in Mic. l. 2 c. 2 t. 5 — Isid. li. 2 de sum. bo. c. 2 sent. 10 Ibid. li. 3 c. 31 sent. 1 — Chr. l. 1 de comp. cor. in fin. t. 5 — Aug. de div. dæmo. c. 6 t. 3 — Ber. ser. de conv. ad Cler. c. 31

Caput XVI.

De prædicationem usurpantibus.

Gregorius in pastorali: Sunt nonnulli, qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Idem: Redemptor noster, cum in cœlis sit conditor omnium, & ostensione suæ potentiæ sit Doctor Angelorum, ante tricennale tempus magister fieri noluit hominum: ut videlicet præcipitatis, & usurpantibus viam saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam, non nisi in perfecta ætate prædicaret. Idem super Ezechielem: Cum prima sunt adolescentiæ, vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni, cum non habeat duritiem, & aciem incidendi. Idem: Adhuc nobis in infirmitatis confusione jacentibus, præberi non debet auctoritas prædicationis: sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœperimus dignum est, ut ad lucrandum alios cum prædicatione mitti debeamus. Idem in Moralibus: Infirma ætas etiam cum recte sentit, ad prædicandum non debet incaute prosilire. * Idem: Qui mundum deserunt, ad ex-

Greg. past. p. 1 c. 1 in prin. — Ibid. par. 4 c. 2 adm. 26 cir. fin. — Idem in Eze. ho. 2 longe ante med. — Ibid. hom. 9 longe ante med. — Idem lib. 11 Mor. c. 5

exteriora officia provehi non debent, A nisi per humilitatem diutius in ejusdem mundi contemptu solidentur. Isidorus de summo bono: Quadrimoda est dicendi ratio, qua aut bene sentiendo, quod bene profertur, aut nihil sentiendo, nihil dicitur: aut parum sentiendo, loquacitas sola ostentatur: aut optime sentiendo, non eleganter profertur, quod intelligitur. Bernardus super Cantica: Carnales hodie multos habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ enim charitatis sunt, per quos nobis fluenta cœlestia manant, ut ante effundere, quam infundi velint, loqui quam audire, paratiores docere, quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui se ipsos regere ne- B sciunt. Idem: Publice prædicare, nec monacho convenit, nec monitio expedit, nec non misso licet. Idem: Quod tuum est spargis, & perdis, si prius quam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bovis, & ovis primogenitum tondens. Nimirum vita absque salute, quam alteri das, te fraudas, cum sana vacuus intentione gloriæ inanis vento inflaris. * Idem: Multi, puritate neglecta, ante loqui quam audire conati sunt, & aut graviter erraverunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent: aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, seipsos prius non docuissent. C Idem in Epistola: Docere nec indocto est in promptu, nec monacho in ausu, nec peccanti in affectu. Glossa super illud: Si est tibi intellectus, &c. Sicut peccat, qui scit, & non vult docere proximum suum, sic qui nescit, & vult magister esse.

Isid. de sum. bo. l. 2 ca. 29 sent. 26

Bern. super Cant. se. 18 par. a pr.

Ibid. serm. 64 ante med.

Ibid. serm. 18 paul. a prin.

Idem Ep. 89 ad Oger.

Glos. Ec. 5

Caput XVII.

De negligentibus prædicationem.

Gregorius in pastoralibus: Quo reatu adstringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt. Idem in capitulo de consensu proximorum: Mala, &c. Idem: Si quis est Domini jungatur mihi. Et postea subdit: Si ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto se Dei esse denegat, qui inquantum sufficit increpare vitam carnalium recusat. Bernardus super Cantica: Rem profecto proximi retines, si plenus virtutibus, cum sis, forisque nihilominus donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu forte, aut segnitie, aut minus discreta humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, immo & damnabili ligas silentio. Certe maledictus, qui frumenta abscondit in populo.

Greg. past. 3 par. 2 adm. 26 fere in prin.

Ibid. paul. a med.

Exod. 32

Bern. in Cant. ser. 18 fere in pr.

Caput XVIII.

De auditoribus verbi Dei.

Gregorius in Moralibus: Verba sapientiæ quæ reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam degustant: ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Idem: Plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita mala, & exemplo destruuntur. Idem in capitulo, de scientia mala: Quisquis a præceptis. Idem super Ezechielem: Quidam verbum Dei audientes, non audiunt; quoniam aurem ad sacrum eloquium ponunt, sed cor a mundi desideriis non evellunt. Idem: Gloria prædicatoris, est profectus auditoris. Idem in homiliis: Cibus mentis est sermo Dei: & quasi acceptus cibus, stomacho languente, reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta percepta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Per vocem auditus non instruimur, quando mens interius per spiritum non jungitur. Idem: Super Ezechielem: Tutius veritas auditur, quam prædicatur, quoniam cum auditur, cordis humilitas custoditur: cum autem prædicatur, vix non surripit cuique hominum quantulacumque jactantia, in qua utique pedes affectionis, vel intentionis aliquantulum inquinantur. Idem in registro: Utilis est semper docti viri allo-

Greg. l. 11 Mor. c. 5

Ib. l. 11 c. 8

Idem in Ezec. hom. 11 cir. med.

Ibid. ho. 18 ante med.

Ibid. ho. 15 in Ev. non multum a prin.

Est apud Aug. tr. 57 exc. in Jo. ante med. tom. 9

Idem in Reg. lib. 7 ind. 1 c. 19 in pr.

allocutio: quia aut discit audiens, quod nescire se noverat: aut cognoscit, quod est amplius id, quod se, & nescivisse nesciebat. Augustinus de vita beata: Si vos invitos, & fastidientes alere conabor, frustra operam insumam. Idem: de verbis Domini: In doctore inhonesta est causa, non facere, quod præcipit observare, in discente vero audire velle, quod nolit implere. Idem de doctrina Christiana: Fit ut homines eum non obedienter audiant, qui seipsum non audit: & Dei verbum, quod eis prædicatur simul cum ipso prædicatore contemnant. Idem in Epistola: ego cum amatores sæculi intueor, nescio, quando possit esse ad eorum animos sanandos oportuna prædicatio, quando enim res hujus mundi velut prosperas habent, fastu suo respuunt salubres monitiones, & quasi anilem reputant cantilenam: quando autem in adversis anguntur, magis conantur evadere, unde ad præsens anguntur, quam capere, unde curentur. Idem in sermone: Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audit, quam ille, qui negligentia sua Corpus Christi in terra cadere permiserit. Bernardus in sermone: Benigne audiendum est, devote suscipiendum, solicite conservandum quidquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut vere est Dei verbum, sive sit illud consolatorium, sive comminatorium, sive etiam increpatorium audiatur. Glossa: Illi soli beati sunt, qui audiunt, & mente recondunt, ut opere compleant, & opere impleant, ut vitam æternam possideant.

Aug. l. un. de vita. disputati. prima diei ant. med. tom. 1. Idem ser. 3 de verb. Do. paulo post. prin. tom. 10. Idem li. 4 de doctr. Christ. c. 27 in fin. tom. 3. Idem Ep. 32 ad Largum t. 2. Idem li. 50 hom. 26 paul. a pr. tom. 10. Ber. ser. 2 in fest. Ap. Pet. & Pau. ante med. Gloss. Beda. Apoc. 1

Caput XIX.

De episcopis.

Gregorius in Registro: Episcopus cum loco mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, ut remotus ab aliis studeat sedere, & de manu nihil fructificare sed largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam, suam credat:

Greg. in Reg. lib. 5 cap. 129

A quia si hoc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet. Idem: Tota mente fraternitas vestra se exhiberi festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando adveniunt, cum justitia erectam, amicam bonis, contrariam perversis. Nullius umquam faciem pro veritate loquentem premens: misericordiæ operibus juxta possibilitatem substantiæ insistens, & eisdem insistere etiam supra posse cupiens: infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna, propria deputans, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans: in corrigendis vitiis sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens: in ira judicium sine ira tenens, in tranquilitate autem severi-
B tatis suæ sententiam non deserens. Idem: Valde periculosum est animæ, temere cuiquam manum imponere. Idem in pastoralibus: Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque ut metiri sese solicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Isidorus de summo bono: Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere: ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subjectorum. Idem Agnoscat Episcopus servum se esse plebis, non Dominum. Idem de
C officiis: Episcopo, dum consecratur, baculus datur, ut ejus judicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Augustinus ad Orosium: Sciat se non esse Episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse. Idem de civitate Dei: Episcopus nomen est operis non honoris. Scopos enim Græce, Latine superintendere possumus dicere, ut intelligat non se esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. Idem in sermone: Non est Episcopi servare aurum, & revocare a se mendicantis manum. Ambrosius in pastorali: Quantum præ ceteris gradus Episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam dilabatur, ruina gravior est. [Hieronymus in originali su-

Ibid. lib. 4 cap. 129. Ibid. lib. 4 cap. 89. Idem past. 2 par. c. 1 in prin. Isid. li. 3 de sum. bo. c. 35 sent. 1. Ibid. c. 42 sent. 3. Idem de offic. Eccl. li. 2 c. 5. Aug. in Dial. qu. 65 qu. ult. tom. 4. Idem de Civ. Dei li. 19 c. 19 tom. 5. Idem ser. 32 ad frat. in eremo post. med. tom. 10. Amb. de dignit. sacerdo. c. 8 tom. 4. Hier. in Soph. c. 3 tom. 5

super Sophoniam. Qui episcopatum (inquit) desiderat, bonum opus desiderat. Videte quid dixerit, opus non dignitatem. Si autem solum aspexerit dignitatem, cito corruet. BERNARDUS in Epistola: In omnibus exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium, ipsum quidem honorificabitis, non vos. Nam, qui quærit, quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificiis, sed moribus ornatis, studiis spiritualibus, ac bonis operibus. IDEM: In omnibus actibus suis, vel dictis nihil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. IDEM de consideratione: Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, & morum disciplina.

Bern. Epi. 42 ad Henric. Senon. paul. a prin.

Ibid. longe ante med.

Idem de consid. li. 4 prope fin.

CAPUT XX.

De Sacerdotibus bonis.

GREGORIUS in Registro: Officii sacerdotalis est, ut viduis, ac maritali regimine desolatis impartiri solatia debeant, ut unde in hoc mundo humano adiutorio privantur, Sacerdotali tuitione possint remedia reperire. IDEM: Redemptor noster ad Sacerdotis officium non quærit aurum, sed animas. IDEM: Lux gregis est flamma pastoris. Decet enim Dominicum Sacerdotem, moribus, & vita clarescere, quatenus in eo tamquam in vitæ suæ speculo plebs commissa possit & eligere, quod sequatur, & videre, quod corrigat. IDEM: Est in illusione nocturna valde necessaria discretio, qua subtiliter pensari debeat, ex qua re menti acciderit dormientis. Aliquando enim ex crapula: aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate: aliquando ex præcedenti cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda: quia hanc animus pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi: cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii, ut arbitror, subtrahere se humiliter debet. Si tamen dormientis mentem turpi imagine non concusserit. Et infra: Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormienti, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit: quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestione tantum, an delectatione, vel quod majus est, peccati consensu acciderit. AUGUSTINUS de pœnitentia: Sacerdos, cui omnis profitetur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo illorum sit judicandus, quod ipse in aliis judicare est promptus. Judicans enim alium, qui est ab aliis judicandus, condemnat seipsum. IDEM de singularitate clericorum: Contemplamini quid sit populo sancto præesse, & considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Altario enim placere debent, qui altario vivunt, & talis convenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia servitutis: ne contra Dominum offendant ipsi, quem tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod prædicant. AMBROSIUS super Lucam: Religionis insignia, arma sunt sacerdotis. IDEM in Epistola: Sobriam a turbis gravitatem, ac seriosam vitam, & singulare pondus conversionis, dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quo modo enim potest in exemplum observari a populo, qui nihil habet discretum a populo, nihil dispar in moribus a multitudine? Quid enim in te mire-

Greg. in Reg. li. 3 indict. 9 cap. 13 in prin.

Ibid. lib. 3 cap. 128

Ibid. lib. 7 cap. 32 indict. 1

Ibid. li. 11 c. 11 paululum a prin.

August. de vera & falsa pœni. lib. unico c. 20 to. 4

Reperitur S. Cypria. ascriptus operum ejusdem tom. 3 edit. Pamelii.

Amb. 7 in Luc. c. 10 tom. 3 Idem Epi. lib. 3. Ep. 20 ad Irenæum, tom. 5

retur; si omnia tua facta bona, in semetipso recognoscat existere? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat, si ea quæ in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur, offendat? *[Idem lib. 3 offic. cap. 9 tom. 4]* IDEM de officiis Sacerdotis est, nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius Dei est. *[Isid. lib. 3 de sum. bo. c. 36 sen. 2]* ISIDORUS de summo bono: Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est: ita ut quod docet verbo, instruat & exemplo. *[Refer. in Gloss. 1 Tom. 5]* GLOSSA AMBROSIUS: Non facile accusanda est persona tam alti ordinis, cum sit vice Christi.

CAPUT XXI.

De Sacerdotibus malis.

[Greg. hom. 17 in Ev. circa fin.] GREGORIUS in Homilia: Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? *[Idem past. par. 1 c. 11 in prin. fere.]* IDEM in Pastorali: Si homo apud hominem, de quo minime præsumit fieri intercessor, erubescit: qua mente apud Dominum intercessoris locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Aut ab eo, quo modo illis veniam postulat, qui utrum sibi sit placatus, ignorat? *[Idem Reg. li. 4 ind. 13 cap. 70]* IDEM in Registro: Durum est, & proculdubio a sacerdotis officio alienum, personam positam sub necessitate negligere, & studio congregandi, indecenter inhiare pecuniis. *[Ibid. lib. 9 cap. 64]* IDEM: Causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim se pro populo peccatis intercessor obiiciat, si sacerdos, qui exorare debuerat, graviora, committat? *[Ibid. lib. 3 cap. 5 in prin.]* IDEM: In contumeliam sacerdotum est, de divinis cultibus admoneri, quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. *[Amb. ser. 44 de temp. circa med. tom. 5]* AMBROSIUS in sermone: Mendacium est, sacerdotem, vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. *[Idem Epi. lib. 2 Epi. 17 ad Theodos. to. 5]* IDEM in Epistola: Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. *[Chrys. op. imp. ho. 40 in Matth. c. 21 to. 2]* JOANNES CHRYSOSTOMUS super Matthæum: Vere magna confusio est sacerdotum, A & omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis & justiores. Quo modo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est? *[Isid. de sum. bo. l. 3 cap. 46 sent. 1]* ISIDORUS de summo bono: Sacerdotes populorum iniquitate damnantui, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *[Ibid. c. 45 sent. 2]* IDEM: Multi sacerdotes metu potestatis veritatem occultant, & a bono opere, vel justitiæ prædicatione, rei alicujus formidine, aut potestatis terrenæ avertuntur. Sed heu proh dolor! inde metuunt, quia vel amore rerum sæcularium implicantur, vel quia aliquo facinoris opere confunduntur. *[Hiero. Ep. 2 ad Nepot. post. med. tom. 1 Levit. 10]* HIERONYMUS in Epi- B stola: Vinolentos sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. Qui enim altario serviunt, vinum & siceram non bibant. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest. *[Ibid. Ep. 1 ad Heliod.]* IDEM: Peccator homo si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos, pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? *[Idem in Malac. c. 2 tom. 5]* Idem in originali super Malachiam: Ad sacerdotis pertinet disciplinam, interrogatum respondere de lege, qui si non doceat, & respondeat, & resistentes non convincat, frustra jactat sacerdotis dignitatem, cujus opera non exhibet. *[Ber. Ep. 42 ad Henri. Senon. Archiepisc. non longe a princ.]* Bernardus in Epistola: Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum C aut nullus aut exiguus. *[Idem in ser. 1 de convers. S. Pauli ante med.]* Idem in sermone: Egressa est iniquitas a senioribus judicibus tuis Domine, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, ut populus sic sacerdos: quia sic nec populus, ut sacerdos. Heu heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, & regere principatum. *[Idem in Declamat. super Ecce nos, longe ante med.]* Idem de contemptu: In multis multipliciter regnat fornicatio, quia puritatis auctori, impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare ante Angelum Dei, qui secet medios, & disperdat: sed omnino audent Agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante, proh dolor! me-

retrices attrectarunt. Sic & altaria circuire, sic & Ecclesias frequentare psalmos decantare, cum & ejusmodi laus sit execrabilis, & oratio fiat in peccatum.

Psal. 108.

Caput XXII.

De Clericis.

Greg. hom. 17 in Ev. cir. fin.

GRegorius in Homilia: Clericus admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat. Idem in Registro: Ne umquam hi, qui ordinati sunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur ut prius aspiciatur, si vita eorum continens in animis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Idem Proculdubio Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex favore, quod absit, aut ex venalitate provehitur. Idem: Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. Isidorus in libro Etymologiarum: Cleros Græce, sors, vel hæreditas dicitur: propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habeant. * Hieronymus in Epistola: Clerici vita, Christi debet ornari Ecclesia. Idem: Negotiatorem clericum, & ex inope divitem factum, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. * Idem: Procuratores atque dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quod modo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? Idem: Ita age & vive in monasterio, ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules, ut ad altare Christi, quasi virgo de thalamo procedas, & habeas de foris bonum testimonium. Fœminæ nomen tuum noverint, vult nesciant. * Ambrosius in Epistola: Tu quicumque in clero es, Domini portio es, & possessio ejus, noli recedere de Domini tui possessione, ut dicas Domino, possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ, & ille

Idem in Reg. li. 3 cap. 26

Ibid. lib. 2 cap. 86

Ibid. lib. 2 cap. 26

Isid. Etymol. lib. 7 cap. 12

Idem Ep. 2 ad Nep. an. med. tom. 1.

Ibid. epist. 4 ad Rusti.

A tibi quasi bono servo dicat: Transi, & recumbe. Augustinus de singularitate clericorum: Cum Christus agnus innocens, immo ipsa cœlestis innocentia, quod est verius, tantum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula, vel ulla ruga redderet illibatam, qualis est ille clericus, cui ad hoc sponsa Christi committitur, ut pro unius fœminæ amore, culpari totam Ecclesiam patiatur? * Joannes Chrysostomus super Matthæum: Laici delinquentes, facile emendantur, clerici autem si semel evaserint, inemendabiles sunt. Bernardus de contemptu: Væ væ in domo Dei horrendum videmus. Quid? Idololatras ministrantes. Mentior, si non idolorum servitus avaritia est. Si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ ceteris colit, id sibi Deum constituisse perhibetur. Idem: Res pauperum, non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum, & sacrilega eis cupiditate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique Domini, vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Idem in sermone: Dilatata videtur Ecclesia: & ipse clericalis sacratissimus ordo super numerum multiplicatus est. Verum, & si multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam: dum nihil minus appareat defecisse meriti, quam numeri accessisse. Multa infra libro tertio, in capitulo de familiaritate.

Est apud Cypr. t. 3 Pam. edit.

Bern. in Declamat. super Ecce nos, ante med.

Ibid.

Idem in serm. de convers. ad Cler. c. 19.

Caput XXIII.

De Beneficiatis.

GRegorius in Registro: sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore aliena invadere, non oportet. Idem: Laudabile studium, & conveniens est clerico, & religioso, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari. Idem: loquens de illo verbo Joannis: Amen

Greg. in Reg. li. 2 cap. 82

Ibid. lib. 7 c. 27 in. dist. 2

Idem li. 16 Mor. c. 16 cir. med.

Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia ex panibus meis manducastis, & saturati estis. Per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant, quid bene vivendo imitari debeant, sed quæ concupiscendo compendia sortiantur. * Augustinus in Epistola: Si privatim, quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus. Idem: de verbis Domini: Clericus si non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario, Domino jubente, consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quam clericus. Bernardus super Cantica: Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiarum Dei: qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retinent, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur: duplici profecto iniquitate peccantes, eo quod & aliena diripiunt, & sacris, in suis vanitatibus & turpitudinibus, abutuntur. Idem in Epistola: Honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne, & secundum Deum administrare, & velint, & possint. Et infra: Nec cuiquam, vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Idem: Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegum est. Idem: Conceditur tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deaurata, varia griseaque pellicea. Idem de contemptu: Væ væ tibi clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in deliciis est: non modo quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia populi peccata constat esse, quæ comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto tamquam redditurus rationem, dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Idem: Quando poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia clerici in usus voluptatis, curiositatis & vanitatis congreget, servet, & expendat? Triplex est ergo funiculus, qui difficile rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit: qui impura intrat, indigne ministrat, & ipso fructu abutitur temporali. Idem: Non ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias, vel ornatum: sed vivere, ut ait Paulus ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta, vel incentiva libidinis habere; & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. Idem: De altario, inquit Apostolus, vivat, non superbiat, non luxurietur: denique non ditetur, non contra sancti cujusquam plane dignam omni acceptione sententiam ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis: nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat: non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos, aut neptes, ne filias dixerim:

Aug. de verb. Do. ser. 19 in fin. t. 10 — *Bern. in Cant. ser. 23 post med.* — *Idem Ep. 271 ad Comitem Theob.* — *Ibid. Ep. 4 ad Ful. con. cir. fin.* — *Ibid.* — *Idem in declamat. super Ecce nos, longe ante med.* — *Ibidem.* — *Eccl. 4* — *Ibidem.* — *Ibidem. 1 Cor. 9 & 1 Tim. 6*

Caput XXIV.

De Ambitiosis.

1

GRegorius in Registro: Sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. Idem: Verecundum nobis est, & dicere pudet, quia sacerdotes sibi ducatum accipiunt, qui exordium religiosæ militiæ

Greg. in Reg. lib. 7 cap. 110 ante med. — *Ibid li. 4 cap. 97*

militiæ non viderunt. Idem: Ordinate ad ordines accedendum est: nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta ascensum quærit. *Idem past. p. 1 c. 1 in prin.* Idem: in pastorali: Nulla ars doceri præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars artium est regimen animarum? *Ibidem.* Idem: Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi. Ex se namque, & non ex arbitrio summi Creatoris regnant ii, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. *Ibid. par. 2 cap. 8* Idem: Sacrum officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. *Ibid. par. 2 cap. 9.* Idem: Nescit laudem, cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset anhelare. Idem: Quod dicere pudet, supra in capitulo de prælatis malis. *Isid. lib. 3 de sum. bo. c. 34 sent. 4.* Isidorus de summo bono: Qui regimen sacerdotum contendit appetere, ante se discutiat, si vita honori sit congrua: quod si non discrepat, humiliter ad id, quod vocatur, accedat: reatum quippe culpa geminat, si quis cum culpa ad sacerdotale culmen aspirat. *Ibid. c. 19. sent. 3* Idem: Qui ad hoc conversionem sanctitatis prætendit, ut aliis quandoque præesse possit, iste non discipulus Christi, sed pravitatis, & Antichristi sectator existit: quia non pro Deo, sed pro sæculi honore portare studet crucis Christi contumeliam & laborem. *August. de civi. Dei, lib. 19 c. 19. in fin. to. 5.* Augustinus de civitate Dei: Locus superior, sine quo regi populus non potest, etiam si teneatur, & administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. *Idem de Trin. li. 13 c. 13 to. 3* Idem de Trinitate: Homines diabolum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia, potentiæ student ejusque vel adeptione lætantur, vel inflamantur cupiditate. *Amb. li. 4 in Luc. c. 4 tom. 3* Ambrosius super Lucam: Si Dominus

A Jesus propria deseruit, tu aliena curquæris? Si creator omnium sæculi gloriam subeundæ paupertatis virtute contempsit, cur tu fastidias ad quod natus es, appetas quod indebitum est? Cur ea, quæ ad usum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? Cave insidias, cave fraudes. *Ibidem.* Idem: Ordinatio mundi a Deo, opera mundi a malo: ita etiam a Deo potestatum ordinatio, a malo ambitio potestatis. *Ibidem.* Idem: Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus, & ut dominetur aliis, prius servit. B *Bern. lib. 3 de consid. ante med.* Bernardus de consideratione: O ambitio ambientium crux, quo modo omnes torquens, omnibus places. Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. An non limina Apostolorum plus ambitio, quam devotio terit? *Idem ho. 4 super Miss. est, non longe a fin.* Idem super Missus: Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc vere non sapio ea, quæ Dei sunt. *Ibid. ho. 4. post med.* Idem: Videas homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiasticos pervolare, moxque applaudere sibi sanctitatem, vestium dumtaxat mutatione, non mentium, & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque si audeo dicere, adepti sunt nummis, C attribuere meritis. *Idem in Cant. ser. 77 ante med.* Idem super Cantica: O utinam prælati tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram. *Ibid. ser. 23 ante med.* Idem: Non probe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, & quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vendicas tibi. *Idem epist. 126 ad Aquitanos, ante med.* Idem in Epistola: Ambitio mater hypocrisis, latebras amat, & tenebras quærit, lucis impatiens. Ambitio spurcum vitium in imo jacet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit: nec mirum, optato namque necesse est careat, nisi caveat arbitros. *Ibid. ep. 42 ad Henri. Senon. Archiep. longe post med.* Idem: Curritur in clero passim ab omni ætate, & ordine a doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas curas.

ras, tamquam sine curis quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Idem super Qui habitat: Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Idem: Omnes quæ sua sunt quærunt: non quæ Jesu Christi: ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotia transiere: nec in his animarum salus, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant. Pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus hodie decertatur, ut Ecclesiarum redditus in superfluitatis, & vanitatis usus dissipentur. Idem de contemptu: Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem se ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus inveniuntur exposita. Nimirum peregre profectus est, sed in plenissimo die, ut sua districte repetat, rediturus. Idem universos in ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste prorsus, & indubitanter non ea, quæ Deus est charitas, sed aliena a Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit. Idem: Potentes potenter tormenta patientur. Ascendat superbia tua semper, sequere regem tuum, omne sublime videant oculi tui, festina multiplicare præbendas, inde ad Archidiaconatum evola, deinde aspira ad Episcopatum, nec ibi quidem requiem habiturus: quoniam sic itur ad astra. Idem in sermone: O perversitas, o abusio filiorum Adam, qui cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Idem: Curritur passim ad sacros ordines, & reverenda quoque ipsis spiritibus angelicis mysteria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni cælestis occupare, aut illius timent Imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, sedet iniquitas, luxuria dominatur, superbia principatur.

Idem super Qui habitat, ser. 6 ante med.

Ibid. prope fin.

Idem in Declamat. super Ecce nos ante med.

Ibidem.

Ibi. Sap. 6

Idem ser. 2 in Ascen. Dom. prope fin.

Idem ser. de convers. ad Cleric. cap. 19

Caput XXV.

De Studentibus.

Gregorius in Moralibus: Idcirco nonnumquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia retributionis inveniat, quo magis in studio inventionis elaborat. Idem: A fervore mentis, vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quousque proximos, ipsi aliquo modo vivendi usu veterascimus, & assumptæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie, si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo, renovamus. Idem super Ezechielem: Qui idcirco in sacro eloquio ea, quæ dignitatis sunt, contemplatur, ut per hoc, quod intelligit, occupari ad quæstiones possit, quia non dulcedine quæsitæ veritatis sanari appetit, sed doctus videri: iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit. Idem: In verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, & cognoscentes mala, quæ fecimus, ipsa vitemus, ne alia faciamus. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Idem in pastoralibus: Valde inter humana verba cor nostrum defluit, cumque indubitanter constet, quod exterius occupationum tumultibus impulsum a se-

Greg. lib. 6 Mor. ca. 6 in fin.

Ibid. li. 19 ca. 16 post med.

Idem. ho. 4 in Ezech. ante med.

Ibid. ho. 10 non longe a prin.

Idem past. 2 parte. ca. 11 paulum a princ.

a semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Idem in Registro: Dum his, quibus ædificamur, innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. * Hieronymus in originali super Michæam: Non æstimes in eo te placere Deo, si sermones, id est, scripturas illius legas: tunc enim scripturæ prosunt legenti, si quod legitur, opere compleatur. Isidorus de summo bono: Lector strenuus potius ad implendum, quæ legit, quam ad sciendum erit promptissimus. Minus enim pœna est nescire, quod appetas, quam ea, quæ noveris, non implere. Idem in Synonymis: Disce quod nescis, ne doctor inutilis inveniaris, antea esto auditor, postea doctor. Idem: In disputatione tolle certamen, tolle pertinacem vincendi defensionem: cede cito veritati, non contradicas justitiæ. Idem: Disputare stude, non superare: plus dilige audire, quam dicere: plus auscultare, quam loqui. Augustinus in sermone: Multos reperimus negligentissimos justitiæ, & avidissimos sapientiæ: hos docet scriptura divina pervenire non posse ad id, quod appetunt, nisi servando quod negligunt: Fili, inquit, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Dominus præbebit illam tibi. Idem de civitate Dei: Philosophiæ est finis boni: nulla est igitur causa philosophandi nisi finis boni. Quamobrem, quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est. Idem de Trinitate: Nec pigebit me sicubi hæsito quærere, nec pudebit me, sicubi erro, discere. Idem: Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum cognoscit, revocet me. Et post. Et hoc placitum primum atque tutum coram Domino Deo nostro, cum omnibus gratum, quia ea, quæ scribo legunt: & in omnibus scriptis meis, maxime in his, ubi quæritur unitas Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Idem de opere monachorum: Quæ est ista perversitas, lectioni obtemperare nolle, dum vult ei vacare: & dum id quod bonum est, diutius legatur, ideo facere nolle, quod legitur? Bernardus super Cantica: Scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine, ut id prius addiscas, quod est maturius ad salutem. Quo studio, ut id ardentius, quod est vehementius ad amorem. Quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut propter curiositatem, aut aliquid simile: sed tantum ad tuam, & proximi ædificationem, & ad Dei gloriam. Idem: Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est: & sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam aliis vendant, verbi causa pro pecunia, & honoribus, & turpis quæstus est: sed sunt quoque qui scire volunt, ut alios ædificent, & charitas est: & item, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Idem in epistola: Falleris, fili, falleris, si te putas inveniri apud mundi magistros, scientiam, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores Dei munere assequuntur. Non enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. Idem: Non recte proditur ad scientiæ limen, nisi justitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea vanæ gloriæ. Idem in sermonibus: Pessimus mons inflans scientia, in quem tamen usque hodie tanta videas concupiscentia plurimos reperire filiorum Adam, ac sic non noverint, quantum pater illorum illius montis ascensu descenderit: immo, quam graviter ceciderit, quantum tota dejecta sit, & conquassata posteritas. Seneca in epistola: Tam diu discendum est, quemadmodum, vivas, quamdiu vivis.

Idem Reg. lib. 7 ind. 2 c. 110 cir. fin. & lib. 11 ind. 7 c. 51 circa fin. — *Isidor. de sum. bon. lib. 3 ca. 8 sent. 5* — *Idem lib. 2 de Synony. cap. 16* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Aug. ser. 2 de annunciat. Dom. tom. 10* — *Idem de civi. Dei lib. 19 c. 1 prope fin. tom. 5* — *Idem de Trin. lib. 1 ca. 2 to. 3* — *Ibidem.* — *Idem de opere Monac. lib. unico. ca. 17 tom. 3* — *Bern. in Cant. ser. 36 ante med.* — *Idem.* — *Idem epist. 108 ad Thomam de S. Audomaro.* — *Ibidem.* — *Idem ser. 4 in Ascen. Dom. non longe a prin.* — *Sen. epist. 76 in prin.*

CA-

Caput XXVI.

De Advocatis.

Greg. ho. 7 in Ezech. cir. fin. GRegorius super Ezechielem: Iustus advocatus injustas causas nullo modo accipit, nec verba dare pro injustitia consentit. *Idem l. 20 Mor. c. 15 post med.* Idem super illud Job: De convalibus ista rapientes, cum singula reperissent; ad ea cum clamore currebant. In valle repertis singulis cum clamore occurrere, ex subortis causarum occasionibus, etiam pro parva stirpe litigare. *Aug. ser 19 de ver. Do. post med. tom. 10* Augustinus de verbis Domini: Usque adeo cupiditatis inolevit malum, ut jam ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit, & nulla jam causa possit esse sine causa. *Bern. de Consid. 1 ante med.* Bernardus de consideratione: Quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini. *Ibid.* Idem: Certe lex Domini immaculata, convertens animas. Hæc autem non tam leges, quam lites sunt, & cavillationes subvertentes judicium. *Ibid. post med.* Idem: Miror, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. *Ibid.* Idem: Advocati sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium: diserti, adversus justitiam: eruditi, pro falsitate: sapientes sunt, ut faciant malum: eloquentes, ut impugnent verum. *Ibid. lib. 3 ante med.* Idem: Iniqua omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris licet. *Ibid.* Idem: Qui non gravatus appellat, liquet quia aut gravare intendit, aut tempus redimere.

Caput XXVII.

De Religiosis bonis.

Greg. Reg. lib. 1 ind. 9 c. 67 GRegorius in Registro: Expedit parvo incommodo, a strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut & utilitates collectæ per negligen-

A tiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus divinum liberiores existant. *Ibid. lib. 6 ind. 15 c. 182* Idem: Sicut veraciter adversus religiosos dicta crimina, digna sunt ultione plectenda: ita ab illatis nihilominus sunt absolvendi, quando nullus eos culpæ reatus astringit. *Aug. in Reg. 3. c. 15* Augustinus in regula: Non debent velle omnes, quod paucos vident, amplius, non quia honorantur, sed quia tolerant, accipere; ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiunt pauperes delicati. *Idem de mor. Eccl. 31 tom. 10* Idem de moribus Ecclesiæ: Quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam B sanctissimam, & castissimam congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, placati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gravissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse facere meruerunt. *Isid. Etym. lib. 10* Isidorus in libro Etymologiarum: Religiosus, ait Cicero, a relego est appellatus, quia retractat, & tamquam relegit ea, quæ ad cultum divinum pertineant. *Idem de sum. bon. l. 3 c. 17 sent. 8* Idem de Summo bono: Sancti viri funditus sæculo renuntiantes, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur: C quantoque ab hujus sæculi conversatione se subtrahunt, tanto internæ mentis acie præsentiam Dei, & Angelicæ societatis frequentiam contemplantur. *Ber. in Cant. ser. 12 cir. med.* Bernardus super Cantica: Omnis in vobis, qui ceterorum infirmitates tam corporum, quam animorum non solum patienter supportat, sed insuper, scil. si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, informat consiliis: & si hoc forsitan non potest propter disciplinam, solicitus saltem orationibus solatiari non cessat infirmos. Omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino inter fratres spargit odorem. *Ibid. ser. 13 cir. med.* Idem: Optimum in moribus dixerim, qui in nullo prorsus aut resistat prioribus, aut invideat paribus, & subjectis, vel desit in cura, vel in superbia

præ-

præsit, prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens. Idem in epistola: Conversare simpliciter inter fratres Deo devotus, magistro subditus, senioribus obediens, junioribus obtemperans, Angelis placens, verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes. Idem in sermonibus: Tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis, ordinabiliter, socialiter, & humiliter: ordinabiliter tibi, socialiter proximo, humiliter Deo. * Idem: Certum triumphati mundi testimonium est, si corpus castigas, & subiicias servituti, ne perniciosa libertate serviat voluptati: si fletui præbeas oculos magis, quam curiositati: si denique spirituali dilectione flagrans, nulli dederis animum vanitati. Idem: Quoniam spectaculum facti sumus, & Angelis, & hominibus: Seminemus hominibus exemplum bonum per aperta opera bona: seminemus Angelis gaudium, per occulta suspiria sancta. Idem in congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas: ut non solum sine querela, sed etiam cum gratia maneas inter fratres, portans omnes, orans pro omnibus, ut & de te quoque dicatur: Hic est fratrum amator. * Idem: Parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes, quia tam de istis, quam de illis multos traxit in laqueum ruinæ: sed concordes, & unanimiter viventes in domo Domini, conjuncti Deo, & sibi per vinculum charitatis, hi dolorem, hi timorem, hi livorem diabolo ingerunt.

Idem epist. 87 ad Ogerium post med.

Idem ser. 1 in fest. Apostoli Petri & Pauli post.

Ibidem in serm. de S. Benedicto post med.

Idem ser. 1. in vigil. Nat. Do. post med.

Caput XXVIII.

De Religiosis malis.

Gregorius in Moralibus: ex actione secularium confunditur actio religiosorum, dum illi etiam promittendo non servant, quæ in præceptis audiunt: & isti vivendo ea custodiunt, in quibus nequaquam legalibus mandatis adstringuntur. Idem: Sæpe nonnulli pravitatis aperte vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt: moxque ut prima limina A bene vivendi contigerint, obliti quid fuerint, affligi jam per pœnitentiam de perpetratis nequitiis nolunt: laudari autem de inchoata justitia appetunt: præesse ceteris melioribus concupiscunt. Quos plerumque dum juxta votum præsens prosperitas sequitur, multo, quam prius fuerant, de sanctitatis habitu pejores fiunt. Idem: Pravi homines cultum religionis assumunt, & bonorum vitam sub despectis vestibus iniquis moribus premunt. Idem super Ezechielem: Sæpe quosdam videmus ad vocem prædicationis, quasi ex conversione compunctos, habitum, non animum mutasse: ita ut religiosam vestem sumerent, sed ante acta vitia non cal- B carent. Augustinus in cap. de Ira: Melior est, &c. Idem de opere monachorum: Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humane tractandus est: qui autem falsam prætendit, & convinci non potest, Deo dimittendus est. Idem: Utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis: neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis non tantum exempla pigra, sed etiam muta proponerent. Idem in epistola: Ex quo Deo servire cœpi, quo modo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt: ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. Isidorus de Summo bono: C Atrociter in discussione divini judicii arguendi sunt, qui quod professione spoponderunt, opere implere contempserunt. Bernardus super Missus: Illam, qua sæculum deseruimus, humilitatem deserentes, dum post hoc cogimur inepta denuo sectari studia sæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum. Idem: Video, quod magis doleo, post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque magistri gravius insolescere, & impatientes fieri in claustro amplius, quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi se contemptui, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse potuerunt: ut

Gregor. in Mora. præf. in Job c. 2.

Greg. li. 8 Mor. c. 21 in fin.

Ibid. li. 3 e cap. 4 post med.

Idem ho. 10. in Ezec. ante med.

Aug. li. de oper. Mo. nac. ca. 19. tom. 3

Ibid. cap. 22 in fin.

Idem epist. 137 ad Clerum & popul. Hipp. in fin. to. 2.

Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 22 sent. 3

Bern. ho. 4 sup. Miss. est, prope fin.

Ibid. paul. ante.

ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, id est in sæculo, ipsi locum habere non potuerunt, nec meruerunt: saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Idem in Apologia: Quid facit superbia sub pannis humilitatis tuæ Domine Jesu? Numquid non habet, quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est Salvatoris infantia? Idem in epistola: Jungant se animis, qui juncti sunt institutis. Invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent. Ait enim sapiens: Frater adiuvans fratrem, ambo consolabuntur. Quod si alterutrum, quod absit, se corroserint, & momorderint, nonne simul ambo desolabuntur? Idem: Qui debitorem, & procurratorem carnis se constituit, ut magis ventrem sterilem pascere, quam animæ studeat bene facere, nullum religionis jugum, quantumlibet leve, quantumlibet suave videatur, ei tolerabile est. Unde contingit, ut neque hic, ubi sine murmure esse non potest, neque in futuro, ubi pœnam murmurationis tolerare necesse est, pacem inveniat: ubi autem non est pax ibi nec Deus, quia in pace factus est locus ejus. Idem in sermonibus: In omnibus fere religiosis congregationibus fane invenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia pusillanimis tristitia est, quorum brevis, & rara compunctio, animalis cogitatio, & tepida conversatio est: quorum obedientia sine devotione: sermo, sine circumspectione: oratio, fine cordis intentione: lectio, sine ædificatione. Idem: Sunt in nos tria genera hominum, ipsaque satis incongrua, & ordini, & homini, qui hanc viam ingressus est. Sunt enim, qui bene incœperunt, sed defecerunt cito: & sunt, qui numquam incœperunt, sed in sua mollitie permanserunt: & sunt, qui captantur spiritu levitatis, tardi, ad audiendum: veloces, ad loquendum, paratissimi rursum enumerare, quod faciunt. Sed quid faciunt tamen? Idem: Magna est confusio, & magna valde, & ardentius sæculares perniciosa desiderant, quam nos utilia; citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Idem: De eo qui habitum habet religionis, & non vitam. Propheta inquit: Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit. Exteriorem quippe superficiem intuens religiosus malus, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui omnia interiora corrodit: manet tonsura, vestis necdum mutata est: jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis, sed cor eorum longe est a me, dicit Dominus. Idem in epistola: Multo facilius reperies multos sæculares converti simpliciter ad bonum, quam unumquempiam de religiosis proficere de bono in melius. Rarissima enim avis in terris est, qui de gradu, quem in religione semel attigerat, modicum, vel parumper ascendit.

Idem in Apolog. ad Guillelmum abbatem paulum a prin.

Idem epist. 243 ad Conrad. Regem Romanorum.

Idem ser. 6 in Ascen. Dom. ante med.

Idem ser. de ligno, fæno, & stipula.

Idem ser. 1 ad fratres post med.

Idem ser. 2 in cap. jejunii ante med.

Idem ep. 96 ad Richar. Fontan. abb.

Caput XXIX.

De Novitiis.

GRegorius in registro: Omnibus cujuslibet ætatis, aut officii onerosa est novitas. Idem: Quisquis divina inspiratione compunctus, relictis sæculi hujus actionibus ad Deum converti festinat: ita cum charitate suscipiendus est, & blandis per omnia consolationibus refovendus, ut in ea, quam elegit Deo adiuvante, delectetur modis omnibus conversatione persistere. Idem super Ezechielem: Nullus qui ad bonum propositum conversus adhuc id mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur: quia frumentum ab herba incipit, ut granum fiat. Isidorus de summo bono: Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine lenitate erudit, exasperare potius, quam corrigere novit. Bernardus de amore Dei: Fervorem novitiorum non decent illæ misericordes in seipsos discretiones, & districtionum dispensationes, facilesque indulgentiæ suo judicio tribuen-

Greg. Regl. li. 4 indict. 13 cap. 89 Ibid. lib. 5 indict. 14 cap. 149

Idem ho. 15 in Ezech. ante med.

Isidor. li. 2 de sum. bo. c. 8 sent. 5

Bern. lib. de natura & dignitate amoris divi. i, cap. 3 circa med.

buendæ, non tamen recusandæ sunt alieno judicio. Idem : A novitio in seipsum rigida debet esse censura, & districta severitas : ad regentem autem, vel consulentem spectat paterna vel fraterna charitas, & pietas : si alterum horum desit, vel in deside, & tepido non spero cursus perseverantiam vel in præcipiti timeo ruinam. Idem : Animalem discretum, novitium prudentem, insipientem sapientem, in cella diu posse consistere, in congregatione posse durare, impossibile est. Idem: Docendus est novitius sic habere corpus suum, sicut ægrum commendatum, cui etiam multum volenti, inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda : Si de corpore suo agere, sicut de non suo, sed ejus a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro. Idem super Qui habitat : Obsecro vos novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad descritionem boni, & mali ; nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro, ne vos tamquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. Idem super Cantica : Placent, fateor, in novitiis, quantum ad ea, quæ in facie sunt, neglectior utique is, qui foris apparet corporum cultus, & vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Idem in sermonibus : Ante omnia timor novitiis necessarius est, quo nimirum peccata præterita possint delere, cavere futura. Timor enim Domini, ut ait Scriptura, expellit peccatum, sive quod admissum est, sive quod teneat intrare : expellit hoc pœnitendo, illud resistendo.

Ibidem. — *Idem de vita solit. ad frat. de Monte Dei ante med.* — *Ibidem.* — *Idem ser. 3 in ps. Qui habitat, in princ.* — *Idem ser. 63 in Cant. post med.* — *Idem ser. de diversis affectionibus animæ post med.*

Caput XXX.

De Juvenibus.

Gregorius in registro : Esto solicitus, ut pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius alta conscendere festinant. Idem in Moralibus : Immensa superbia juvenum est a seniori sibi reverentiam exigere, & silentium imperare meliori. Idem in Pastorali : Juvenes plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit : senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Idem supra in capitulo de usurpantibus prædicationem : * Joannes Chrysostomus de Compunctione : Non canities laudabilis, neque juventus culpabilis existit, multi quippe, & in juventute philosophiam demonstrarunt, & in senectute lapsi sunt. Canities sapientiæ, non capilli candidi commendantur. Cyprianus de duodecim abusionibus : Sicut in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur : ita in adolescentibus & juvenibus obsequium, & subiectio, & obedientia rite debetur. Ambrosius de Officiis : Pulchra virtus adolescentium verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. Idem : Ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur. Idem de Virginitate : Etiam cum fides tua tuta sit, juventus tamen suspecta est. Bernardus super Cantica : Quid amabilius verecundo adolescente : quam pulchra hæc, & quam splendida gemma morum in vita, & vultu adolescentis : quam vivere, & minime dubia bona nuntia spei, bonæ indolis index ? Idem de Consideratione : Verbosulum adolescentem, & studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud, quam justitiæ hostem reputes : & pro hujusmodi falsis fratribus dicit ille magister disciplinæ : Manus nemini cito imposueris. Idem de Amore Dei : Sapientes latent, & delitescunt : pueri regnant, & principantur, & fiunt principes, qui mane comedunt : & væ terræ illi. Idem infra libro tertio, in capitulo de lætitia mala. Eia lætare Anselmus de Similitudinibus : in juvene tria notantur, quibus ad probitatem venturus prænoscitur : hæc autem sunt taciturnitas, corporis continentia, & verecundia.

Greg. Regist. lib. 2 indi. 11 cap. 16 — *Idem li. 24 Mor. ca. 7 vers. fin.* — *Idem Past. 3 p. ca. 1 admoniti 2* — *Cyp. li. de duo de im. abusib. c. 3* — *Amb. li. 1 offic. c. 18 tom. 4* — *Ibid. c. 17* — *Idem de Virg. lib. 3 paul. a prin. to. 4* — *Bern. in Cant. Ser. 86 parum princ.* — *Idem de consid. li. 4 circa med.* — *Idem lib. de natu. & dignita. divini amoris, cap. 14* — *Anselm. lib. de sim. cap. 139*

Caput XXXI.

De Monachis bonis.

Gregor. Reg. lib. 3 indict. 12 cap. 40

Gregorius in registro, ad quemdam Abbatem: Hujus te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos sibi commatres facere. Idem in homiliis: Monachus reverentiam sui habitus in actu, in locutione, in cogitatione semper circumspiciat: & ea quæ mundi sunt, perfecte deserat: & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. Isidorus de Summo bono: Summa monachi virtus: humilitas, summum vitium est superbia. Idem: Tunc aut se quisque monachum judicet, quando se minimum omnium existimaverit, etiam si opera majora virtutum gesserit. * Joannes Chrysostomus de compunctione: Monachus non solum propterea dicitur monachus, quia uxorem non habet: sed quia religioni Dei, & servitio ipsius mancipatus est: & cura illi est, quemadmodum Deo, non sæculo placeat, & qui magis eligit castitatem, quæ Deo chara est, & Spiritus sancti habitatio. Hieronymus in epistola. Humilitatem vestium tumenti animo non appetas: sæcularium & maxime potentum consortia devita: quid necesse est ea videre sæpius, quorum contemptu monachus esse cœpisti? Idem: Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se monachum lugeat, & Domini sui semper pavidus præstoletur adventum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat, & corruat, atque frangatur. Unde & mulierum maxime juvencularum vitat aspectum, & intantum castigator sui est, ut etiam quæ tuta sunt, pertimescat. Bernardus de præcepto, & dispensatione: Lego in regula, hæc: Consideratio penes Abbatem sit, & hoc vel illud esse in providentia, vel arbitrio, seu dispositione Abbatis. Ut autem

Idem ho. 17 in Evang. circa fin.

Isidor. de sum. bon. lib. 3 ca. 20 sen. 1

Ibidem consequen.

Hieron. epist. 13 post med. tom. 1

Idem adversus Vigilantium cir. fi. to. 1

Ber. tract. de precep. & disp. ante med.

A pro sua voluntate aliquid mutet de regula, me ibi legisse non recolo: quinimmo, inquit, omnes magistram regulam sequantur, nec ab ea temere devietur a quoquam. Ergo nec etiam ab ipso Abbate: Omnes, inquit, magistram sequantur regulam: nemo igitur suam voluntatem. Idem: Super fratrum transgressiones, non super patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, ultor vitiorum. Idem in epistola: Ordo noster abiectio est, humilitas, voluntaria paupertas, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, B exerceri vigiliis, jejuniis, ac orationibus, opere manuum, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas: porro in omnibus his proficere de die in diem, & in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. Idem: Quoscumque de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse Abbatem, consolando, exhortando, increpando. Tunc enim agis opus tuum, & portas onus tuum: & portando sanas, quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est, ut magis juvet te quam juvetur a te, hujus te non patrem sed fratrem: comitem, non Abbatem esse cognoscas. Benedictus in regula: C Magnopere debet solicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditam perdat: noverit enim infirmarum se curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Idem: Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste dispónat aliquid sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis, & operibus suis redditurus est Deo rationem. Idem: Oportet Abbatem esse doctum lege divina, ut sciat unde proferat nova & vetera: castum, sobrium, misericordem, ut superexaltet misericordia judicium, ut ipse idem a Domino consequatur, odiat quoque vitia, diligat fratres. Idem: Abbas in ipsis

Ibid. paulo ante

Idem epis. 142 ad Monach. Alpem.

Idem ep. 73 ad Ramal. Abb.

Benedict in Reg. cap. 27

Ibid. c. 63

Ibid. c. 64

Ibidem.

imperiis suis sit providus, & consideratus, sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit. Opera quæ injungit, discernat, & temperet: cogitet discretionem sancti Patriarchæ Jacob, dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.

Caput XXXII.

De Monachis malis.

Greg. lib. 3 Dialog. cap. 14 Gregorius in Dialogis: Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est. *Idem in Reg. li. 10 indict. 5 cap. 22* Idem in Registro: Si peculiaritas a monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione eadem poterit permanere. *Ibidem.* Idem: Quid est habitus monachi, nisi despectus mundi? quo modo ergo mundum despiciunt, qui in monachi habitu positi, aurum quærunt? *Idem lib. 6 indic. 15 cap. 193.* Idem: Monachorum quidem species tenetur, multa vero sub sanctitatis habitu sæcularia aguntur. *Ibid. lib. 10 indic. 5 cap. 22.* Idem: Monachi mihi terrenæ mentis esse omnino apparuerunt, qui nimis terrenum hominem Abbatem habere quæsierunt. *Isid. ety. lib. 7 c. 13* Isidorus in etymologiis: Monachus Græca etymologia vocatur, eo quod singularis sit. Monos enim Græce singularis dicitur. Ergo si solitarius vel singularis interpretatur vocabulum monachi, quid facit in turba, qui solus esse debet? *Idem lib. 3 de sum. bo. c. 21 sent. 4* Idem de Summo bono: Multi monachorum amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involvuntur, & pro suorum temporali salute amicorum, suas animas perdunt. *Ibid. c. 22 sent. 8* Idem: Maxime per cenodoxiam subiiicit sibi diabolus monachum, ut quem per sæculi amorem retinere non potuit, ab humilitatis culmine subtrahat, & per superbiæ tumorem subditum faciat. *Chrysost. lib. 1 de compunct. ord. post med. to.* Joannes Chrysostomus, de compunctione: Eos, qui videntur sustulisse crucem suam, & sequi Christum, per latam, & spatiosam viam velle incedere, nonne tibi prodigiosum videtur? *Ibidem.* Idem: Denique monachi cum de monasteriis requirunt, & de locis habitationum percontantur, ante omnia requirunt, si requies sit in loco, si

A abundent omnia. Idem in capitulo de propinquitate: Dico tibi monache, &c. *Hieron. ep. 13 ad Paul. tom. 1* Hieronymus in epistola: Monachum, quem senseris tibi aut semper, aut crebro de nummis loquentem accepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem habeto potius, quam monachum. *Ber. ep. 42 ad Henr. Archiep. Senon. in fin.* Bernardus in epistola: Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis, vestræ manus omne diripiunt patrimonium. *Idem ser. 30 super Cant. in fin.* Idem super Canticis. Quale est hoc, ut in omnibus B fluviis, agris, hortis, cellariisve vix reperiri possit, quod comedas vel bibas? Memento te quæso monachum esse, non medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium tibi, parce gravamini domus, parce conscientiæ, conscientiæ dico, & si non tuæ, parcem saltem conscientiæ alterius. *Idem in Apolog. ad Gul. abba. post med.* Idem in Apologia: Miror unde inter monachos tanta intemperantia in cibis, & potationibus, in vestimentis, & lectisterniis, equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosius, & voluptuosius, atque effusius fuerint, C ibi ordo melius observari, dicatur, & major putetur religio. *Ibid. conf.* Idem: Ecce inter monachos parcitas putatur avaritia: sobrietas, austeritas: silentium tristitia reputatur. E contra remissio discretio dicitur: effusio liberalitas: loquacitas, affabilitas: cachinnatio, jucunditas: mollities vestimentorum, & equorum fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia. *Ibidem multo post.* Idem: Jam de aquæ potu quid dicam? quando, nec ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur, omnes nimirum ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus, & tam necessarium Apostoli de vino utendo consilium non negligimus, modico tamen quod ille præmisit, nescio cur prætermisso. *Ibidem.* Idem: Quæritur ad induendum, non quod

quod utilius, sed quod subtilius invenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbiæ competat: non denique juxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius imo vanius poterit ostentari. Heu me miserum qualemcumque monachum, cur adhuc vivo? Tædet animam videre ad hoc devenisse ordinem nostrum sanctum. Idem: Habitus noster, quod & dolens dico, qui humilitatis solebat esse insigne, a monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostri provinciis invenitur, quo vestiri dignemur, miles, & monachus ex eodem panno partiuntur sibi chlamidem, & cucullam. Quivis de sæculo quantumlibet honoratus, etiam si Rex, etiam si Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si sibi suo modo præparata fuerint, & aptata. Idem super Missus: Ornari, non armari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad prælium, & contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant, quod utique adversarii multum formidant, in mollitie vestimentorum pacis potius, quam belli præferentes indicium, ultro se suis hostibus, sine sanguine tradunt inermes. Item, in c. de Curiositate lib. 3 Monachus qui sui. Idem in lib. 2 in cap. de Superbia. Idem in Sermonibus: Nihil turpius quam monachus per urbes, & castella discurrens. Nisi cum hoc charitas cogat, quæ operis multitudinem peccatorum. Anselmus de similitudinibus: Nec cuiquam prodest habitum monachi exteriorem habere, si non studuerit, & interiorem retinere.

Ibidem. — Idem ho. 4 super Miss. prope fin. — Idem in sermonibus parvis, ser. 63 — Ansel. de similitud. cap. 90 post med.

Caput XXXIII.

De Incipientibus.

Gregorius in Pastorali: Qui bona inchoata non cosummant, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerunt cœpta convellunt. Idem: Nec malos bona imperfecta adiuvant, nec bonos mala inconsummata condemnant. Idem super Ezechiele: Via Dei, & inchoantibus angusta est, & perfecte jam viventibus lata. Et dura sunt, quæ contra consuetudinem spiritualiter animo proponimus, & tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus. Idem in Moralibus: Conversorum initia bonis moribus, malisque permixta sunt: quia, & nova vita jam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex usu retinetur. Isidorus de summo bono: Qui ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de accetis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. Idem: Valet interdum conversis pro animi salute, mutatio loci plurimum enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Augustinus super Genesi: Nulla abstinentia fit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectitur. * Cassiodorus super psalterium: Initium profectus est carnalia vitia relinquere, Domino supplicare. Bernardus in sermone: Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix possunt extingui jacula ignita diaboli.

Greg. pas. 3 pag. c. 2 admoni. 35 — Ibid. admonit. 32 — Idem ho. 17 in Ezech. circa med. — Idem li. 31 Mor. ca. 17 paul. ad princ. — Isidor. de sum. bon. lib. 2 ca. 8 sent. 8 — Ibid. ca. 10 sent 7 — Ber. ser. 4 in Assump. B. Mariæ ante med.

Caput XXXIV.

De Proficientibus.

Gregorins in Moralibus: Omnipotens Deus interiora decernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur & non valet, in illis se non elevet, quæ jam valet. Idem: Ad Deum quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis moribus proficit. Idem: Nonulli qui ætate crescunt ab innocentia decrescunt: electis vero cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis. Idem: Si lacescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. Idem: Sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat; inveniunt. Idem super Ezechiele: Quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur

Greg. li. 12 Mor. ca. 2 — Ibid. li. 15 cap. 3 post med. — Ibid. li. 21 cap. 13 — Ibid. li. 22 ca. 2 circa fin. — Ibid. li. 32 cap. 1 in princ. — Idem ho. 10 in Ezech. circa fin.

Ibid. ho. 14 ante med. amplius de perverso opere. Idem: Plerumque qui plus in contemplatione rapitur, contingit, ut amplius in tentatione fatigetur, sicut quibusdam bene proficientibus contingere sæpe solet: quorum mentem, dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super semetipsum rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne de his ad quæ rapta est, extollatur. Idem in registro: *Idem Reg. li. 4 in di. 11 cap. 82* In tantum proficis, & quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Hieronymus in epistola: *Hier. ep. 4 ad Rustic. Monach. post med. tom. 1* Oblitus posteriorum semper priora sectaberis, nequaquam considerans, quid alii mali faciant, sed quid boni tu facere debeas. Nec peccantium ducaris multitudine, sed Sanctorum exempla potius imiteris. Idem: *Idem ep. 14 ad Maur. fil. circa fin. to. 9* Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia, & fides tua eo perfectior esse videatur, quo senior es. Augustinus de verbis Apostoli: *August. de Ver. Apost. ser. 15 in fin. to. 10* Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti, sufficit, periisti. Idem: *Ibid. cons.* Semper adde, semper ambula, semper proficere, noli in via deficere, noli retro ire, noli deviare. Remanet enim qui non proficit: retro redit qui ad ea revolvitur, unde jam recesserat: deviat qui apostatat. Idem de prædestinatione. *Idem lib. 1 de prædest. sanct. c. 14 tom. 7* Cur non, inquit Cyprianus, properamus, & currimus, ut patriam nostram, videre ut parentes nostros salutare possimus? magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens, & copiosa nos turba desiderat: jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita. Idem in capite de oratione accepta. Qui didicerunt. Bernardus in epistola: *Ber. ep. 91 ad frat. Suessione congregatos post med.* Aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Idem in cap. de verecundia lib. 4 Nolo repente. Idem in sermone: *Idem ser de 4 mod orandi ante med.* Ita nimirum divina solet pietas conservandæ humilitatis gratia ordinare, ut quanto plus quisque proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam & usque ad extremum spiritualis exercitii gradum, si quis tantum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut adhuc sibi illum adeptus videatur. * Idem: Ubi sane in spirituali profeceris exercitio, erit nonnumquam rapi a tuo spiritu in divinum, ut incipias gaudere de bonis Domini, quia propria ante mala lugebas. Idem: *Idem ser. de trib. ordinibus Eccles. ante med.* Minime oportet gressum sistere, & respicere retro; multo minus expedit, sed currendum nobis, & properandum, ne forte egressus, ut gigas ad currendum viam suam a nobis se Christus elonget. Sed potius providentes eum in conspectu nostro semper, & in ejus odore tracti facilius citiusque curramus. Auctor de spiritu, & anima: Per odium. Infra lib. 4 in
B cap. de desiderio.

Caput XXXV.

De Perfectis.

Gregorius * in Moralibus: *Greg. li. 19 Mor. ca. 8* Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Idem: Tanto quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. Idem: *Ibid. lib. 8 cap. 30 post med.* Valde perfectorum est, sic de ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de oblata laude privata nesciant exultatione gaudere. Idem: *Ibid. lib. 6 cap. 8 post med.* Perfectus quisque cum in seipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit. Idem: *Ibid. lib. 5 ca. 13 cir. fin.*
C Ille vero perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, proximum deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte nondum perficit. Idem: *Ibid. li. 13 cap. 10* Perfecta vita, mortis est meditatio. Idem: *Ibid li. 10 cap. 4 ante med.* Qui perfecte Deo placere desiderant, sibi de se nil relinquant. Augustinus de spiritu & littera: *Aug. lib. de spiri. & litt. ca. 36 tom. 3.* Quantum mihi videtur in ea, quæ perficienda est justitia, multum in hac vita ille profecit: qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit. Idem: Hoc perfectorum est. Infra in lib. 4 in c. de æquitate. Idem: Nullus perfectus. Infra lib. de sufficientia. Isidorus de summo bono: *Isid. lib. 2 de sum. bo. cap. 29 sent. 3* Sicut falsitatis crimen a proficientibus pertimescitur, ita

otio-

otiosa verba a perfectis viris sollicite vitantur. Idem: Peccata quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. Bernardus in epistola: Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit. Idem: Proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectiorem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectiorem esse, perfectum est: nolle proficere, deficere est. Idem: In proposito perfectionis apparere imperfectum, nævus est. Idem: Habes de justo, quod lex Dei in corde ipsius, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere, & necessariis paratus est. Idem super Cantica: Perfectus omnis reputatur, in cujus anima tria hæc congruenter, atque opportune concurrere videbuntur, ut scilicet noverit gemere pro se, & exultare in Deo, & proximorum utilitatibus potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis proximis.

Ibid. c. 18 sent. 5. Ber. ep. 34 ad Drogonem Monach. Ibid. epi. 253 ad Garin. abbat. circ. med. Ibid. epist. 249 ad Ber. Priorem. Idem in vita Malachiæ in præfat. Idem in Cant. ser. 57 prope fin.

Caput XXXVI.

De Tribus prædictis statibus.

Gregorius in Moralibus: Tres sunt modi conversorum scilicet inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem sunt blandimenta dulcedinis; in medio quoque tempore sunt certamina tentationis, ad extremum vero perfectio vitiosæ pulchritudinis. Idem super Ezechielem: Alia sunt virtutis exordia, aliud perfectio. Isidorus de summo bono: Tripartitus describitur esse uniuscujusque conversi profectus, scilicet primus corrigendi a malo, secundus faciendi bonum, tertius consequendi boni operis præmium. Bernardus in epistola: Incipientium status dici potest animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis. Idem super Cantica: Sunt hi tres animarum affectus, sive profectus, expertis dumtaxat satis noti, & manifesti, scilicet cum aut de actibus malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris, & benefactoris sui præsentiam (eo quidem modo, quo in corpore fragili possibile est) obtinent intueri. Idem: Invenit profecto apud Deum, & verecunda confessio, quo se humiliando deiiciat: & propera devotio, ubi se innovando reficiat, & jucunda contemplatio, ubi se excedendo quiescat. Idem in sermone: Alii vacent sanctæ contemplationi, alii dediti sint fraternæ administrationi; alii in amaritudine animæ suæ recolant annos tamquam vulnerati dormientes in sepulchris. Idem: sic plane sic opus est, ut Maria pie & sublimiter sentiat de Deo suo: Martha misericorditer, & benigne de proximo: Lazarus misere, & humiliter de seipso.

Greg. lib. 24 Mor. cap. 7 ante med. Idem ho. 14 in Ezech. ante med. Isid. de sum. bon. li. 2 ca. 2 sent. 7. Bern. epi. de vita sol. ad frat. de Monte Dei ante med. Idem ser. 4 in Cant. ante med. Ibid. paulo post. Idem ser. 3 in Assump. B. Mariæ circa med. Ibidem.

Caput XXXVII.

De Monialibus.

Gregorius in registro: Juvenculas Abbatissas vehementissime prohibemus. Ambrosius de virginitate: Ajunt plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo, sacerdotales cautiones esse debere, ut non temere velentur. Spectet plane, spectet ætatem sacerdos, sed fidei, vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos charitatis. Augustinus de Virginitate sancta: Non nos in virginibus prædicamus, quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam, quod non temere forsitan dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier, quam virgo nuptura. Idem: Nulla carnis fœcunditas sanctæ virginitati comparari potest. Neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur. Idem: In vita æterna est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda: cui consequendæ parum est liberum esse a peccatis, nisi super hoc aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse, ac reddidisse sit laudis & honoris. Idem: Pergite sancti pueri Dei & puellæ, ma-

Greg. Regist. lib. 3 indict. 12 cap. 11 circa fin. Amb. lib. 3 de virginibus ante med. to. 4. Aug. lib. virg. sanct. cap. 11 tom. 6. Ibid. c. 8. Ibid. c. 13. Ibid. c. 27.

mares & feminæ, cœlibes & innuptæ: pergite perseveranter in finem, & laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius: sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius, lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Idem de Ecclesiasticis dogmatibus: Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquari, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino, vel carnibus nihil accrescere meriti, credere, non hoc Christiani, sed Joviniani est. Hieronymus in epistola: Agnosce virgo statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum, Christi sponsa diceris, vide ne quid indignum ei, cui desponsata diceris, admittas. Cito rescribet repudium, si in te viderit vel unum adulterium. Idem: Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est. Criminosior est enim Christi adultera, quam mariti. Idem: Romana Ecclesia Apostolico fine dubio, cujus Sedem obtinet, spiritu animata, tam severam statuit sententiam, ut vix vel pœnitentiæ dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset. * Anastasius in sermone: Nihil prodest corpus velare, & mentem vitiorum portentis maculare. Quid enim prodest nigris vestibus indui, & a detractione linguam non cohibere? * Idem: In monasterio positæ non otio torpescant, non detractionibus, non obscœnis confabulationibus incumbant; sed aut psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certe divinis lectionibus aurem accomodent. Idem: Minores natu eas, quæ provectæ sunt ætatis obsequio sanctitatis venerentur. Provectæ quoque annis, juniores dictis & exemplis ad bene vivendum informent. Nobiles genere nequaquam ignobilibus se præferant: scientes, quia personarum acceptor non est Deus. * Idem: Vita Abbatissæ velut pennatum animal, ad altum semper per desiderium evolet, per verba resonet, luceat per exemplum. * Idem: Tales Abbatissæ regendarum animarum curam suscipere debent, quæ subditis verbis, & exemplis ducatum præbeant sanctæ religionis. * Idem: Omnis actio Abbatissæ semper sit propter Deum, & de Deo, & cogitatio in Deum, & exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus eam cupio esse compassibilem, omnibus gratam. * Cæsarius in sermone: Religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumlibet extraneorum perniciosa familiaritate constringi. * Idem: Pomposa indumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite, atque contemnite virgines Christi sponsæ. Multæ enim, quod in moribus diligunt, hoc & in vestibus & in operibus suis ostendunt. Cyprianus libro de disciplina & habitu virginum: Non computari jam poteris inter puellas & virgines Christi, quæ sic vivis & vadis, ut possis ab hominibus adamari. Bernardus in epistola: Ut quid hactenus monacha, & sanctimonialis vocata es, quæ sub sanctitatis nominibus, non tamen sancte conversata es? Cur velum in capite mentiebatur reverentiam, & sub velo petulans oculus exhibebat impudentiam? Caput siquidem gerebas velatum, sed elatum. Sub signo verecundiæ, sermo resonabat inverecundus. Risus immoderatior, incessus lascivior, vestitus ornatior uni inflatæ magis, quam velatæ congruerent.

Idem li. de Eccles. dog. c. 68 to. 3

Hiero. ep. 14 ad Mauritii filiam tom. 9 circa med.

Ibidem circa fin.

Ibidem conseq.

Monialium exercitia.

Abbatissæ vita & exemplum.

Cypr. de discip. & habit. vir. cap. 5 to. 2

Bern. epist. 114 ad sanctimon. quand.

Caput XXXVIII.

De Virginibus:

Gregorius super Ezechielem: Candida vita est carnis incorruptio, & flos virginitatis. Idem in Moral. Carnis virginitas nequaquam jussa est, sed tantummodo laudata Nam si illa juberetur, nimirum jam conjugium in culpam verteretur. Et tamen multi virtute virginitatis pollent, ut videlicet plus impendant obsequio, quam acceperant in præcepto. Augustinus de virginitate: Profecto habebunt magnum aliquid virgines præter ceteros in illa commu-

Gregor. in Ezec. ho. 6 ante med. Idem lib. 15 Moral. cap. 12

Augu. lib. de Virgini. sanct. c. 12 tom. 6

muni sanctorum immortalitate, quoniam habent aliquid jam non carnis in carne. *Ibid. c. 55* Idem: Non quærit in vobis amator vester pulchram carnem, sed pulchram mentem & pulchros mores, quibus frænatis & carnem. *Ibidem.* Idem: Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce: totum ipse teneat in animo vestro, quidquid voluissetis occupati connubio. *Ibid. ca. 27* Idem: Virgines sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. Quo ire putamus hunc agnum? Certe quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos. Quo putamus eum ire, in quos saltus & prata? ubi credo gramina sunt gaudia, non gaudia hujus sæculi vana, insani, & mendacis, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus: sed a ceterorum omnium sorte distincta. *Ibidem consequ.* Idem: Gaudia virginum Christi sunt, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. *Ibid. ca. 29* Idem: Sequimini agnum, & tenendo perseveranter: quod vovistis ardenter, facite quod potestis; ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeat. *Idem epist. 179 ad Pro. & Jul. vid. tom. 2* Idem: Gaudeat magis puella nobilis genere, sed nobilior sanctitate, quod sit per divinum consortium præcipuam in cœlis consecutura sublimitatem, quam si esset per humanum connubium prolem in terra propagatura sublimem. Idem: Infra lib. 4 in capit. de meditatione. Virginalis integritas. Idem: Infra in capite de connexione virtutum, scilicet continentiæ, & charitatis, ibidem: Inspicite vulnera. *Idem de Virg. san. c. 34 to. 6* Idem: Illis virginibus in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiori vestitu, quam tantæ professionis necessitas postulat: aut capitis ligamento notabili, sive tumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris, ut retiola subterposita appareant, his non de humilitate, sed de castitate ipsa, vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. *Ibid. ca. 38* Idem: Bonum est tibi o anima virginalis, ut sic quando virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias cum timore Domini, ut parturias spiritum salutis. *Ibid. ca. 5* Idem: Ille unius sanctæ virginis partus, omnium sanctarum virginum est decus; & ipsæ virgines cum Maria virgine matres Christi sunt, qui patris ejus voluntatem faciunt. *Ibid. ca. 44* Idem: Quis nesciat obedientem mulierem, inobedienti virgini præponendam? *Ibid. ca. 51* Idem: Virginitatis bonum, quantum magnum video, tanto ei ne pereat, furem superbiam pertimesco: *Hieron. epist. 14 ad Maurit. filium to. 9* Hieronymus in epistola: Non proderit ceterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. *Ibidem.* Idem: An tibi de virginitatis prærogativa blandiris? Memento Adam, & Evam virgines deliquisse, nec integram corporis profuisse peccantibus. *Ibidem.* Idem: Cum universos artus tuos mundaveris ab omni sorde peccati, & toto fueris sanctificata corpore; tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum omni fiducia palmam virginitatis expecta. *Ibidem.* Idem: Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus: Sermo semper modestus, & in suo tempore proferendus. *Ibid. lib. adversus Helvid. non longe a fin. tom. 2* Idem: Virginis definitio est, sancta esse corpore, & spiritu, quia nihil proficit carnem habere virginem, si mente quis nupserit. *Idem ep. 22 ad Eustoc. ante med. tom. 1* Idem: Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. *Cypr. de discip. & habitu vir. ca. 3 to. 2* Cyprianus in epistola: Si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est virginibus Christi cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt? *Isidor. de sum. bon. lib. 2 ca. 40 sent. 6* Isidorus de summo bono: Omne peccatum per pœnitentiam recipit vulnerum sanitatem: virginitas autem si labitur, nullatenus reparatur. *Ibid. sent. 7* Idem: Virgo carne, non mente nullum præmium habet in repromissione. *Amb. tra. de hortat. ad virgin. post med. tom. 4* Ambrosius de hortatione ad virginitatem. Attende tibi virgo, ut & tu insi-

insistas orationi, & vultus tuus assi- A dua pallescat obsecratione. Sed ante omnem orationem, præpara animam, ut non tu videaris tentare Deum cum deprecaris: ut id quod oras, mores tui loquantur, fides adjuvet, opera commendent. Idem: Nec *Ibidem paulo post.* liberiorem lætitiam in virginibus decet esse: quæ si non habent, quod defleant, fleant tamen sæculum, fleant, lapsus peccantium. Etenim, quæ aliorum lapsus fleverit, suos cavebit. Fleant quod a gaudiis paradisi longius evagantur: fleant, quia nesciant an ad illa debeant pervenire: fleant postremo, vel ipsa contemplatione, ut hic flentes, illic accipiant consolationem. Idem: Custodi virgo vias tuas, *Ibidem prope fin.* ut non delinquas in lingua tua. Etenim bona loqui plerumque crimen est virgini. Idem: Ingreditur o virgo *Idem lib. 1 de Virg. post med. tom. eod.* mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremo, si ubi non oportet loquaris. Clausæ sint ergo fores labiorum tuorum, & obseratum maneat vocis vestibulum. Idem: Virgo, quæ Chri- *Ibidem.* stum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis, voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. Idem: *Idem tract. de Hortat. ad Virgin. tom. eod.* Qui non nubunt, & uxores non ducunt, sicut Angeli in terris sunt; ut tribulationem carnis non sentiant, servitutem ignorent, & mundanæ negotiationis allevientur contagio, divinis rebus mente intendant: ut C tamquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei cogitent. Idem: Virginitas adole- *Idem lib. de Viduis ante med.* scentiam decet, juventutem ornat, senectutem amplificat, omnique ævo habet justitiæ suæ canos, maturitatem gravitatis, velamen pudoris, qui devotionem non impediat, religionem augeat. Idem de Virginita- *Idem lib. 1 de Virg. ante med.* te: Quid est virginalis castitas, nisi expers contagionis integritas? Idem: *Ibidem post med.* Nec mirum, o virgines, si pro vobis Angeli militant: quia Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum meretur & vitam & mores. Idem: Rachel extorto osculo flevit *Ibid. lib. 3 non mul. tum a princ.* & gemuit. Nec flere desiisset, nisi proximum cognovisset. Idem: Con- *Ibidem ante med.* siderate, quia virgines præ Apostolis resurrectionem Domini videre meruerunt. Idem: Claudat ora vir- *Ibidem.* ginis pudor, debilitatem corporis excludat religio, instituat consuetudo boni operis exercitium. Maturam igitur virginem mihi prius gravitas morum nuntiet pudore obvio, gressu sobrio, vultu modesto, & prænuntia integritatis, antecedant signa virtutis. Bernardus super: Mis- *Bernar. ho. 3 Super Missus, post med.* sus est: Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper ad omnem viri affatum pavere, & numquam esse securæ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare B pretiosum, & nimis arduum esse vivere inter homines ut Angelum, & in terris more cælestium conversari. In dialogo sanctorum * Basilii & Joannis: Virgo, quæ arripuit prophetiam cœlestemque conversationem Angelorum repræsentare in terris spopondit, atque in hac carne incorporeæ naturæ aggressa est implere virtutem, neque superfluus egressus, neque vaniloquia usurpare permittitur, maliloquii vero & adulationis etiam nomina ignorare debet. Glossa: Altior professio virtu- *Gloss. ord. in 3 Reg. cap. 6.* tis, altiorem debet tenere viam vivendi. Qui enim abrenuntiato conjugio virginitatem voto consecrant, oportet ut mores virginitatis condignos ostendant. Abstineant ab otiosis verbis, ira, rixa, detractione, habitu superfluo, & oculo impudico: comessationibus, potationibus, atque hujusmodi vigiliis & sanctis orationibus, lectionibus, eleemosynis, & hujusmodi vacent.

Caput XXXIX.

De Viduis.

Gregorius in registro. Quanto vi- *Greg. regi. lib. 5 ind. 14 ca. 132.* duæ bene viventes virorum sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius ecclesiastica est impendenda tuitio. Idem in cap. de sacerdotibus bonis.

Aug. epist. 121 ad Probam, cap. 16 in princ. to. 2

nis. Officii sacerdotalis. Augustinus in epistola: Quamvis ad omnia membra Christi, hoc est, ad omnes, qui in eum credunt, & ejus corpori mystico sociantur, sicut docuit, orare pertineat: specialiter tamen diligentior cura orationis in scriptura, ejus viduis invenitur injuncta. Idem de viduitate: Si nondum vovisses Deo continentiam vidualem, exhortaremur profecto ut voveres; quia vero jam vovisti, exhortamur ut perseveres. Idem: Agite cursum vestrum o viduæ, & perseveranter currite, ut comprehendatis: & exemplo vitæ, exhortationisque sermone rapite in eumdem cursum vestrum quascumque potueritis. Idem de vita Christiana: Tria esse viduarum genera non ignorare te credo. Unum, quod perfectissimum est cœlestique præmio destinatum, quod ritu illius de evangelio viduæ Deo orationibus & jejuniis die noctuque deservit. Aliud vero, quod filiorum curam habet, & domus, non tam dignum, nec tamen peccatis obnoxium. Tertium autem genus est in epulis & deliciis, quod æternæ morti servatur. Idem de virginitate: Multas viduarum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hieronymus in epistola: Vidua quæ marito placere desinit, & juxta Apostolum vere vidua est, nihil habet necessarium nisi perseverantiam. Meminit pristinæ voluptatis, scit quid amiserit, quo delectata sit. Ambrosius de viduis: Prope modum non inferioris virtutis est a conjugio abstinere, quod aliquando delectaverit, quam conjugii penitus delectamenta nescire. Idem: Virginitas in eo facilior est, quod carnis incentiva non novit, & viduitas in eo solicitior, quod præteritas animo recolit voluptates. Idem de viduitate. Esto vidua temperans & casta. Tempera te primum a vino, ut possis casta esse ab adultero, nec te ille tentabit: si te vina non tentent. Nam si Judith vidua vinum bibisset, cum adultero utique dormisset. Idem de officiis: Quid tam decorum, quam ut vidua defuncto conjugi fidem servet? Quid etiam hoc utilius, quo regnum cœleste acquiritur? Sunt enim, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Idem de fide resurrectionis: Mulier satis pie virum luget, quæ servat pudorem, non deserit fidem. Sic enim bene defunctis officia penduntur, ut vivant in mentibus, & in affectibus perseverent.

Idem de bono viduit. c. 19 in pr. tom. 4

Ibid. c. 23

Idem l. de vita Chr. c. 13 tom. 9

Idem de Virg. san. c. 34 tom. 6

Hier. ep. 10 ad Furiam ante med. tom. 1

Amb. ll. de Vid. in pr. tom. 4

Est Hier. ep. 11 ad Ager. de monog. ante med. tom. 1

Idem de Vid. circa med. t. 43

Idem lib. 2 de Offi. c. 6 t. eod.

Idem li. de fide Resur. longe ante med. t. eod.

A B C

Caput XL.

De conjugatis.

Gregorius in Moral. Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Idem in pastore: Necesse est ut conjuges crebris orationibus deleant, quod pulchræ copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Idem: Admonendi sunt conjuges, ut ea in quibus sibi aliquando displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes se invicem salvent. Idem in registro: Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua, Ecclesiam intrare non debet, sed neque lotus intrare statim debet. Et infra: Nec hoc dicentes culpam putamus esse conjugum, sed quia etiam ipsa licet admixtio conjugum, sine voluptate carnis esse non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa sine culpa esse nullatenus potest. Idem Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis, sed solum procreandorum liberorum gratia utitur, ille profecto sive de ingressu Ecclesiæ, sive de sumendo Dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Idem: Cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas deflere,

Greg. l. 32 Mor. c. 17 ante med.

Idem Past. p. 3 c. 28 admon. 26

Ibid.

Idem in Reg. l. 12 Ind. 7 c. 16 circ. med.

Ibid.

Ibid. ll. 11 ind. 4 c. 39 post med.

flere, ut se ad continentiam astringant, & meliorem vitam appetant licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat: dividi conjugium non licet, quia scriptum est: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et iterum: Mulier corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Augustinus de bono conjugali: Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis est, & solus ille nuptialis. Ille autem, qui ultra necessitatem istam progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam conjugalem pertinet. Si autem ambo tali concupiscibili subjungantur, rem faciunt non plane nuptiarum. Idem Cum ille naturalis usus, qui prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis: ille qui est contra naturam execrabilis fit in meretrice, sed execrabilior fit in uxore. Idem: Bonæ sunt nuptiæ, in quibus, tanto meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores, Deum timent: maxime si filios, quos carnaliter desiderant, spiritualiter nutriant. Idem in epistola. Mulierem conjugatam non licet dicere: facio quod volo de meo, cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, idest viri. Idem super Genesim ad litteram: Quod bonum habent nuptiæ, peccatum numquam esse potest. Hoc autem tripartitum est scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera vel cum altero concumbatur. In prole, ut amanter suspiciatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis, alteri conjungatur. Idem contra Julianum: Intemperans in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est? Omnis enim vehemens amator propriæ uxoris, adulter est. Idem: Sicut adulterium non

2 Cor. 7

Aug. li. de bon. conjug. c. 10 tom. 6

Ibid. c. 11.

Ibid. c. 18

Idem ep. 199 circa med. t. 2

Idem li. 2 de Gen. ad lit. c. 7 t. 3

Idem lib. 2 con. Jul. cir. med. tom. 7

Ibid. lib. 8 c. 23 in fin.

A potest esse sine bono naturæ, nec ideo est bonum: ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ, nec ideo malum est. Idem: Conjuges bene utentes malo concupiscentiæ, anteponuntur virginibus male utentibus bono continentiæ. Idem de viduitate: Nuptiarum bonum semper est bonum, sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium. Idem: Sicut manente in se sacramento regenerationis, excommunicatus quisque reus criminis cujuscumque, non illo sacramento caret, etiamsi numquam reconcilietur Deo: ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, si uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo fœderis etiamsi numquam reconcilietur viro: carebit autem si mortuus fuerit vir ejus, Idem: Indignanter viri. Supra in capitulo de homine. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Abstine te a menstruata, abstine te a prægnante, erubesce te facere, quod animalia non faciunt. Et infra: Quando dies festus est & dies jejunii, serva ut impleas apostolicum præceptum: Nolite fraudare invicem, &c. Ambrosius de viduitate: Non prohibemus secundas nuptias, sed tamen non probamus sæpe repetitas. Idem de Virginitate: Bonum conjugium, sed tamen a jugo tractum, & mundi jugo, ut viro potius cupiat mulier placere, quam Deo. Idem: Jactet licet se fœcundo nobilis dotata partu, quo plures generavit, plus laboravit. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat, qualia sunt vota quæ flentur? Idem: Prius utique impedimentum fœcunditas carnis incipit afferre, quam fructum. Parturit enim & ægrotat priusquam pariat: quam dulce pignus, quod a periculo incipit, & in periculis desinit: prius dolori futurum quam voluptati. Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Idem: A conjugio illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. Isidorus

B

C

Ibid. lib. 4 c. 8 post med.

Idem li. de bo. viduit. c. 8 tom. 4

Idem li. de adult. conjug. c. 21. 6

Chr. oper. imp. hom. 34 in c. 29 Matt. t. 2

Amb. lib. de Vid. post med. t. 4

Idem l. 3 de virg. post med. t. eod.

Ibid. l. 1 ante med.

Ibid.

Ibid.

Isid. Ety. lib. 9 c. 8 rus in etymologiis: Tribus causis ducitur uxor. Prima est causa prolis, de qua legitur in Genesi: Et benedixit eos dicens: Crescite & multiplicamini. Secunda causa adjutorii, de qua ibi in Genesi dicitur. Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Tertia causa incontinentiæ, unde dicit Apostolus: Qui se non continet, nubat. Hieronymus in epistola: *Hier. lib. adv. Helu. cir. fin. t. 1* Non negamus viduas, non negamus maritatas, sanctas mulieres inveniri: sed quæ uxores esse desierunt, quæ in ipsa necessitate conjugii imitantur virginum castitatem. Idem: Ubi *Ibid.* tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbala concrepant, quis ibi Dei timor? Parasitus in contumeliis gloriatur. Ingrediuntur expositæ libidini victimæ, & tenuitate vestium nudæ impudicis oculis ingeruntur, his infelix uxor aut lætatur & perit: aut offenditur, & maritus in jurgia concitatur. Idem: Nupta *Ibid.* ad speculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quam nata est. Idem in origi- *Idem. comment. in Joel. c. 2. t. 5* nali super illud Joel: Egreditur sponsus de cubili suo, &c. Ergo qui in castigatione victus, & jejunio, atque eleemosynis dicit se agere pœnitentiam, frustra agit pœnitentiam, qui non servat castitatem, frustra hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubiculo suo & sanctum purumque jejunium pudica expleat pœnitentia. Glossa: Quoties uxori de- *Glos. ord. in 1 Pet. 3* bitum reddo, orare non possum. Quod si juxta Apostoli sermonem, sine intermissione orandum est, numquam ergo mihi conjugio serviendum: ne ab oratione, cui semper instare jubeor, ulla hora præpediar.

Caput XLI.

De tribus Statibus prædictis.

Aug. lib. de bo. conjug. c. 8 t. 6 Augustinus in libro de bono conjugali: Sicut bonum erat, quod Martha faciebat occupata multum, circa ministerium sanctorum: sed melius, quod Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, & audiens verbum ejus; cum ambæ hospitio recepissent: Ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus, sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ virginis anteponimus. Idem de virginitate: Certa ratione, *Idem de Virg. san. c. 21 t. eod.* & sanctarum scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus: sed tamen nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis abstinentiæ, æquamus. Idem contra Julianum: Vera pudicitia, *Idem lib. 4 con. Iul. c. 3 post m. ed. tom. 7* sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis, dicenda non est, quæ non veræ fidei mancipatur. Conjuges enim & virgines, & viduæ, possunt esse, & pudicæ non esse, si contaminata voluntate mœchantur. Hieronymus in epistola: Cum in semen- *Hier. ep. 11 ad Ageruc. de Monoga. ante med. tom. 1* te terræ bonæ, centesimum, & sexagesimum, & trigesimum fructum Evangelia doceant: & centenarius pro virginitatis corona primum gradum teneat: sexagenarius pro labore viduarum in secundo sit numero: tricenarius fœdera nuptiarum ipsa digitorum conjunctione testatur: Bigamia in quo erit numero? immo extra numerum, certe in terra bona non oritur, sed in vepribus & spinetis vulpium, quæ Herodi impiissimo comparantur. Ambrosius *Amb. l. de vid. ante med. t. 4* de viduitate: Docemur triplicem castitatis esse virtutem: unam conjugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis.

Caput XLII.

De Pauperibus.

Greg. ho. 40 in Ev. post med. Gregorius in Homiliis: Pauper cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet. Si vero reprehensionis nil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. Idem: Cum quoslibet paupe- *Ibid. cir. med.* res, nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare: quia fortasse quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus, paupertatis purgat. Idem: Quando ad fidei agonem ve- *Ibid. hom. 12 non longe a prin.* nimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus: Maligni autem spiritus nudi sunt, quia nihil in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo

ergo cum nudis luctari debemus. A Nam si vestitus quis cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur: quia habet, unde teneatur. Idem in Dialogo: Paupertas mentibus bonis, esse solet custos humilitatis. Idem super Ezechielem: Paupertas in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Idem: Cum deest terrena substantia, de qua æterno judici rationem ponemus, liberius ad patriam pergimus, quia quasi in via pondere caremus. Idem in Moralibus: Mira securitas est cordis, aliena non querere, sed uniuscujusque diei sufficientia contentum manere, Infra de sufficientia lib. 4. Idem: Quisquis stimulo, &c. infra lib. 3. capitulo de judicio. Augustinus de B Ecclesiasticis dogmatibus: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius pro intentione sequendi Dominum insimul pauperibus donare, & absolutum ab omni solicitudine egere cum Christo. Idem in libro de cura pro mortuis, & in libro de civitate Dei: Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato lili diviti turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Dei ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ sinum. * Idem superCanonicam Jacobi: Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate C posita est. Possidere quod cum labore acquiritur, paucorum est: contemnere, quod cum fructu contemnas, omnium est. Felicitas ergo magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertate faciant pretium regni cœlorum. * Idem: Non tibi displiceat paupertas tua, nihil enim ea potest diutius inveniri: Vis scire quam locuples sit paupertas? cœlum emit. * Joannes Chrysostomus: Non malum aliquod æstimemus inopiam, etenim sapientiæ, & patientiæ, & omnis philosophiæ nobis magistra est inopia. Ambrosius in Hexaemeron. Justus vir, qui hic eguerit, illic abundabit: & qui hic laborem toleraverit, illic consolationem habebit. Qui autem hic receperit bona, illic

Idem lib. 2 Dial. c. 9 non longe a prin. *Idem in Ezech. ho. 18 post med.* *Ibid. ho. 10 post med.* *Idem. lib. 15 Mor. c. 13 post med.* *Aug. lib. de Ec. doc. c. 71 to. 3* *Idem li. de cur. prom. agen. c. 2 t. 4 & lib. 1 de civ. c. 12* *Amb. in Hexaem. l. 6 c. 8 prope fin. t. 1*

mercedem eorum sperare non poterit. Paupertas enim mercedem suam reservat, census absumit.* Hieronymus in epistola: Vacuus viator, & nudus latronis non timet insidias, securus a nocturnis furibus dormit pauper, etiam si claustra non muniat: diviti vero suæ opes latronis imaginantur occursum & jugi solicitudine somnum adimunt. Idem: Crates ille Thebanus quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit in mare: nec putavit se posse, & virtutes simul & divitias possidere. Bernardus in epistola: Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium est, hic perfectorum. Amicitia namque pauperum, regis amicos constituit: sed amor paupertatis reges facit. Regnum denique cœlorum pauperum est. * Idem in sermone: Cum tria sint genera paupertatis, necessaria, voluntaria, & simulatoria, recte dividens & recte offerens, rejecta simulatione, necessariam patiens, voluntariam amplectens, pauper efficitur spiritu. Idem: Felix paupertas voluntaria relinquentium omnia, & sequentium te Domine Jesu. Felix plane, quæ tam securos immo gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Seneca in epistola: Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Idem: non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Idem. Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit: quarum possessionem tibi non interdico, sed hoc efficere volo, ut intrepidus eas possideas. Idem Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest salutare fieri studium sine fragilitatis cura.

Hier. ep. 1 ad Paul. t. ante med. *Ber. ep. 103* *Idem ser. 8 super Qui habitat.* *Sen. epi 2 ad Lucil.* *Ibid.* *Idem ep. 18 prope fin.* *Idem ep. 17 ante med.*

CA-

Caput XLIII.

De divitibus.

Greg. ho. 40 in Ev. post med.

GRegorius in homiliis: Quicumque bene in hoc sæculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas, eorumdem remuneratio sit bonorum. Idem: *Ibid. ho. 20 post med.* Cum pauci sint, qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus bus temporalibus abundant, per hoc se divites virtutibus pauperum inserunt, quod eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis partiuntur. Idem: *Idem li. 11 Mor. c. 2 non longe a prin.* Plerumque mali eo magis contra Dominum superbiunt, quo ab ejus largitate, & contra meritum ditantur, & qui provocari bonis ad meliora debuerunt, bonis pejores fiunt. Augustinus de Civitate Dei: *Aug. de Civ. Dei li. 11 c. 25 tom. 5* Temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam nonnummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Idem: Præclaras exequias, &c. supra de pauperibus. Idem de verbis Domini: *Idem de verb. Do. ser. 5 cir. med. t. 10* Ecce recole dives primordia tua: dic rogo, quid attuleris? aut si dicere erubescis, audi Apostolum dicentem: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, utique quando nati sumus, sed nec auferre quid possumus, utique quando de mundo exibimus. Nihil attulisti, nihil auferes, quid te inflas contra pauperem? Certe quando habito casu vetera sepulchra franguntur ossa divitum ab ossibus pauperum non agnoscuntur. Joannes Chrysostomus super Matthæo: Non propter hoc dives divitias accepisti, ut in lascivia consummas, sed ut in eleemosynam expendas. Numquid enim tua sunt, quæ habes? Quæ pauperum bona sunt, tibi credita sunt, etiam si ex laboribus justis, vel ex hereditate paterna possessor factus fueris. * Idem, super Joanne Per innumeras mortes suorum, lætantur se cupidi ad pecuniæ januas pervenisse. Volutari namque in A cœno ejus tamquam sues delectantur, & ut tauri stercus ejus evolvere. Ambrosius de officiis: *Amb. li. 1 de off. c. 18 ante med. tom. 4* Isti, qui in luxuria, rapina, quæstibus, honoribus, studia sua posuerunt, spectatores magis sunt, quam præliatores. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Idem in Hexaemeron: *Idem in Hexaem. l. 6 c. 8 t. 1* Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius fœtent divitum corpora distenta luxuria. Idem in sermone: *Idem l. de Nab. c. 1 tom. 1* In commune omnibus divitibus, atque pauperibus terra fundata est: cur vobis jus proprium soli divites arrogatis? Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Idem: *Ibid. c. 15 in prin.* B Quicumque patrimonio suo tamquam possessor non utitur, qui largiri pauperi, & dispensare non novit, is suarum servulus est non Dominus facultatum. Idem: *Ibid. c. 6 ante med.* Ipsum nomen considera; Ditem dicunt Gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis. Hieronymus in originali super Abacuc: *Hier. com. in Abac. l. 2 c. 3 t. 5* Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ. Omnis dives, aut iniquus, aut heres iniqui. Seneca in epistola: *Sen. ep. 80 cir. med.* Libera te prius metu mortis, illa nobis grave jugum imponit, deinde metu paupertatis: Si vis scire, quam nihil in illa mali sit, compara inter se pauperum, & divitum vultus, sæpius pauper & fidelis ridet. Idem. *Ibid.* Horum, qui felices vocantur: hilaritas C ficta est, aut gravis, & suppurata tristitia, eoque gravior, quia interdum non licet esse miseros, sed inter ærumnas, cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.

Caput XLIV.

De Potentibus.

Greg. Reg. lib. 9 ind. 4 c. 59 in pr.

GRegorius in registro: Qui post terrenam potestatem cœlestis regni gloriam cupit acquirere ad faciendum lucrum creatori suo debet enixius laborare: ut ad ea, quæ desiderat, operationis suæ gradibus possit ascendere. Idem: *Ibid. l. 7 ind. 2 c. 110* Summum in regibus bonum est, justitiam colere, ac sua unicuique jura servare & in subjectos non sinere, quod potestatis

est

est fieri, sed quod æquum est custodiri. Idem: Tunc regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Idem: Restringenda sub ratione potestas est, nec quidquam est agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira, quod fecerit. Idem in Pastorali. Contra Deum præsunt potentes, si eos quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non agnoscunt. Idem in Moralibus: Bene potestatem exercet, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa ceteris æqualitate componi. Humana enim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur: quanto igitur magis se in altum erigit, cum se ei etiam potestas adjungit. Idem: Juncta semper esse superbia potentibus solet. Augustinus de vita Christiana. Quo potestas sublimior est, tanto ad peccandum major est audacia: quia totum credit licere sibi, quod potest, & dum alterius judicieium non timent, qui alios judicant ad peccandum præcipites fiunt. Idem: Homines diabolum, supra de ambitiosis. Idem de mendacio: Nulli est injuria per potentiam, vel leviter inferenda, ut ab alio gravior injuria repellatur. Ambrosius de Officiis: Laus Domini, ubi munda possessio, & innocens familiæ disciplina. Idem in Apologia: Peccavit David ut solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, & ingemuit, quod non solent Reges. Isidorus de Summo bono. Qui recte utitur regni potestate, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente magis humiliet, præponens sibi exemplum humilitatis David: qui de suis meritis non tumidus, sed humiliter sese deiiciens. Dixit vilior fiam plus quam factus sum & ero humilis in oculis meis. Idem: Qui recte utitur regni prestate, formam justitiæ factis magis, quam verbis, instituit, ille namque nulla prosperitate erigitur, nulla adversitate turbatur, non nititur propriis viribus, nec a Deo recedit cor ejus: regni quoque fastigio humili præsidet animo; non eum delectat iniquitas, non inflammat cupiditas, sine fraudatione alicujus ex paupere divitem facit, & quod justa potestate a populis extorquere potuerat, hoc sæpe misericordi clementia donat. Idem in Synonymis: Modica est hujus sæculi gloria: caduca est & fragilis temporalis potentia. Dic ubi sunt Reges, ubi Principes, ubi Imperatores, ubi locupletes rerum, ubi potentes sæculi, ubi divites mundi? Quasi umbra transierunt, velut somnium evanuerunt. Bernardus in epistola: Principis error multos involuit, & tantis obest, quantis præest ipse. Seneca libro de clementia: Nec promiscuam habere, nec vagarem clementiam principem decet. Nam tam omnibus ignoscere, quam nulli malum est. Idem: Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum vivere superiorem velis. Idem in epistola: Quoties in mentem tuam venerit, quantum tibi in servum tuum liceat, toties veniat etiam in mentem tuam tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum dominum habeo. Respondeo, bona forsitan est fortuna, si nescis qua ætate Hecuba servire cœpit, qua Crœsus, qua Darii mater.

Ibid. c. 136 post. med. — *Ibid. lib. 3 sud. 3 c. 1* — *Idem past. cu. par. 3 c. 3 admo. 6* — *Idem li. 24 Mor. c. 26. & past. 2 par. c. 6* — *Ibid. li. 26 Mor. c. 19. post. med.* — *Aug. l. de vita Chr. c. 7 tom. 9* — *Idem lib. de mend. ad Consent. c. 11 tom. 4* — *Amb. l. 1 off. c. 50. 4* — *Idem in Apologia David. 1. c. 4 tom. 1* — *Isid. de sum. bo. li 3. c. 49 sent. 1* — *Ibid. sent. 2* — *Idem in Syn. c. 7* — *Bern. in ep. 117* — *Senec. l. 1 de clem. c. 2* — *Idem ep. 56 circa med.* — *Ibid. conf.*

Caput XLV.

De Judicibus.

Gregorius in homiliis: Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat vitæ alienæ. Idem: Judicare digne. In capit. de acceptatione personarum, lib. 3. Idem in Moralibus: Majora crimina & tarde credenda sunt, cum audiuntur: & citius punienda sunt, cum veraciter agnoscuntur. Idem: Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur ad judicium. Munus namque a corde, est captata gratia a cogitatione. Munus ab ore, est gloria per favorem. Munus a manu, est præmium per dationem. Idem: Boni te dulcem; in capitulo de æquitate, lib: 4 Joannes Chrysostomus super Matthæum: Benigni & justi judicis est suas injurias

Greg. ho. 26. in Ev. ante med. — *Idem l. 19. Mor. c. 14. cir. fin.* — *Ibid. lib. 9. c. 17*

rias contemnere, & aliorum injurias judicare. Idem: Facile deviat. In capitulo de timore, in lib. 3. Isidorus in Synonymis: Noli esse plus justus, quam justum est: omne enim quod nimis est, vitium est. Idem: Nullum judices. Infra lib. 3. cap. de stultiloquio in accusatione. Idem de Summo bono: Neminem stultorum vel improborum oportet judicem esse. Nam stultus per ignaniam, improbus per improbitatem corrumpit, quam didicit veritatem. Idem: Qui recte judicat, & præmium inde remunerationis expectat: fraudem in Deo, perpetrat, quia justitiam, quam gratis partiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Idem: Quatuor modis judicium humanum pervertitur, timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicujus veritatem loqui pavescimus. Cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet adversari molimur. Amore, dum amico vel propinquis obtemperare contedimus. Augustinus in epistola: Iniquum est, ut quisque judicare de alio velit, & judicari de se ipso nolit. Idem: Imple, Christiane Judex, pii patris officium: sic succense iniquitati, ut consulere memineris humanitati. * Idem in sermone: Cum judicaveris te ipsum sine adulatione, judica proximum cum dilectione. * Idem contra Donatistas: Non facile pro uno, vel paucis, adversus innumerabiles religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus, atque bene perspectis rebus, ferenda sententia est. Idem: Sacerdos cui omnis, supra de sacerdotibus bonis, lib. 1. Ambrosius in Apologia: Unusquisque de alio judicaturus, de seipso prius judicet, nec minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit. Idem: Sæpe & in judicando majus peccatum judicii est, quam peccatum ipsum, de quo fuerit judicatum.

Isidor. in Syn. c. 16
Idem de sum. bo. l. 3 c. 55 sent. 1
Ibid. c. 58 sent. 1
Ibid. sent. 7
Aug. ep. 174 ad Pascent. in prin. t. 2
Ibid. ep. 159 ad Mar. Trib.
Amb. in Apolo post. David c. 2 tom. 1
Ibid.

Caput XLVI.

De Nobilibus.

Gregorius in dialogis: Nonnullis solet nobilitas generis parere A ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se ceteris aliquid esse, vel fuisse meminerint. Hieronymus in epistola ad Celantiam: Nulli te umquam de generis nobilitate præponas, nec obscuriores quasque & humili loco natas, te inferiores putes. Nescit enim religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit. Idem: Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa est apud eum nobilitas, clarum est virtutibus. Idem: Nobilitatis tuæ tantum ad hoc memineris, ut cum claritate generis, morum sanctitate contendas. Idem: Non est, quod sibi aliquis de generis nobilitate blandiatur, si ex meliori parte sit servus. B Idem: Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstitit, sed cupiditatis ambitio invenit. * Idem in homiliis: Ille apud Deum potior & nobilior est, non quem nobilitas generis aut dignitas sæculi, sed quem devotio fidei Deo, & sancta vita commendat. Ambrosius in sermonibus: Nullum ad commendationem hominis conditio servitutis affert impedimentum, nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides affert: sive liber, sive servus, omnes in Christo unum sumus. Bernardus in epistola: Minime quidem Deus est acceptor personarum, nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet, an C forte, quia plus claret. Siquidem ignobilis cum caret gloria, non facile liquet, utrum quia nolit, aut quia non possit habere. Laudo tamen factam de necessitate virtutem: plus illam, quam eligit animi libertas, non inducit necessitas.

Greg. lib. 1 Dial. c. 23
Hier. ep. 14 ad Cel. post med. tom. 1
Ibid.
Idem ep. 8 ad Demetriad post med. to. 1
Ibid.
Ibid. ep. 14 ad Mansil. ultra med.
Bern. ep. 113 ad Sop. vir. ante med.

Caput XLVII.

De Militibus.

Gregorius in registro: Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ reipublicæ utilitatis causa exhibere, & quod sibi utiliter impetratum fuerit, obtemperare. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Inhonestum est apud Deum opus negotiationis, sive di-

Greg. in Reg. l. 12 ind. 7 c. 22
Chr. oper. imp. ho. 42 in cap. 22 Mat. cir. med. t. 2

Amb. in Luc. l. 2. c. 3 tom. 3

five dignitatis, five militiæ. Ambrosius super illud Luc. 3 Neminem concutiatis. Singulis generibus hominum tribuit sanctus Joannes Baptista responsum, scilicet publicanis, ne ultra quam præscriptum est eis, exigant: militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant. Docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Augustinus de verbis Domini. Nonnulli qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant graviter, hac solent a peccatis suis prima se voce excusare, quod militant: & ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur.

Aug. de Verb. Do. Ser. 19 in pr. tom. 10

Ibid. Idem: Non est delictum militare, sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rem publicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem augeas potius, videtur esse damnabile. Idem in epistola ad Bonifacium comitem: Hoc primum cogita, quando armaris ad pugnam: quia virtus tua, & fortitudo corporalis, donum Dei est. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere quidquam contra Deum.

Idem ep. ad Bonif. com. quæ est prima ex vig. positis in fi. 2 t. Aug.

Ibid. Idem: Esto etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas: Beati enim pacifici, ait dominus, quia filii Dei vocabuntur.

Ibid. Idem. Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Et sicut bellanti, & resistenti violentia redditur: ita victo, vel capto misericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.

Ibid. Idem: Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & frugalitas. Valde enim turpe est, ut militem, quem non vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui non vincitur ferro.

Ibid. Idem; Ex his quæ habes de militia, gratias age Deo tamquam fonti bonitatis, unde habes: atque in omnibus bonis actibus tuis illi da charitatem, tibi autem humilitatem.

CAPUT XLVIII.

De Negotiationibus.

Greg. hom. 24 in Ev.

GRegorius in homiliis: Sunt pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.

Ibid. Idem: Negotium autem, quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit.* Augustinus: Studium avaritiæ sive fraudis, proprium solet esse negotiantium facinus.

Ex Aug. enarr. 1 in Ps. 70 t. 8

Idem super illud Psalmi: Quoniam non cognovi litteraturam, &c. alia littera: negotiationes. Nam avidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretii rerum mentitur & pejerat.

Amb. l. 3 de Virg. post med. t. 4

Ambrosius de Virginitate ponit talem litteram Can. 3. Circuibo civitatem in foro & in plateis, & quæram quem dilexit anima mea. Nequaquam ibi quæramus Christum, ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforanus: Christus enim pax est, in foro lites: Christus justitia est, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus charitas est, in foro residet obtrectatio: Christus fides est, in foro fraus est, ac perfidia.

Idem. l. 3 off. c. 6 in prin. t. 4

Idem de Officiis: Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus Dei negotiationem cognovisse se negat: quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est.

Chr. oper. imp. ho. 34 post med. t. 2

Joannes Chrysostomus super Matthæum: Fuge forum, ut nec patiaris fraudem, nec facias.

Ibid. Idem: Prima laus est Christiani, alienum, esse a foro, nullam causam habere cum illo:

Ibid. hom. 38 ante med.

Idem: Homo mercator vix aut numquam potest placere Deo, & ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proiiciatur ab Ecclesia Dei, dicente Psalmo: *Ps. 70* Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere, & se commendare, sine maliloquio non potest esse: necesse est enim,

enim, ut & iste male loquatur de illo, & ille male loquatur de isto; sic qui emit & vendit, sine mendacio & perjurio esse non potest. Idem: Qui comparat rem: infra de fœneratoribus. Hieronymus: Negotiatorem clericum: supra de clericis.

A aut injuriatur, aut calumniam ingerit, aut usuras exigit, hic secundum diabolum est. * Seneca in epistola: Quid fœnus, & calendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? o miserum! si quem hæc delectant.

Caput XLIX.

De Fœneratoribus.

Greg. Reg. l. 8 ind. 3 cap. 40

Gregorius in registro: Nos amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Qui comparat rem, ut illam ipsam integram & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur. Unde super omnes mercatores plus maledictus usurarius. Idem: Si quis rem comparatam vendidit, mercator est, & maledictus: quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed a Deo datam sibi, dat ad usuram? Idem: Nihil usura turpius, nihil crudelius. Alienas enim hæc negotiatur miserias, & lucrum alterius adversitatem facit, & mercedem expetit misericordiæ, velut timens ne appareat misericors, & fictione misericordiæ profundiorem fodit foveam: in auxiliando conterens inopem, & in porrigendo manum expellens: & suscipiens quidem ut in portum, naufragio: & submittens hunc in vadis & in antris. Ambrosius in epistola: Non dabis pecuniam tuam ad usuram, quoniam scriptum est, quod is, qui non dedit pecuniam suam ad usuram, habitabit in tabernaculo Dei. Nam ille est supplantator, qui usurarum captat emolumentum. Itaque vir Christianus si habet, det pecuniam, quasi non excepturus, aut certe sortem, quam dedit, recepturus. Idem: Quid durius quam ut des pecuniam tuam, ut ipse duplum exigas? Qui simplum non habuit, quemadmodum duplum solvet? * In vitis patrum: Cui nocetur, aut injuriatur, & voluntarie parcit proximo, hic secundum naturam Christi est. Qui nec lædit, nec læditur, hic secundum naturam Adæ est. Qui vero nocet

Chr. oper. imp. ho. 38 ante med. tom. 2

Ibid.

Ibid. ho. 5 in Mat. post med.

Amb. ep. l. 1 ep. 24 non longe a pr. tom. 5

Ibid. paulo post. med.

Caput L.

De Dæmonibus.

Greg. l. 8 Mor. c. 13 circa fin.

Gregorius in Moralibus: Hostis malignus quo sanctos vigilantes minime superat, eo dormientes pravius impugnat. Quem tamen hoc maligne agere superna dispensatio benigne permittit, ne in electorum B cordibus ipse saltem somnus a probationis præmio vacet. Idem: Maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credendi. Idem: Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt: quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis admixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit: quia per carnale corpus, aliquid, quo semetipso minor esset, accepit. Idem: Angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Idem: Occultæ justitiæ licentia malignis spiritibus datus, ut quos volentes in peccati loqueo strangulant, in peccati pœnam etiam volentes trahant. Idem: Ita Deus super omnia C est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut præesset ceteris, & nulli subesset. Idem: Scimus quod immundi spiritus, qui e cœlo æthereo lapsi sunt, in hoc cœli terræque medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum ascendere ad cœlestia invident, quanto se a cœlestibus per elationis sui immunditiam projectos vident. Idem: Alius lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus adversarius facile capiat, vicinis conspersionibus deceptiones parat. Idem: Satanæ voluntas semper iniqua est, sed numquam potestas injusta: quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem. Idem in homiliis: In bonis op-

Ibid. l. 15 cap. 16

Ibid. li. 9 cap. 28

Ibid. li. 4 cap. 10

Ibid. li. 1 cap. 16

Ibid. l. 24 c. 17 non longe a pr.

Ibid. l. 2 c. 25 circ. fin.

Ibid. l. 29 cap. 12

Ibid. l. 2 cap. 6

Idem hom. 37 in Ev. cir. med.

operibus intenti, nisi contra malignos spiritus solicite vigilemus, ipsos irrisores patimur in pœnis, quos ad malum persuasores habemus. Idem in registro: Tanto hostis callidus contra nos deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto nos cœlesti patriæ ferventius inhiare cognoscit. Idem in dialogis: Malignus spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insistit: si fortasse quid inveniat, unde noster apud examen æterni judicis accusator existat. Idem in Pastoralibus: Diabolus modo aliorum facta graviora, modo nihil esse, quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur, modo adhuc tempus subsequens & sufficiens ad pœnitentiam pollicetur: ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur: quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala contristant. Augustinus de Civitate Dei: Credendum est, esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant: quia de cœli superioris sublimitate dejecti, merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere damnati sunt. Idem. Sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam dæmones non omnia quæ volunt, facere possunt; nisi quantum ordinatione finitur illius, cujus judicia plena nemo comprehendit, juste nemo reprehendit. Idem: Mali angeli sua potestate potius delectati, velut suum bonum ipsi sibi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt, & habentes elationis fastum pro excellentissima æternitate, vanitatis astutiam: pro certissima veritate, studia partium: pro individua charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt. Idem: Esse natura, in qua nullum bonum sit, non potest: proinde nec ipsius diaboli natura, in quantum natura est, malum quid est. Idem: Avertat Deus, lib. 2 de invidia. Leo in sermone: Diabolus omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. Joannes Chrysostomus in sermone: Zelatur Diabolus hominem, quia ipse de cœlo corruerat. Videbat enim Adam paradisi esse colonum, & inflatus invidia, induit serpentis imaginem. Incorporalis enim cum esset, corporalibus loqui non poterat. Idem: Diabolus non aliunde talis factus est, nisi quia primo quidem post peccatum desperatione usus est: postea vero ex desperatione in invidiam incidit & superbiam. Cyprianus in Epistola: Lata & spatiosa itinera vitæ lethalis: illic illecebræ & mortiferæ voluptates, illic Diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat, illicit, ut occidat. Ambrosius in sermonibus: Pater diabolus non diligit filios suos, sed odit. Sic amat diabolus filios suos, ut perdat, sicut amat gluto porcellum, ut comedat. Isidorus in Etymologiis: Præsciunt dæmones futura multa, unde & solent responsa aliqua dare. Inest enim illis cognitio rerum plus quam infirmitati humanæ, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimæ vitæ, partim per Dei jussum Angelica revelatione. Idem: Diabolus hebraice, dicitur deorsum fluens: quia qui quietus in cæli culmine stare contempsit, superbiæ pondere deorsum corruens cecidit. Græce vero Diabolus, criminator dicitur. Idem de Summo bono: Diabolus non est immissor, sed incensor potius malarum cogitationum & omnium vitiorum. Neque enim alibi concupiscentiæ fomenta incendit, nisi ubi prius pravæ cogitationis delectationes inspexerit. Idem: Tunc contra eum, quem possidet, diabolus acrius sævit, quando se divina virtute ab eo expellendum cognoscit. Bernardus in sermonibus: Lædit nos iniquitas diaboli atque versutia: sed multo amplius eum nostra simplicitas & misericordia torquet, humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostra, mansuetudine & obedientia cruciatur.

Idem reg. li. 7 ind. 2 c. 3. non longe a pr. — *Idem li. 3 Dial. c. 19.* — *Idem past. 2 par. c. 2. adm. 30* — *Aug. de civ. Dei, l. 9 c. 22 f. 5* — *Ibid. li. 2 c. 23 in fi.* — *Ibid. l. 12 c. 1 ante med.* — *Ibid. l. 19 c. 13 ante med.* — *Leo ser. 7 de nat. Do. cir. med.* — *Chr. ho. de cruce post med. t. 3* — *Cypri. de disciplina & habitu virg. c. 9. tom. 2* — *Amb. Ser. 44 de tem. tom. 5* — *Isid. Ety. li. 8 cap. 11* — *Ibid paulo post.* — *Idem de Sum. bo. l. 3 c. 5 sent. 5.* — *Ibid. sent. 71* — *Ber. ser. 3. de ded. Ec. ante med.*

CAPITA SECUNDI LIBRI PHARETRÆ.

PHARETRÆ LIBER SECUNDUS

IN QUO

DE PRINCIPALIUM VITIORUM ET VIRTUTUM MULTIPLICITATE TRACTATUR.

CAPUT I.

De Tentatione.

Greg. l. 9 Mor. c. 25 in fin. GRegorius in Moralibus: Nisi misericors Deus cum viribus tentamenta modificet: nullus profecto est, qui malignorum spirituum insidias, non corruens, portet. *Ibid. l. 21 Mor. c. 4* Idem. Sancta Ecclesia transire sine labore tentationis non potest tempora peregrinationis, quæ etsi foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. Idem: Plerumque qui plus, supra libro 1. de proficientibus. *Aug. li. 4 cont. Jul. c. 1 longe post med. tom. 7* Augustinus contra Julianum: Quia in ista humana miseria pejor hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne sanctorum continentium ista carnalis concupiscentia: ut dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur: ne securus de meritis per superbiam infletur. *Ibid.* Idem: In nobismetipsis sola infirmitas est causa pugnandi: & rursus infirmitas est admonitio non superbiendi. Proinde ut virtus, qua hic superbiri potest, non superbiatur, eadem virtus in infirmitate tentationis perficitur. *Isid. de sum. bo. l. 3 c. 5 sent. 12* Isidorus de Summo bono: Diabolus, serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni non resistitur, illabitur. *Amb. in Luc. l. 4 c. 4 tom. 3* Ambrosius super Lucam: Tentationem numquam timere debemus: est enim causa victoriæ materia triumphorum. *Ibid.* Idem: Dives ille, qui tentationem non sensit in hoc sæculo, raptus est ad inferos, & sepultus in inferno. * Joannes Chrysostomus super Matthæum: In primis gravis, & insuperabilis est impetus Diaboli, quod si quis forti animo sustinuerit eum, statim inveniet A infirmiorem. Quanto enim plus repercussus fuerit, tanto magis torpescit & deficit. * Idem: Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis: in nullo enim negotio potest requies inveniri, nisi præcesserit labor, quanto magis in spiritualibus rebus, nisi præcesserit tentatio, non potest esse probatio? Bernardus super Cantica: Impulsus eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me. *Bern. sup. cant. ser. 85 ante med.* Quæris, quis ille sit impulsor? non est unus. Impulsor diabolus, B impulsor mundus, impulsor homo. Quis ille homo sit, quæris? quisque sui. *Ibid. ser. 64 in prin.* Idem: Necesse est, ut veniant tentationes: quis enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit? aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet? Tu vero accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Certi namque sint omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem se passuros. *Idem ser. 6 in quad. statim a prin.* Idem in sermonibus: Oramus quotidie ut C Dei voluntas sicut in cœlestibus facta est creaturis, sic fiat & in terrenis, ut sicut Angelus, sic & homo adhærens Deo, unus spiritus cum eo fiat. Sed heu me, quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta? *Ibid. circ. med.* Obiicit enim se se media mmalitia nostra, infirmitas nostra, concupiscentia nostra, & ignorantia nostra. Idem: Heu me Domine Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta. Quocumque vertam ne, nulla usquam securitas est, & quæ mulcent, & quæ molestant, timeo, & esuris, & refectio, & somnus, & vigiliæ, & labor, & requies militant contra me.

CA-

Caput II.

De Cogitatione.

Greg. in Ezech. ho. 21 post med. Gregorius super Ezechielem: Sic sæpe cogitationi bonæ cogitatio sinistra adjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat, animus agnoscat. Idem in Moralibus: Tanto longius mens a necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. Idem: Sancti viri quantum agere possunt, ne exterius labantur in opere tantum interius nequaquam agere possunt, ne unquam labantur in cogitatione. Idem: Ante oculos Dei vacuæ non transvolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis per animum transeunt præter retributionis actum. Idem in registro: Illud ab omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Idem in pastorali: Nihil in nobis est corde fugacius quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Isidorus de Summo bono: Ferre cogitationes sine perfectione vitiorum non est ad damnationem, nec est occasio subeundi discriminis, sed potius augendæ virtutis. Idem: Non est peccatum quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: sed tunc est peccatum, si antequam illudamur, cogitationis affectibus prævenimur. Idem: Cogitatio prava delectationem. Infra libro 3. c. de consuetudine. Bernardus de consideratione: In acquisitione salutis nemo tibi germanior unico matris tuæ: contra salutem propriam cogites nihil, minus dixi, quam dixisse debueram: quidquid se cogitationi offerat, quod non quoquomodo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum est.

(Marginal references: Idem lib. 2 Mor. c. 26 cir. med. — Ibid. li. 11 c. 19 — Ibid. l. 20 cap. 13 — Idem reg. lib. 11 ind. 7 inic reg. Aug. c. 0 — Idem. past. in. 3 p. c. 2 admon. 15 — Isid. de sum. bo. l. 3 c. 6 sent. 13 — Bern. de consi. l. 2 ante med.)

Caput III.

De Delectatione.

Greg. l. 18 Mor. c. 8 in prin. Gregorius in Moralibus; Esse sine delectatione anima numquam potest. Nam aut in infimis delectatur, aut in summis: & quanto majori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad ima: quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul & æqualiter amari non possunt. Qui ergo terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Idem: Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatione peccati jacet. Idem: Unusquisque superbus rector. Supra lib. 1. de Prælatis malis. Idem: Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Idem: Cum culpa animum tentat, necesse est ut brevitatem suæ delectationis aspiciat, ne ad æternam mortem iniquitas rapiat, cum constet, quod ad terminum citius mortalis vita percurrat. Idem: Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus delectatione dum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentione intimi vigoris quantocius dissipatur. Idem: Quisquis in hoc mundo appetit prosperari, ceteros excedere, rebus & honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, quies in labore. Isidorus de Summo bono: Cogitationes illicitas ingerere, dæmonum est: cogitationibus oblectari perversis, nostrum est. Augustinus de verbis Apost. Quidquid peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus est, non oritur nisi ex mala cupiditate, non imputatur nisi ex illicita delectatione. Huic igitur illicitæ delectationi si resistamus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore. Idem: Mortua est una delectatio, sed vivit altera, & illi dum non consentis, eam mortificas, cum cœperit omnino non delectari, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra.

(Marginal letters: B, C. Marginal references: Ibid. l. 16 c. 15 cir. med. — Ibid. li. 21 cap. 3 — Ibid. l. 9 cap. 36 — Ibid. l. 8 c. 19 ante med. — Ibid. l. 18 cap ult. — Isid. de sum. bo. 4. 2 c. 25 sent. 5 — Aug. de verb. Apo. ser. 6 in prin. c. 10 — Ibid. ser. 13 paulo post. med.)

Caput IV.

De Consensus.

Greg. li. 4 Mor. c. 24 Gregorius in Moralibus; Concupiscentiæ carnalis ostia dum consensus noster aperit, ad innume-

ra nos corruptionis mala pertrahit. A feris, nil nocebit. Audi consolationem, consensum cohibe, ne prævaleat appetitus concupiscentiæ, & immaculatus eris. Idem; Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare, vel negare consensum. Idem: Nemo, fratres. Infra lib. 4. de correptione bona.

Ibid. l. 10 c. 4 circ. med. Idem: Proximorum mala, quæ quis corrigere non valet, taceat, quæ cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat: etsi ea, quæ tacet, tolerat: non tamen in animo virus doloris occultet: *Ibid. lib. 21 cap. 3* Idem. Sciendum est aliud esse, quod animus de tentatione carnis patitur, aliud vero dum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur, sed renititur: plerumque autem cum perversum quid concipit, hoc intra semetipsum per consensus desiderium voluit. *Ibid. hom. 30 in Ev. non mult. a prin.* Idem in homiliis: Ille vere Deum amat, cujus videlicet mentem delectatio prava ex consensu non superat. Nam tanto quisque a superno B amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Augustinus de mendacio. *Aug. de mend. ad Consf. c. 19 tom. 4* Tunc consentimus cum approbamus, & volumus. Idem: Pudicitiam corporis, non consentiente aut non per- *Ibid. paulo ante.* mittente anima, nemo violat. Quidquid enim nobis invitis contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est. Idem in Epistola: Bene agere, & *Idem Ep. 182 tom. 2 idem de Gen. cont. Man. li. 2 c. 14 tom. 1* illicita non prohibere consensus erroris est. Idem super Genesim contra Manichæos: Si ratio humana consentiat, ut quod libido commonuerit, faciendum esse decernat, ab omni vita bona tamquam de paradiso expellitur homo, & jam ei peccatum imputatur, etiam si non sequatur factum, quoniam rea tenetur C in consensione conscientia. Bernar- *Bern. lib. med. c. 14 post med.* nard. in meditationibus: Dæmonum est malas suggestiones ingerere, nostrum est illis con consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus. Angelos lætificamus, Deum honoramus. * Idem in sermone: Si carnalibus distrahor desideriis, & illis, quod absit, consensero quantum possum, etiam si non sequatur factum, in morte quidem sum mortuus, utique & consequenter sepeliendus in inferno. * Idem: Nulla est his qui sunt in Christo Jesu damnatio, si concupiscentiæ sensus sit ab- *Ibid. ser. de sex stibul. post med.* sque consensu. Idem: Peccatum in foribus est, nisi tuipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed subter te est, nisi tu sponte ces-

Caput V.

De peccato.

Gregorius super Ezechielem: *Greg. in Ezech. h. 6 9 post med.* Quoties actu, quoties verbo, quoties cogitatione delinquimus, Deum contra nos toties irritamus. Idem: *Ibid. hom. 12 post med.* Districta sunt omnipotentis Dei judicia, & qui peccatorem diu expectat ut redeat, non redeuntem atque contemnentem, gravius damnat. Idem: Peccatum quippe quod per *Ibid.* pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum simul & causa & pœna peccati. Idem: Graviores culpæ sunt, *Ibid. ho. 5 longe ante med.* quæ superducta specie virtutis, virtutes se mentiuntur esse. Idem in Moralibus: Peccatum quod pœni- *Ibid. lib. 25 Mor. c. 9 non mult. a prin.* tentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Idem: Tribus modis peccatum committitur, sci- *Ibid. li. 25 c. 11 in pr.* licet ignorantia, infirmitate, & studio. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. Idem: In gravibus peccatis *Idem in 3 præf. lib. Mor. c. 3* quis positus cum suis premitur, aliena non diluit. Idem in pastorali: *Idem past. cu. 3 par. c. 2 admon. 34* Nonnumquam in parva deterius, quam in majore culpa peccatur. Major enim, quo citius, quia si culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor vero dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo & securius in usu retinetur. Idem in registro: *Idem reg. lib. 5 ind. 14 c. 107* Apud homines culpa, & apud Deum pœna est, nolle quemquam bonum imitari, quod placet.. Idem Plerum- *Ibid. lib. 8 ind. 3 c. 5 in prin.* que quod in laicis culpa est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis. Idem: Nonnumquam Dominus. Infra libro 4 de certamine. Augusti- *Aug. conf. c. 5 c. 6 t. 1* nus de confessione: Ibam ad inferos, por-

portans omnia mala, quæ commiseram, & in te, & in me, & in alios multos, & gravia super originalis peccati vinculum. Idem de civitate Dei: Paucissimi sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant. Idem: Quæ sunt ista peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam. Difficilimum est invenire, periculosissimum est diffinire. Idem: Nunc usque adeo. Infra lib. 4. de voluntate mala. Idem de spiritu & littera: Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Idem: contra Julianum: Diluuntur in baptismate cuncta peccata, & originaliter tracta, & ignoranter, vel scienter adjecta. Idem: Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti. Idem ad Orosium: Malum natura non est, sed privatio boni hoc nomen accepit. Idem de baptismo parvulorum: Sicut eorum, per quos renascuntur parvuli justitiæ spiritus responsione sua traiicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt, sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati traiicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. * Idem in meditationibus. Certe o miser homo ipsa sola plus est vitanda peccati fœditas, quam quælibet tormentorum immanitas. Idem in Epistola: Quem non potest Diabolus devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest, opprobriis & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in ejus fauces ruat. Si autem famam innocentis maculare potuerit, hoc ei persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo judicet, & sic ab illo implicatus absorbeatur. Idem de virginitate: Quia satagentibus, vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla, eadem ipsa magna fiunt, & gravia, si eis superbia incrementum & pondus adjecerit. Idem de patientia: Tanto rectius majori supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiis subdit instrumenta virtutum. Idem de pœnitentia: Nullum peccatum adeo parvum, quod non crescat neglectum. Non enim considerandum est, quid fecerit, sed quem offenderit, quam bonus est, quam benignus, quam pius. Idem: Qui peccat, & gratiam suam recuperare non amat, & numquam curat ab eo diligi, qui totus est amor & charitas, nec ad illud tendit, unde sumpsit arrham, in Spiritum sanctum peccat, & numquam post mortem, sicut nec vivens, consequetur veniam. Idem super canonicam Joannis: Ista, quæ dicimus peccata levia, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis, expavesce, quando numeras, multa levia faciunt unum grande. Ad idem de decem chordis, & super Joannem. Gregorius in pastorali. Isidorus de Summo bono: Idem August. Ex quo incipit homo. Supra de homine. Idem: Voluntas aversa. Infra lib. 3. de voluntate. Ambrosius de officiis: Qui non repellit a socio suo injuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Idem in Apologia: Peccatum donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. * Joannes Chrysostomus super Joannem: Excogitate quantum est malum, nos ex hominibus pares Angelis, ad feras transponere. Ventri enim servire, & pecuniarum concupiscentia detineri, & irasci, & mordere, & calcitrare, non hominum, sed ferarum est. Isidorus de Summo bono: Si unum vitium districte iudicetur, & aliena negligantur, inanis est labor. Idem: iudicio divino in reatum nequiorem labuntur, qui distringere minora sua facta contemnunt. Idem: Maioris est culpæ manifeste, quam occulte peccare: dupliciter enim reus est qui aperte delinquit, quia & agit malum, & docet malum facere. Unde Isaias: Peccatum suum quasi Sodoma

Idem de civ. Dei l. 21 c. 16 t. 5
Ibid. c. 27 post med.
Idem de sp. & lit. c. 28 tom. 3
Idem lib. 6 cont. Jul. Pelag. c. 45 post med. tom. 7
Ibid. l. 4 c. 3 ante med.
Idem in quæst. 65 ad Oros. q. 26 tom. 4
Idem de bap. par. li. 3 c. 2 t. 7
Idem Ep. 136 cir. me. tom. 2
Idem de Virg. sancta c. 50 t. 6
Idem de patien. c. 5 tom. 4
Idem de pæn. c. 7 t. eod.
Ibid.
Idem in 1 Jo. Ep. tr. 1 ante med. tom. 9
Amb. offic. lib. 1 cap. 36 in prin. tom. 4
Idem in Apol. Dav. 1 c. 6 to. 1
Isid. de Sum. bo. l. 2 cap. 32 sent. 5
Ibid. c. 18 sent. 1
Ibid. c. 10 sent. 1

Bern. ser. 1 in conv. S. Pau. post med. ma prædicaverunt. Bernardus in sermonibus; Cavere ne quis parva reputet, quantumlibet parva scienter commissa, nemo, dicat in corde suo, lævia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis: Hæc est impœnitentia, dilectissimi: hæc Blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia autem irremissibilis est.* Anselmus de similitudinibus: Natura peccati est, ut non facile videatur ab illo, qui eo præmitur, sed mox ut cessaverit, & ab illo se alienaverit, tunc demum considerat in quanta fœditate & miseria jacuerat. Idem: Si hinc peccati pudorem, lib. 4 de innocentia.

Caput VI.

De Superbia.

Greg. li. 32 Mor. c. 17 post med. Gregorius in Moralibus: Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice producuntur, sc. inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Ibid. l. 33 cap. 11 Idem: Scimus, quod aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare, sed tamen minus: superbia turpis creditur, minus peccatum a simplicibus judicatur, luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes eam turpem esse noverunt. Idem: Quisquis superbiæ: Infra libro 3. de dijudicatione. Ibid. l. 34 cap. 18 cir. med. Idem. Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna, ad ea quæ facere & debet, & prævalet, ignava, ad ea vero, quæ facere non debet, nec prævalet, parata. Ibid. l. 16 c. 17 circa fi. Idem: Hoc proprium arrogantium esse vitium solet, ut & pauca credant, quæ ipsi multa dixerunt: & multa credant, quæ ipsis pauca dicuntur. Qui enim

A sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt. Idem: Tolerabilius Deo est, ut in infirmitate atque ignorantia cum humilitate quisquis jaceat, quam cum elatione cordis alta comprehendat. Ibid. l. 17 c. 7 cir. fi. Idem: Adjuvare imbecillem charitatis est: adjuvare vero velle potentem, elationis est. Ibid. c. 11 in prin. Idem: Per elationem plerumque & usque ad senium servata virginitas vitiatur: quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex despicit, etiam integritatem corporis. Ibid. l. 36 cap. 13 cir. med. Idem: Difficile in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. Ibid. li. 24 cap. 23 Idem: Arrogantes sicut inflantur laudibus, ita correp- Ibid. li. 16 cap. 1
B tionibus inflammantur, & a quolibet se, vel justo reprehendi despiciunt, moxque in malis suis fomitem defensionis exquirunt. Idem: Omnino difficile est, ut elatio, quæ regnat in corde, non erumpat in voce. Ibid. Idem: Arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringant. Ibid. c. 18 Tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se potuerint multiplicitatem loquacitatis aperire.* Hieronymus in Epistola. Initium omnis peccati superbia est, quæ natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat, sub cinere & cilicio latitans. Idem: Nihil ita a pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum, & erectam cer- Hier. Ep. 32 ad Ab. tom. 1.
C vicem Dei contra se odia provocantem. Novi enim magistrum, & Dominum meum in carnis humilitate dixisse: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Augustinus in regula: Alia, quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant, superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Aug. reg. 3 c. 5 c. 2 Idem de Virginitate: Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est valde periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Idem de Virg. c. 31 tom. 6 Idem: Quia satagentibus. Supra in capite de peccato. Ibid. Ep. 110 ad Hor. de grat. nov. test. c. 17 in fi. tom. 2 Idem de gratia novi Testamenti: Superbia odit consortium, & quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus. Idem de civita- Idem de civ. Dei, li. 10 cap. 29 post med. tom. 5

te

te Dei : An forte corrigi pudet ? & hoc vitium non nisi superborum est. Idem : Superbia perverse imitatur Deum : odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Idem : Facilius servitur homini, quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipsa dominandi hominibus aliis. Idem : Audeo dicere. Infra libro 3 de recidivatione. Idem in Epistola : Fit miris modis in anima hominis, ut de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbiret. Idem de confessione : Humiliasti tamquam vulneratum superbum, & tumore meo separabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Idem: Plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet : plus autem superbos tenet, nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Joannes Chrysostomus super Joannem : Superbia in vobis existente, omnis nostra vita immunda fit, etsi sobrietatem, etsi virginitatem, etsi jejunium, etsi orationes, etsi eleemosynam, etsi quodcumque aliud perficiamus. Isidorus de Summo bono : Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum : ipsa enim est in peccato prima, in conflictu postrema. Idem : Omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita, contemptui habet divina præcepta. Bernardus de duodecim gradibus : Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Idem. Arrogans, de alia omni re plus sibi credit, quam aliis, de seipso plus aliis credit, quam sibi. Idem : Monachus præsumptuosus primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecit, aut ordinavit : nec recte factum, nec pulchre æstimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si cum tempus advenerit non promoveatur ad prioratum, abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. Idem super Cantica : Argumentum superbiæ privatio gratiæ est : humilibus enim dat Deus gratiam, superbis resistit. Idem : Perniciosa paupertas, penuria meritorum : præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ, & ideo divitias, & paupertatem ne dederis mihi Domine.

Ibid. lib. 19 cap. 12 post med. — *Ibid. c. 15 post med.* — *Idem ep. 61 ad Paulin. post med. tom. 2* — *Idem conf. lib. 27 ca. 7 in fin. to. 1* — *Ibid. lib. 8 cap. 4* — *Chrys. in Joan. ho. 8 cir. n. fi. tom. 3* — *Isid. de Sum. bo. lib. 2 c. 38 sen. 7* — *Ibid. sent. 2* — *Ber. de 12 grad. gradu. 9* — *Ibidem gradu. 6* — *Ibidem gradu. 7* — *Idem su. Cant. ser. 54 prope fi.* — *Ibid. ser. 68 cir. fin.*

CAPUT VII.

De vana gloria.

GRegorius in Moralibus : Inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumptiones oriuntur de inani gloria. Idem : Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant, aut si datum desuper credant, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum jactantia se habere, quod non habent, aut despectis ceteris singulariter videri appetunt habere, quod habent. Idem : Sæpe bono operi : Supra capite de delectatione. Idem. Qui accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Idem : In cogitatione tumidi proprii favores oriuntur, sibique de singularitate sapientiæ blanditur ipsa fatuitas. Pensat ea, quæ audierit, ac verba, quæ profert : & miratur sua, & deridet aliena. Item : Cuncti vanæ gloriæ infra infra libro 3 de dijudicatione. Idem : Sicut labor justorum est videre prava nec corrigere, ita gravis est labor arrogantium, si quod sapiunt, non ostendunt. Idem : Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ : qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio, gradientium vita trucidetur. * Idem : Agitur, ut ante justi judicis oculos, fovea mentis fit memoria virtutis, quia reminiscendo quod gessit, dum se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit. Isidorus : Maxime per cenodoxiam. Supra de monachis malis. Idem : Qui ex deteriore : Supra de incipientibus. * Joannes Chrysostomus super Joannem :

Greg. li. 31 Mor. ca. 17 post med. — *Ibid. li. 23 cap. 4 paululum a pr.* — *Ibid. lib. 9 cap. 2 in princ.* — *Ibid. li. 10 cap. 14 in princ.* — *Ibid. li. 23 cap. 5 circa fin.* — *Ibid. lib. 8 cap. 13*

nem : Gloriam vanam cupere, ingloriatio est, gloria autem vera est hanc despicere, & nullam ejus curam facere, sed ad id quod Deo placet, omnia & dicere & facere. Idem: Qui omnium contemptum pecuniarum habuerunt, & nulli hujusmodi imaginationi se immiscuerunt, & magis tyrannicas corporum concupiscentias domuerunt, hi multoties capti a vana gloria omnia perdiderunt. Idem: Si laudes amamus, eas quæ a Deo sunt diligentius quæramus. Nam, quæ quidem ab hominibus est laus, qualiscumque fuerit, simul ut apparuit, periit. Augustinus de confessione: Domine gloria nostra tu es, propter te amemur, & verbum tuum, & nomen tuum timeatur a nobis. Qui enim laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, non eripietur damnante te. Ambrosius de officiis: Fortitudo gloriæ caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem nocuit usurpata. Bernardus in Epistola: O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt & gloriam.

Chrys. in Joan. ho. 28 post med. to. 3.
Ibid. ho. 37 vers. fin.
Aug. conf. lib. 10 c. 36 tom. 1.
Amb. offic. l. cap. 39. tom. 4.
Bern. Ep. 126 ad Episcop. Aquitani. post med.

CAPUT VIII.

De Invidia.

Gregorius in Moralibus. De invidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis nascitur. Idem: Qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsos afficiunt invidiæ tormento. Idem: Invidia iram generat; quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Idem: Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris, & invidiæ excitantur, & bona nascentia, quæ nolunt imitari, gravius persequuntur. Idem: Invidi dum bonum; Infra libro 3. de stultiloquio in accusatione. Idem in Dialogis: Antiquus hostis unde bonos cernit per charitatem provehi ad gloriam, inde perversos per invidiam rapit ad pœnam. Idem in homiliis: Quidquid in mundo concupiscimus, hoc proculdubio proximis invidemus. Videtur etenim quia nobis desit, quod alius assequitur. * Joannes Chrysostomus in sermonibus; O zelus, o invidia omni malitia cumulata! Invidia ignis inextinguibilis est, etenim sicut tinea comedit vestimentum, sic & invidia eum qui zelatur, consumit, eum autem cui invidet, clariorem reddit. * Idem super Joannem: Invidiæ passio, & fornicatione, & adulterio multum est deterior. Idem: Invidi oculus liquatur tristitia, invidus cum morte vivit continua. Augustinus de disciplina Christiana: Avertat Deus invidiæ pestem ab animis omnium, nedum Christianorum. Vitium enim Diabolicum est invidia, quo solo Diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Non enim enim dicitur Diabolo, ut damnetur, quia adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed qui homini stanti, tu lapsus continuo invidisti. Idem de Virginitate: Superbiam sequitur invidia, tamquam filia & pedissequa. Eam quippe superbia continuo parit, nec umquam est superbia sine tali prole atque comite. Hieronymus in Epistola: O invidia primum mordax tui, o satanæ calliditas semper sancta persequens! Isidorus in synonymis: Invidia cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidia, animæ tinea sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. Anselmus de similitudinibus: Quia bonis alterius arridet, sanctis consentit: qui vero invidet, Diabolis similis est. Si quidem magis puto esse salvationem sperandam ejus, qui parum boni facit, & factis aliorum favet, quam illius, qui multa, & invidet aliis. * Seneca in proverbiis: Nondum felix es, si nondum turba te deridet. Nam etsi nullos tibi inimicos facit injuria, multos facit invidia. * Glossa super Psalmum 123. Ira & invidia judicio carent.

Greg. li. 31 mor. ca. 17 post med.
Ibid. lib. 2 cap. 20. circa med.
Ibid. li. 31 cap. 17 post med.
Ibid. li. 28 cap. 7 circa fin.
Idem lib. 3 Dial. c. 15 ante med.
Idem ho. 5 in Evan. post med.
Chrys. in Joan ho. 54 ver. fin. tom. 3
Aug. de Disc. Chri. ca. 1 circa med. to. 9
Idem de Virg. san. c. 31 to. 6
Hier. Ep. 99 ad Ans. circa med. tom. 2
Isid. in syn. cap. 9 in prin.
Ansel. de simil. c. 45

CA-

Caput IX.

De Ira.

Greg. li. 31 Mor. c. 17 post med. GRegorius in Moralibus; De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. Idem: Plerumque mentem sub obtentu justitiæ, ira immanitas vastat, & dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet ira furoris. Idem: Qui humanorum actuum subtili examine gressus enumerat, iram sine voce, judicio: iram in voce, concilio: iram vero in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipat. Idem: Plus semper ira in vindicta exigit, quam de injuria accepit. Idem in Dialogis: Tanto metuenda est ira justorum, quanto & constat, quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem, quam voluerit, invalidus non est. Idem in registro: Ira etiam cum delinquentium culpas insequitur, non debet menti nostræ quasi domina præire, sed post rationis tergum quasi ancilla rationis subnixius famulari. Idem: Nemo potest diligere illum, quem ex ira, vel odio non vult videre. Idem: Ira si semel mentem possidere cœperit, justum esse deputat etiam illud, quod crudeliter facit. Idem in pastorali: Illa quæ mater est omnium custosque virtutum, per iræ, vel impatientiæ vitium virtus charitatis enervatur. Hieronymus in originali super Michæam: Propemodum naturale est, ut & nurus socrum, & socrus oderit nurum. Augustinus in Epistola: Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. Idem: Multo melius nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo, in alicujus odium iræ occulta facilitate dilabimur. Idem in sermone Domini in monte: Si irasci non est fas fratri suo sine causa, aut dicere racha, aut dicere fatue: multo minus fas est animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. Idem: Odium est ira inveterata. Idem de civitate Dei: Iram nihil

Ibid. li. 26 cap. 28 ante med.

Ibid. li. 22 cap. 4 circa med.

Ibid. li. 28 cap. 9 circa med.

Idem lib. 3 Dial. ca. 9 circa med.

Idem regist. li. 7 indi. 2 cap. 126 post med.

Ibid. ind. 1 cap. 23

Ibid. lib. 7 indict. 2 cap. 126 post med.

Idem past. cu. p. 3 c. 2 admonit. 10 non longe a prin.

Hier. in Mich. lib. 2 c. 7 to. 5

Aug. Ep. 87 in fin. tom. 2

Ibid. Ep. 149 ad Prof. circa med.

Idem de Ser. Dom. in Mon. lib. 1 ca. 21 tom. 4

Ibid. lib. 2 cap. 30

Idem de

A aliud esse, quam ulciscendi libidinem, veteres diffinierunt. Idem in regula: Melior est, qui quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam, qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem numquam petit veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proiiciatur. Glossa: Si non dimiserimus ex corde, quod in nos delinquitur, etiam hoc quod per pœnitentiam dimissum erat, a nobis exigitur. Cassiodorus in Psalmos: Venialis ira est, quæ non ducitur ad effectum. * Joannes Chrysostomus super Joan-

B nem: Qui irascitur sine ratione, multis suppliciis dignus erit, voluntarie seipsum in barathra perditionis ferens, & ante futuram gehennam, hic jam vindictam solvens. Idem de compunctione cordis: Non iracundos tantum & illatæ malitiæ memores punit Deus tamquam reos, sed & eos, qui & irascentes aut offensos fratres placare negligunt, & contemnunt. Idem: Osculum pacis porrigere tempore, quo sacramenta offeruntur, in usu Ecclesiæ est. Sed vereor ne plures ex nobis, labiis tantummodo pacem faciant, cum tamen Christus non ex ore, sed ex corde desideret, & affectu velit proximum non labiis salutari. Idem:

C Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, avertas autem te ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & iræ dolor augessit in corde. † Ambrosius de Officiis; Si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis, malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Idem: Is qui cito injuria illata movetur; facit se dignum judicari contumelia, dum vult ea indignus haberi. Bernardus in Epistola; Non irasci, ubi irascendum sit, nolle emendare, peccatum est; prius vero irasci, quam irascendum sit; peccatum peccato addere est.

civ. Dei li. 14 c. 14 tom. 1

Idem reg. 3 c. 38 to. 1

Gl. Matt. 18.

Cassiod. in Psal. 4 ante med.

Chrys. de compunct. cord. lib. 1 ante med. tom. 5

Ibid. paulo post.

Ibid. post multa.

† Amb. li. 1 offic. c. 5 in fin.

Ibid. li. 1 cap. 6

Bern. Epi. 69 ad Gul. abb. in princ.

CA-

Caput X.

De Accidia.

Greg. li. 13 Mor. ca. 17 post med. GRegorius in Moralibus: De tristitia, vel accidia nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita. *Ibid. li. 26 cap. 28 post med.* Idem: Humana anima quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infra Deum appetit, minus est, ideo ei jure non sufficit, omne quod Deus non est. Hinc est, quod huc illucque spargitur, & ab unaquaque re fastidio impellente removetur. *Idem past. cu. p. 3 c. 2 admonit. 16* Idem in pastorali; Plerumque piger, dum necessaria agere negligit quædam sibi difficilia opponit, quædam vero incaute formidat, & dum quasi invenit, quod velut juste metuat, ostendit, quod in otio quasi non juste torpescat. *Ibi. admo. 35 post med.* Idem: Si quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur: hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tenetur. *Ibidem.* Idem: Qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit: qui vero post conversionem tepuit, etiam spem, quæ potuit esse de peccatorum conversione, subtraxit. *Aug. conf. lib. 7 ca. 26 tom. 1* Augustinus de confessione; Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis; & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris amabilis est, & justitia tua Domine displicet tristibus & iniquis. Idem, Nullo modo decet, &c. infra lib. 4 de exercitio. *Chrys. de comp. cord. lib. 1 post med. to. 5* Joannes Chrys. de compunctione cordis; Non video, quod aliquis nostrum vera & perfecta cupidine cœlestium teneatur, alioquin omnia, quæ videntur esse gravia, umbras putaret & risum. *† Amb. in Luc. lib. 4 cap. 4* † Ambrosius super Lucam; Disce rogare, quod cupis impetrare, fastidiosos viros cælestium profectus munerum non sequunrur. * Idem in Epistola; Sicut Dominus non vult mortem peccatoris tantum, sed ut revertatur, & vivat; ita tepidos odio, & cito ei nauseam faciunt. *Isid. de sum. bo. lib. 2 ca. 10 sent. 2* Isidorus de Summo bono; Tepidus in conversatione, otiosa verba & vanas cogitationes, noxias esse non conspicit; quod si a torpore mentis evigilaverit, ea,

A quæ prius levia æstimabat, confestim quasi horrenda atque atrocia pertimescit. *Ibid. lib. 3 c. 20 sent. 5* Idem: Dei servum sine intermissione legere, orare, & operari oportet; ne forte mentem otio deditam, spiritus fornicationis surripiat. Cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem cito præoccupat. *Ber. Epist. de vita sol. ad frat. de monte Dei ante med.* Bernardus in Epistola; Pro vitando otio, otiosa sectari rediculum est. Otium autem est, quod vel nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. *Idem Epi. 2 ad Fulc. post med.* Idem: Miror quod ad gustum cibi dulcissimi nauseas, si tamen gustasti quam dulcis est Dominus; aut certe nondum gustasti, & nescis quid, aut quomodo sapit Christus, ideoque non appetis incognitum & B inexpertum: aut si forte gustasti, & dulce non sapit, sanum non habes palatum. *Idem ser. 7 in cant. ante med.* Idem super Cantica: Doleo aliquos nostrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli cives revereri, sed in præsentia principum tamquam mortuos apparere: cum tamen ipsi nostra alacritate permoti nostris interesse solemniis delectentur. Vereor ne nostram desidiam aliquando abominantes, cum indignatione recedant. *Ibid. ser. 21 ante med.* Idem: Cum te tepore, accidia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, atque desistere a studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans. *Idem ser. 3 in ann. Dom. circa fin.* Idem in sermonibus: Tepescimus processu temporis a fervore C conversionis nostræ: paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut heu consummemur in carne, qui spiritu cœperamus. *† Idem ser. 5 in conf. om. Sanct. cir. med.* † Idem: Quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, immo quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis & ferventissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis a duritia cordis nostri, væ nobis a peccato gentium, quas Apostolus sine affectione commemorat esse. *Sen. Epist. 82 statim a prin.* Seneca in Epistola: Cito inerti otio vita torpebit: si relinquendum est quidquid offendit. *Idem Ep. 82 statim a princ.* Idem: Otium sine litteris mors est, & vivi hominis sepultura.

CA-

Caput XI.

De Avaritia.

Greg. li. 31 Mor. cap. 27 post med.

GRegorius in Moralibus: De avaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. Idem: Avaritia desideratis rebus, habitis non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna, quæ consumat, acceperit, magis excrescit. Ambrosius in sermonibus. Quosdam gradus cupiditas habet, quo plures ascendit, eo ad altiora festinat, unde fit gravior ruina lapsuro. Idem in Epistola: Ibi abundantia, ubi satietas: ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ibi utique paupertas. Augustinus in sermonibus: Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed & ille avarus est, qui cupide servat sua. Idem de verbis Domini: Inexplebilis est sola avaritia divitum: semper enim rapit, & numquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupillorum res invadit, liberos in servitium redigit, testimonium falsum profert; res mortui hominis occupantur, quasi non & ipsi, qui hoc faciunt moriantur. Idem de libero arbitrio; Dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam, hoc est, plus velle, quam satis est. Tantum autem satis est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. Idem de decem chordis; Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cœlum; An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem; Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Isidorus in Etymologiis; Avidus dictus est ab avendo, avere enim cupere est, hinc & avarus. Nam quid est avarum esse, nisi progredi ultra quam sufficit? Avarus enim dictus est, eo quod sit avidus auri, & numquam opibus expleatur. Idem de Summo bono; Qui bona mundi diligit, velit, nolit, timoris & doloris pœnæ succumbit. * Joannes Chrysostomus super Joannem; Quemadmodum in fontem mundum stercus quis immitens, totum eum immundum facit; ita & in divitias justas avaritia intrans, omnia spirare facit ab eo, qui illic est, avaritiæ fœtore. Idem; Non amabit proximum, qui aurum amat. Bernardus de contemptu mundi; Nunc trahit sua quemque voluptas, odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa damnatio est. Idem: Utinam saperes miser, & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari. Utinam novissima providens, animadverteres, non facile per foramen acus transituros divitiarum cumulos. Seneca in Epistola; Vidisti aliquando canem, missa a Domino frusta panis ac carnis, aperto ore captantem, quidquid accipit protinus integrum devorat, & semper ad spem venturi hiat. Idem; Evenit nobis quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti. Idem: Quisquis de accipiendo, &c. Infra libro tertio de ingratitudine.

Ibid. li. 15 cap. 12 circa med.
Amb. li. de Nabute. cap. 2 ante med. to. 1
Idem Epi. lib. 4 Ep. 27 ad Sim. circa fin. tom. 5
Aug ser. 195 de tempore circa med. tom. 10
Idem de verb. Do. ser. 25 ante med. tom. eod.
Idem de li. arb. li. 3 ca. 17 to. 1
Idem de 10 chord. c. 12 tom. 9
Isidorus Etym. li. 10 ver. Avidus.
Idem de Sum. bo. li. 3 cap. 63 senten. 2
Ber. in declam. super ecce nos ante med.
Ibid. post pauca.
Sen. Ep. 72 post med.
Ibidem.

Caput XII.

De Gula.

GRegorius in Moralibus; De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam oritur. Idem; Quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. Aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet sumenda præparari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit, sed in ipsa ciborum quantitate, sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnumquam vero, & abiectum est, quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderii

Greg. li. 31 Mor. ca. 17 post med.
Ibid. li. 30 cap. 13
Ibid. c. 14

1 Reg. 14 Num. 11 1 Reg. 2 Ezech. 16 Gen. 25 rii deterius peccat. Exemplum de primo in Jonatha; De secundo in Israeliticis; De tertio in filiis Heli: De quarto in Ezechiele; De quinto in Esau. † Idem: Sæpe dum quasi concivi carni parcimus, ad prælium contra nos hostem nutrimus. *† Ibidem mor. ca. 14* Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt; & cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Idem in pastorali: *Idem past. cu. p. 3 c. 2 admo. 20 in princ.* Gulæ deditos, superfluitas locutionis, levitas operis atque luxuria; abstinentes vero sæpe impatientia atque tristitia, sæpe vero superbiæ culpa comitatur. Hieronymus in Epistola; *Hier. epi. 47 post med. to. 1* Difficile inter epulas servatur pudicitia, nitens cutis sordidum ostentat animum. Idem; Nihil solicitius, &c. Infra libro 4. de lætitia. Isidorus de Summo bono; *Isid. de Sum. bo. lib. 2 ca. 43 sen. 1 & 2* Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit, nesciat; unde etiam & malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. *Ibid. ca. 42 sen. 8* Idem; Cui abundantia est epularum, ardentis divitis attendat supplicium, cujus tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic fuerat epularum copia. Idem; *Ibid. sen. 6* Qui nimium cibis utuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. Nam Græci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse. Augustinus de Doctrina Christiana; *Aug. lib. 3 de Doct. Christ. ca. 11 tom 3* Fieri potest, ut sine aliquo vitio crapulæ, vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœtidissima gulæ flamma, in cibum vilissimum ardescat. * Basilius in regula; Sicut miles plurimo onere prægravatus præpeditur, ita monachus, vel clericus impeditur ad vigilias, cum escarum plenitudine torpescit. Bernardus in Apologia: *Bern. in Apolo. ad Gul. abb. ante med.* Sanius est modico vino uti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari per aviditatem. Legitur in scientia naturali, quod inter animalia magnorum corporum, nulli dedit natura tam parvum os, secundum corporis quantitatem, sicut homini, quod factum est ad commendationem temperantiæ, & ad detestationem gulositatis.

A * Gregorius; Quanto corpus impletur, tanto anima minoratur. Unde Hieronymus; *Hier. Epi. 83 ad Ocean post med. to. 2* Qui luxuriatur, vivens mortuus est; & qui inebriatur, mortuus & sepultus. * Seneca; Ciborum copia, sublimitas impeditur. * Idem: Ventri obedientes, loco animalium vivimus non hominum. Bernardus: *Ber. ser. de convers. ad cleric. c. 12* Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum, non durat nisi quantum durat transitus ille per gulam, & pro illo transitu vult domina gula, tot & tanta sibi præparari.

Caput XIII.

B

De Luxuria.

Gregorius in Moralibus: *Greg. li. 31 Mor. ca. 17 post med.* De luxuria, cœcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri generatur. Idem: *Ibid. li. 21 cap. 9 post med.* Nulla ante Dei oculos justitiæ pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. Idem in Dialogis: *Idem Dial. li. 4 c. 36 circa fin.* Carnalis delectatio, mentem, quam inficit, obscurat, ut videre veræ lucis claritatem non valeat: sed unde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur. Augustinus de fide ad Petrum: *Aug. li. de fi. ad Per. cap. 2 post med. to. 3* Quia dum sibi invicem vir, mulierque miscen- C tur, ut filios gignant, sine libidine non est parentum concubitus, & ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, & peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido. Isidorus de summo bono: *Isid. de Sum bon. li. 3 ca. 6 sent. 13* Luxuriæ imagines, quas in veritate gessimus, sæpe dormientibus nobis in animo apparent, sed innoxiæ, si non concupiscendo occurrunt, id est, si non consentimus vigilantes. Idem: *Ibid. sent. 14* Qui nocturna illusione polluitur, etsi extra memoriam turpium cogitationum sese præsentiat inquinatum, tamen hoc, ut tentaretur, culpæ suæ tribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat. Idem: *Ibid. li. 2 ca. 39 sen. 1* Deus nonnumquam dejicit occultam mentis superbiam per carnis manifestam ruinam. Idem: In-

Ibid. sent. 20 Inter septem vitia, fornicatio maximum est scelus, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membra Christi, facit membra meretricis. Joannes Chrysostomus super Matthæum: *Chrysost. ope. imp. homil. 40 ante med. tom. 2* Vitium libidinis facile ex vacantia & otio nascitur. Nam definitio amoris hæc est, animæ vacantis passio. Idem: Per omnem actum carnalem, homo animalibus similis invenitur, maxime autem per usum libidinis. Idem super Joannem: *Est apud homil. de cruce ante med.* Porci sunt, qui vitam suam cœnosæ libidini, & voluptatibus sæculi manciparunt. Hieronym. in originali super Oseam: *Hier. in Osea lib. 1 ca. 4 to. 5* Sicut vinum, & ebrietas eum, qui biberit, mentis suæ impotem facit, ita fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumque debilitat, & de rationali homine, brutum efficit animal. Idem: *Ibid. lib. 2 cap. 9* Sicut gulæ servientes habent ventrem Deum: ita qui libidini serviunt, habent Deum Beelphegor. Idem in originali super Naum *Idem in Na. cap. 3 to. 11. eod.* explicans verba illa: Corruent in corporibus suis: Septuaginta infirmabuntur in corporibus suis. Multi propter res venereas in corpore debilitati sunt, & cum perditione animæ carnem quoque frangunt, cui serviunt. Glossa in proverbia super illud: *Gloss. ord. in prov. 6* Pretium scorti: Brevis voluptas fornicationis, & perpetua pœna fornicationis. Interlinearis: *Glos. In. terl. Luc. 15* Luxuria consumit omnia bona gratiæ, & naturæ. Seneca in Epistola: Luxuria voluptas fragilis est, brevis, fastidio obiecta, quo avidius acta est, ocyus in contrarium recidens, cujus subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat, in qua nihil est magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat, res humilis membrorum turpium aut vilium ministerio exitu fœda. Idem: Nihil tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. Idem: Vis magna mentis, blandusque animi calor, amor est, juventa gignitur, luxu, & otio nutritur inter læta fortunæ bona: quem si fovere atque alere desistas, cadit, brevique vires perdit extinctus suas: illicita amantur & excidit quidquid quisquis in primo obstitit, pepulitque amorem tutus ac victor reddit, qui blandiendo dulce nutrivit malum, sero recusat ferre, quod subiit jugum. Hieron. Appetitus fornicationis anxietas est, satietas pœnitentia. Et Paulus Apostolus ait: Qui fornicatur in corpus suum peccat. Glossa: In fornicationis opere totus homo absorbetur a carne qui fornicatur, ut jam homo non possit animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro. Et dicit quædam Glossa super Leviticum, quod cum dæmones de omni peccato gaudeant, præcipue tamen gaudent de fornicatione, quia ibi corpus, & anima maculatur, & ideo maxime cavendum.

Caput XIV.

De Perplexitate.

Gregorius in Moralibus: *Greg. li. 32 Mor. ca. 17 longe ante med.* Dum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur. Idem: *Ibidem.* cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Isidorus in Synonimis: *Isidor. in syn. ca. 15* In malis promissis rescindem fidem, in turpi voto muta decretum. Idem de Summo bono: *Idem de sum. bon. lib. cap. 5 sent. 21* Argumenta machinationum, malarumque cogitationum semina, quæ in cordibus hominum diabolus fundit, ita sæpe undique captam implicant mentem, ut ex quacumque parte evadere quisque tentaverit, sine periculo exire non possit: veluti si jures hoc facere, quod si feceris pecces, si non feceris reus periurii sis. In tanto ergo mali discrimine, ut evadendi aditus pateat, minora potius eligenda sunt, ut majora vitentur. Augustinus de mendacio: *August. de mend. ad Consen. cap. 18 in fin.* Illa desinunt esse peccata, quæ propter graviora vitanda suscipiuntur. Sicut enim in rebus utilibus, non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur, sic & in rebus sacratis, non vocatur peccatum, quod admittitur, ne gravius admittatur. Ambrosius de Officiis: *Ambr. de offic. lib. 3 cap. 9 ante med. to. 4* Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur: commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum.

CA-

Caput XV.

De conflictu vitiorum, & virtutum.

Aug. li. de conf. vir. & vit. c. 1 cir. fin. & seq. tom. 9

Augustinus in libro de conflictu: O quam amarus superbiæ congressus, quæ angelos de cœlo projecit, homines de paradiso minavit. Superbia dicit: Certe multis, immo pene omnibus melior es, verbo, scientia, divitiis, honoribus & cunctis, quæ carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis teipsum superiorem attende. Humilitas respondet: Memento quia pulvis es: quia cinis es: quia putredo, & vermis es: quique, etsi es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, perdis omnino, quod es. Numquid tu altior es, quam primus angelus? Numquid splendidior in terra, quam lucifer in cælo? Quod si ille de tanta sublimitate per superbiam cecidit, quomodo tu ad tantam celsitudinem superbiens, de imis ascendes? Inanis gloria dicit: Age bonum, quod vales, ostende bonum cunctis, quod agis, ut bonus a cunctis dicaris, ut sanctus, & venerabilis ab hominibus prædiceris, ut Dei dilectus voceris, ut nemo te contemnat, nemo te despiciat, sed universi debitum tibi honorem persolvant. Timor Dei respondet: Si boni aliquid agis, non pro transitoriis, sed pro æternis honoribus age: occulta, quod agis inquantum vales, sit in animo tuo occultandi voluntas: & non erit de ostentatione ulla temeritas, nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere. Simulatio dicit: quia nihil boni in abscondito facis, ne a cunctis cognitus detestabilis habearis, finge te foris esse, quod intra non appetis. Vera religio respondet: Immo magis satage esse, quam ostentare, quod non es. Nam hoc hominibus ostendere quod non es, quid aliud, quam damnatio est? Contemptus dicit: Quis tu, ut tibi pejoribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? te magis, quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio, vel industria coæquari: Obtempera igitur solius Dei imperio, & non sit tibi cura de aliquo. Subiectio respondet: Si Dei obtemperandum est imperio, etiam humano subdi, necesse est magisterio. Ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Ita inquis, oporteret, si talis esset, qui loco Dei imperaret: sed non es talis, per quem Deus imperet. Sed audi Apostolum contradicentem tibi. Ait enim. Non est potestas, nisi a Deo, quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Quales enim esse debeant hi, qui imperant, non est a subditis discutiendum. Invidia dicit: In quo illo, vel illo minor es? Cur ergo eis æqualis, vel superior non es? Quanta vales, quæ ipsi non valent? Non ergo tibi, aut superiores esse, aut æquales debent. Concordia fraterna respondet: Si cæteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo, quam in summo temetipsum conservas, semper enim de alto pejor fit ruina.

Superbia, & humilitas. *Inanis gloria, & timor Dei.* *Simulatio, & vera religio.* *Contemptus, & subiectio.* *Luc. 10* *Rom. 13* *Invidia & concordia.*

Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores, vel æquales sunt, quid te lædit? quid te nocet? Cave prorsus ne dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris, de quo scriptum est: Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Odium dicit: Absit ut illum ames, quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te conviciis exasperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, & operibus, atque honoribus semper prævenire festinat. Nisi enim ipse tibi invideret, nequaquam se tibi ita præferret. Dilectio vera respondet: Numquid quia hæc, quæ narras, odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? sicut Christus, qui in cruce positus inimicos suos dilexit, & ante crucis tormentum admonuit, dicens: Diligite inimicos vestros, &c. Omnem ergo amaritudinem cordis evome, & quo pacto valueris, charitatis dulcedinem sume: nihil enim suavius, nihil illa beatius. Detractio dicit, quis potest sustinere? Quis silentio valet tegere quanta ille, vel illa prava committit, nisi forte qui con-

Sap. 2 *Odium & dilectio.* *Mat. 5* *Detractio, & fraterna correctio.*

consentit? Libertas justæ increpationis respondet: Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda, sed charitate fraterna in faciem proximus est redarguendus. Et infra: Nonnumquam & errata delinquentium ad tempus silentio tegenda sunt, ut aptiori tempore corrigantur. Ira dicit: Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt: immo hæc patienter tolerare peccatum est, quia etsi non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Patientia respondet: Si passio Redemptoris ad mentem reducitur nil tam durum, quod non æquo animo toleretur: Christus enim, ut ait Petrus, pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

Ira & patientia.

1 Pet. 2

Sed quanta sunt hæc, quæ patimur in comparatione illius: Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucem quoque sustinuit, atque mortem: & nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo deiicimur. Protervia dicit: Numquid stultis, numquid insensatis, ac brutis animalibus levia verba, & non magis aspera, ut tales decet, dum delinquunt, obiicienda sunt? Mansuetudo respondet: Non tua in his persuasio, sed Apostoli sequenda est præceptio: Seniorem ne increpaveris. Et rursum: Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Quod videlicet malum proterviæ, deterius adhuc subditis, quam Prælatis nocet. Sæpius enim contingit, ut leniter, & cum charitatis dulcedine prolatam correctionem subditi spernant, & contra humilitatis verba, & despectionis jacula emittant. Tumor mentis dicit: Testem habens Deum in cælis, non tibi sit curæ, quid de te suspicentur homines in terris. Satisfactio debita respondet. Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio, sed si adsunt, quæ corrigantur, manifestanda: aut certe, si desunt humili protestatione neganda. Torpor, & ignavia dicunt. Si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris, si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis: si protelatis vigiliis Psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris: si quotidiano labore te conficis, ad opus spiritale quando consurges? Exercitium bonum respondet: Quid tibi ad hæc perferenda, tam longa temporum proponis spatia? Numquid scis si die crastina vivas, imo si vel etiam unam horam in hac vita facias? An forte de tua mente excidit, quod Salvator in Evangelio dicit: Vigilate, quia nescitis neque diem, neque horam. Quapropter discute corporis inertiam, semperque memento, quia regnum cælorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti, vimque facientes diripiunt. Cupiditas, sive avaritia dicit: Valde sine culpas es, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicare appetis, sed egere pertimescis, & quod malus alius male retineret, ipse melius expendis. Mundi contemptus respondet: Ista nec apud homines sæculares sine periculo procurantur, quia quanto quis amplius habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit: fitque ut modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris hujus sæculi curis deservire festinat. Si ergo sæcularibus viris ita est periculosa cupiditatis industria, quanto magis illis periculosior, qui jam habitu, & conversatione sæculares esse desierunt? Qui totum, quod vivunt Domino devoverunt? Dicis forte, ideo a sanctis, religiosisque viris plura habenda sunt, ut melius ab ipsis, quam a popularibus erogentur Christi pauperibus. Et ego consentio, sed prælatis, non autem subiectis. Obduratio dicit: Si ea quæ possides, egentibus tribuis, unde subiectos absque penuria nutris? Misericordia respondet: Memento, quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus est, quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit, & in inferno positus ad petenda minima pervenerit, qui hæc parva negavit. Ventris ingluvies, sive gula dicit: Ad esum Dominus omnia munda creavit, & qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam muneri concesso contradicit? Ci-

Protervia, & mansuetudo.

1 Tim. 5

2 Tim. 2

Tumor, & satisfactio.

Torpor ignavia, & exercitium bonum.

Matth. 25

Cupiditas & paupertas.

Obduratio & misericordia.

Gula, & parsimonia.

Ciborum parsimonia respondet: Unum horum, quæ dicis, verum est: Ne enim homo fame moreretur, omnia ad esum Deus munda creavit, sed ne comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperavit, atque inter cætera sua mala saturitatem, maxime panis Sodoma periit. Quapropter, sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisquam accedere, nequaquam scilicet in illos voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Ille autem plene hujusmodi vitium superat, qui in sumendis dapibus non solum parsimoniam tenet, ut scil. refectionem corporis semper esuriens imperet, verum etiam accusatiores simul, & lautiores epulas, excepta corporis infirmitate, & hospitum susceptione, contempsit.

Vana lætitia, & moderatus mœror.

Inepta lætitia: dicit: Ut quid animi gaudium intus abscondis? Egredere in publicum lætus, dic aliquid foris, unde vel tu, vel proximi rideant: fac eos lætos tua lætitia. Moderatus mœror respondet: Unde tibi inest tanta lætitia? Numquid jam diabolum vicisti? Numquid jam de exilio ad patriam venisti? An forte in oblivionem venit, quod Dominus dicit: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium? *Joan. 6* Comprime ergo inanem lætitiam, quia nondum evasisti pœnalem ærumnam. Nonne apud omnes insanus judicatur is, qui carceralibus tenebris reclusus gaudere conatur?

Loquacitas, & silentium.

Multiloquium dicit: Non reus ille tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur, sed ille, qui saltem rara, sed mala dicere probatur. Discreta taciturnitas respondet: Verum est quod dicis, sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit, ut a bonis locutio inchoans, ad prava derivet. Hoc ipsum sacra Scriptura pronuntiat: Quia in multiloquio non deerit peccatum. *Prov. 10* Ac forte inter innumera verba declinantur criminosa, sed numquam declinari poterunt inutilia, atque otiosa, de quibus ratio erit in futuro reddenda. Tenendus est ergo modus in loquendo, atque ab ipsis nonnumquam utilibus verbis parcendum.

Luxuria, & castitas.

Luxuria dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum te quid sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes quia quam citius pertranseat, nescis. Si enim Deus misceri hominem in voluptate carnis nollet: in ipso humani generis exordio masculum, & fœminam non fecisset. Carnis munditia respondet: Nolo ut ignorare te fingas, quid post hanc vitam recipias. Si enim pie, & caste vixeris, sine fine gaudebis. Si autem impie, & luxuriose, æternis incendiis subiacebis. Inde autem magis caste vivere debes, unde quam citius tempus acceptum transeat, ignorare te dicis. Et infra: O quam parva est concubitus hora, qua perditur vita futura! Isidorus de Summo bono: Interdum vitia cum virtutibus ad utilitatem confligunt, ut ipso certamine vel mens exerceatur, vel ab elatione concussus animus, restringatur. *Isidor. de sum. bon. lib. 2 ca. 37 sent. 2*

Caput XVI.

De Gratia.

Gregorius in registro: Quia de gratia debemus superna præsumere, ut non simus negligentes in oratione, vel opere voce veritatis exprimitur: Oportet semper orare, & non deficere. Petamus ergo orando, quæramus legendo, pulsemus operando. *Greg. regist. lib. 6 indict. 15 cap. 197* Idem: Quælibet occulta loca sine Dei gratia, animam salvare non possunt. Quod aliquando in ipsis quoque erratibus conspicimus electorum. Nam Loth in perversa Civitate justus fuit, in monte peccavit. *Ibid. li. 6 indict. 15 cap. 169 circa med.* Idem in Moralibus: Cum mentem nostram elatio erigit, a nobis summi protinus compunctio amoris recedit: cum vero superna nos gratia visitat, statim per lacrymas ad sua desideria instigat. *Idem li. 9 Mor. ca. 33 in fin.* Idem: Quanto quisque se minus videt, tanto minus sibi displicet, & quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se cognoscit. *Ibid. li. 35 cap. 5 in princ.* Idem: Justi animam gratia vocat, tentatio interrogat. *Ibid. li. 20 cap. 19 circa med.* Idem: Quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata de super mensura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei *Ibid. li. 22 ca. 14 non longe a princ.*

Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Idem: Unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum eum quasi percutiens deserit. Idem: Miles Dei supernæ gratiæ fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, ut aliena non deserat. Idem: Bonum quod agimus, & Dei est, & nostrum. Dei per prævenientem gratiam: nostrum, per obsequentem liberam, voluntatem. Idem super Ezechielem: Sive hi, qui electi in Testamento veteri fuerunt, sive hi, qui in Testamento novo secuti sunt, nimirum, constat, quia omnes ex amore Trinitatis accensi sunt. Neque enim unum Deum diligerent, si ejusdem Trinitatis, quæ Deus est, gratiam non accepissent. Idem: Sunt quidam, qui per donum gratiæ, & ipsa intelligunt, quæ exponi a Doctoribus non audierunt. Isidorus de Summo bono: Hominis meritum superna gratia, ut inveniat, prævenit, & postquam prævenerit, perficit, atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ solum invenerat, quod puniret. Idem in synonymis. In omni opere tuo Dei auxilium posce: omnia divinæ gratiæ, divino dono ascribe: nihil meritis tuis tribuas in virtute tua nihil præsumas. Augustinus de Confessione: Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ Domine, quod peccata mea tamquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala. Idem de natura, & gratia, Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod gratia nominatur. Idem de correptione, & gratia: Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. Idem: Gratia sola homines liberantur a malo, sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo, & amando, sive agendo faciunt bonum. Idem: Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Idem de quinque responsionibus: Opera liberi arbitrii bona,

Ibid. li. 31 cap. 17 ante med.
Ibid. li. 33 cap. 20
Idem in Ezech. ho. 16 ante med.
Isidor. de sum. bon. li. 2 cap. 5 sent. 5
Idem in synon. c. 12 post med.
Aug. conf. li. 2 cap. 7 tom. 1
Idem de nat. & gratia ca. 4. tom. 7
Idem de corrept. & grat. ca. 1 tom. eod.
Ibid. ca. 2.
Ibid. ca. 8 ante med.
Est in hypognost. l. 3 post med. tom. 7

A quæ ut fiant, præparantur per gratiæ præventum, nullis liberi arbitrii meritis, & ipsa faciente, gubernante, & perficiente, ut abundent in libero arbitrio, non damnamus: quia ex his, vel hujusmodi homines Dei justificati sunt, justificantur, & justificabuntur in Christo. Idem de gratia, & libero arbitrio: Charissimi vita nostra bona, nil est aliud, quam Dei gratia, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur. Idem ibidem: Gratia Dei nos facit legis dilectores, lex vero ipsa sine gratia, non nisi prævaricatores. Idem contra Julianum: Quia caro concupiscit adversus spiritum, etiam baptizatis B sanctis ingerit pugnandi necessitatem. Contra quid? nisi contra malum, non contra substantiam, sed substantiæ vitium, Dei gratia regenerante, non imputandum, Dei gratia adiuvante frænandum, Dei gratia remunerante sanandum? Idem de sex quæstion. Salus religionis hujus, per quam solam salus vera veraciter promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit ab exordio. Ab exordio namque propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur. Idem de spiritu & littera: Per legem, cognitio peccati: per fidem, impetratio gratiæ contra pec- C catum, per gratiam, sanatio animæ, & abolitio peccati: per animæ sanitatem, libertas arbitrii: per liberum arbitrium, justitiæ dilectio: per justitiæ dilectionem, legis operatio. Idem: Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia autem data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. Idem de Civitate Dei: Parit cives terrenæ civitatis peccato vitiata natura, cœlestis vero civitatis cives parit, peccato naturam liberans Dei gratia. Idem de pœnitentia: Præsto semper est gratia, quæ numquam deficit, nisi prius expulsa fuerit. Continue necessario, quod suum est inspirat, si est, qui

Idem de grat. & li. arb. cap. 8 tom. eod.
Ibid. ca. 18 ante med.
Idem cont. Jul. li. 2 ante med. tom. 7
Idem ep. 49 ad Deo gra. de sex quæ. q. 2 in fin. tom. 2
Idem li. de spir. & lit. cap. 30 tom. 3
Ibid. ca. 19 prope fin.
Idem de civ. Dei, li. 15 ca. 2. tom. 5
Idem de ver. & fal. pœnit. c. 16 post med. tom. 4

Chrys. de compunct. cord. lib. 1 post. med. tom. 5

recipiat. Joannes Chrysost. de compunctione cordis: Gratia rectas mentes diligit, & sine fuco propositum. Idem super Matthæum: Debet voluntas præcedere, & sic sequitur gratia, nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam & terra non germinat nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. Ambrosius super Lucam: Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Auctor de spiritu, & anima: Animam Dei pietas respicit, humilitas subiicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas jungit, charitas unit. Idem: Facultates, & quasi instrumenta cognoscendi, & diligendi habet anima ex natura, cognitionem vero veritatis, & ordinem dilectionis, nequaquam habet, nisi ex gratia. Idem: Vasa, quæ creatrix sapientia format, ut sint, adiutrix gratia replet, ne vacua sint, si strenuum operarium invenerit. Bernardus super Cantica: In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniaris non altum sapere, sed timere.

Idem oper. imp. ho. 32 post med. tom. 2

Ambr. in Luc. li. 2 cap. 1 to. 3

Auctor. de spir. & ani. ca. 36 tom. 3 apud Aug.

Ibid. ca. 7

Ibidem.

Bern. in Can. ser. 54 post med.

Caput XVII.

De Pœnitentia.

Greg. ho. 34 in Evang. post med.

GRegorius in homiliis: Pœnitentiam agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. Augustinus de mirabilibus sacræ Scripturæ: Qui per pœnitentiam peccata diluerit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. Idem in libro de pœnitentia: Convertitur, qui jam totus, & omnino vertitur, qui jam non tantum pœnas non timet, sed ad bonum Deum redire festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de peccatorum suorum remissione: sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de sero pœni-

August. de mir. scrip. li. 1 cap. 2 tom. 3

Idem de ver. & fal. pœnit. c. 17 tom. 4

A tente. Idem: Pietas fidei expostulat credere, quod omnes eleemosynæ totius Ecclesiæ, & orationes, & opera justitiæ, & misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam, ad conversionem suam. Ideoque nemo pœnitere digne potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. Idem: Pœnitens omnes fructus suæ pœnitentiæ parvos habeat, numquam sufficiat, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, & dolorem cum vita finiat. Idem: Ubi dolor finitur, deficit & pœnitentia. Idem: Pœnitens semper doleat, & de dolore gaudeat. Idem: Pœnitens consideret qualitatem, & quantitatem criminis, in loco, in tempore, in perse-

Ibid. ca. 11

Ibid. ca. 13

Ibidem.

Ibidem.

Ibid. ca. 14

B verantia, in varietate, in conditione personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitii multiplici executione. Idem: Numquam Dominus aliquem sanavit. Infra de contritione. Idem: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse, qui autem dolet, quod detinetur in mortali corpore, desiderat, quod amat, plorat, quod retardat. Idem: Qui me confessus fuerit coram hominibus, id est, omnis, quantumcumque, & quotiescumque peccator, cujuscumque ordinis, etiam si fuerit peccator sacerdos, confitebor, & ego eum: nam qui invocaverit nomen Domini, id est, secundum quod nominatur Dominus, id est, qui invocaverit eum ad se ser-

Ibid. ca. 8

Ibid. ca. 5 ante med.

C viendo, & non contradicendo, ut forsitan sæpe fecit, omnis, id est, quicumque sit ille peccator, salvus erit. Idem: Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, & conservat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, & roborat. Idem de quinque responsionibus: Petrum nisi Dominus respexisset, numquam pœnitentia motus amare flevisset. Pœnitentia ergo res est optima, & perfecta, quæ defectus revocat ad perfectum. Idem in sermonibus. Si tunc vis agere pœnitentiam: quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Idem in epistola: Si res aliena, propter quam pec-

Ibid. ca. 2 Est apud eund. hypog. li. 3 paulo post med. to. 7

Idem ser. 71 ad frat. in ere. prope fi. to. 10

Idem ep. 54 ad Mace. post med. tom. 2

peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi cum restituatur ablatum, si tamen restitui potest. Idem: Nemo vitam æternam. Infra libro 4. de desiderio. Ambrosius: Facilius inveni. Infra libro 4. de innocentia. Isidorus in Etymologiis. Pœnitentia appellata est, quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Nam nihil aliud agunt, qui veraciter pœnitent, nisi ut id, quod male fecerint, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus, ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit. Idem: de Summo bono: Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus, & lacrymarum. Idem: Neque umquam. Infra libro 3. de securitate. Idem in synonymis: Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Cyprianus in sermonibus: O pœnitentia, quæ peccata miserante Deo remittis, & paradisum reseras: quæ contritum sanas, omnem tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam reformas, gratiamque abundantiorem refundis. Idem: O pœnitentia, quid de te novi referam, omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Idem: Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat superbiam, continet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. Bernardus super Cantica: Qui amat animam suam, perdet eam, sive ponendo ut martyr, sive affligendo, ut pœnitens. Idem de duodecim gradibus: Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. Idem in sermonibus: Si vis agere pœnitentiam, oportet membra punire: corpus affligere, teipsum judicare, ut non incidas in manus Dei viventis. Justum id quidem, sed ne quid nimis, alioquin reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni.

Isid. etym. lib. 6 c. 18 — Idem in synon. c. 1 prope fin. Est apud Chrysost. ser. de pœnit. ante med. to. 5 — Ibidem conseq. — Ibid. paulo post. — Bern. ser. 30 in Cant. post med. — Idem de 12 grad. humil. gradu 9

Caput XVIII.

De Contritione.

Gregorius in registro: Illum, quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi: quia nullum peccantem reversum ad se despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Idem super Ezechielem: Mala, quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmem vitæ: ne si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiamus. Idem in Moralibus: Quo uberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renovatur. Idem: Quilibet peccator. Infra in capite de justitia. Idem: Si nos virtus compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus pravæ suggestionis obtumescit. Idem in Pastorali: quasi sus in lutosa aqua semetipsum volvit, qui dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lacrymas facit. Idem: Qui admissa plangit, nec tamen deserit, tanto graviori culpæ se subiicit, quanto & ipsam, quam flendo impetrare potuit veniam contemnit. Augustinus de pœnitentia: Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lacrymæ testes doloris. Idem de vera, & falsa pœnitentia: Qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, in tota vita sua, quæ est tentatio super terram, plorant totam vitam suam. Idem: Numquam aliquem Dominus sanavit, quem omnino non liberavit. Totum enim hominem sanavit in sabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam

Greg. regist. lib. 7 ind. 2 c. 53 post med. — Idem in Ezec. ho. 9 prope fin. — Idem li. 27 Mor. ca. 16. — Ibid. lib. 9 cap. 19 post med. — Idem past. en. p. 3 c. 1 admonit. 31 — Ibidem. — August. de pœnit. ho. 50 cap. 2 tom. 10 — Idem de ver. & fal. pœnit. c. 8 tom. 4 — Ibid. ca. 9

mam ab omni peccati contagione liberavit, indicans pœnitentem oportere simul de omni crimine dolere. Idem: Satis durus est, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare: sed sciat culpabiliter se durum qui deflet damna corporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit lacrymis. Idem: Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat. Idem in libro meditationum: Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lacrymarum, quem esurio super omnem copiam delitiarum. Idem: Sit pœnitentia continua, amara comes ætatis meæ, continuus dolor, insatiabilis terror vitæ meæ. Et infra: Si non sum dignus oculos ad cælum levare orando, certe non sum indignus eos, vel saltem excæcare plorando. Idem in confessione. Amore amoris tui Domine facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & secura, & colligens me a dispersione, in qua frustatim sum discissus, dum ab uno te aversus, in multa evanui. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Nihil ita conglutinat, & unit Deo, ut pœnitentis lacrymæ: Idem quemadmodum, quæ propter mundum, est lætitia, tristitiam habet coheredem; & quæ secundum Deum sunt lacrymæ, lætitiam assumunt continuam, & immarcessibilem. Idem in sermonibus: Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit, accepit: nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetraret, quod voluit: ipse enim est, qui consolatur flentes, curat dolentes, informat pœnitentes. Idem libro de compunctione cordis: Sicut impossibile est, ut ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est, compunctionem vigere in delitiis: contraria enim hæc invicem sibi sunt, & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater risus: illa cor constringit, istæ dissolvunt. Idem: Sola est compunctio, quæ facit hominem horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas,

Ibidem. — *Ibid. c. 10* — *Ibid. li. 2 conf. cap. 2 tom. 1* — *Chrys. li. 2 de comp. cord. ante med. to. 5* — *Ibid. paulo post.*

A fugere risum. Idem: Hæc est humiliati cordis vera compunctio, magna agere & humilia loqui, juste operari, & super peccatis timere, ac tremere. Isidorus de Summo bono: Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore judicii. Idem: Qui nocturna illusione. Supra de luxuria. Idem: Lacrymæ pœnitentiæ, apud Deum pro Baptismate reputantur, unde, & quamlibet sint magna delicta, quantumvis gravia non tamen in illis Domini misericordia desperanda. Ambrosius de excessu Satyri: Non solus dolor lacrymas habet, habet & lætitia lacrymas suas, & pietas

B fletum excitat, & oratio stratum rigat. Bernardus super Cantica: Alta suspiria testantur tristitiam animorum. Idem: Dies mei sicut umbra declinaverunt, & sine fructu præterierunt, impossibile est ut revocem: placeat tibi Domine, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ. Idem. Abscindatur ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis. Idem de contemptu mundi: Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget, & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt magis, quam in superbiam elevari, quam omne sublime videre, quam avaritiæ & petulantiæ famulari. Idem

C de duodecim gradibus: Quos veritas sibi innotescere, ac per hoc vilescere facit, necesse est, ut cuncta, quæ amare solebant, & ipsi sibi amarescant. Idem in sermonibus: Miserere animæ tuæ, qui Deum tibi vis misereri: lava per singulas noctes lectum tuum lacrymis tuis, stratum tuum rigare memento, si compateris tibi ipsi, si laboras in gemitu pœnitentiæ, primus enim is gradus misericordiæ est, misericordiam utique consequeris. Idem: Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsione, sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cum lacrymis. Idem: Primum opus fidei per dilectionem operantis cordis compunctio est, in qua

Ibid. post med. — *Isidor. de sum. bo. l. 2. c. 12 sen. 1* — *Amb. de exc. Satyr. ante med. tom. 4* — *Bern. super Cant. ser. 49 post med.* — *Ibid. ser. 20 statim a prin.* — *Ibid. ser. 18 post med.* — *Idem declamat. super Ecce nos, post med.* — *Idem de 12. grad. humil. an. 1 grad. superb.* — *Idem ser. de conv. ad cleric. c. 24.* — *Idem ser. 2. in cap. jejun. post med.* — *Idem ser. 1. in Ascens. Domin. post med.*

qua plene de intus ejiciuntur dæmonia cum ab affectu cordis eradicantur peccata.

CAPUT XIX.

De Confessione.

Greg. li. 2 Marc. 9 in princ. GRegorius in Moralibus: Hæc sunt vere humilitatis testimonia, scil. & iniquitatem suam corde cognoscere, & cognitam voce confessionis integraliter aperire. Aug. ho. 12 in p. to. 10 August. in sermonibus. Utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter, & humiliter non solum Deo, sed etiam sanctis, & Deum timentibus confiteri. Idem de ver. & falsa pen. ca. 8 to. 4 Idem de pœnitentia: Ista assidua peccata, & quodammodo quasi necessaria, assidua laventur confessione, assidua restaurentur compunctione. Ibid. ca. 10 Idem: fit veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione. Ibidem. Idem: Quoniam verecundia magna est pœna; qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis: tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Ibidem. Idem: Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & solvere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Ibidem. Idem: Qui omnino confitetur, sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur. Ibid. c. 15 Idem: Ponat se pœnitens omnino in potestate judicis. Infra de satisfactione. Idem: Cautus sit pœnitens ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda conservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere. Idem ho. 50 cap. 8 in fin. to. 10 Idem: Neque facilius ab inimico deiicimur, quam cum eum superbiendo imitamur: nec vehementium eum prosternimus, quam cum humilitate Dominum sequimur: nec acutiores ei dolores infigimus, quam

A cum plagas peccatorum nostrorum confitendo, & pœnitendo sanamus. Idem: Peccat, sive parva, sive magna sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo judicante plectuntur, cessat autem vindicta divina, si confessio præcurrat humana. Idem in libris confessionum. Idem conf. li. 10 ca. 2 tom. 1 Tibi Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim absconderem mihi, non me tibi. Idem: Obsecro te Deus meus, & meipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me saucium compe- Ibid. ca. 37 prope fin. rero. Ambros. de pœnitentia: Qui B jaces in tenebris conscientiæ, & de- Ambr. de penit. li. 2 ca. 7 to. 4 lictorum tuorum sordibus, quasi in reorum carcere, exi foras: delictum proprium prode, ut justificeris: Ore enim confessio fit ad salutem. Joannes Chrysostomus de compunctione cordis: Habes accusatorem acerbissimum, & immitem: præveni ergo eum, & obtura os eis impudentissimum propria sponte confitendo delicta. Isidorus in etymologiis: Con- Isid. Ety. li. 6 ca. 18 fessio erroris, professio est desinendi. Desinendum ergo a peccatis est, dum quis confessus est: confessio autem antecedit, remissio sequitur. Isidorus in synonymis: Confessio Idem in synon. c. 1 post med. sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam donat. Omnis spes C in confessione consistit, in confessione locus misericordiæ est. Idem: Ibid. c. 12 prop. fin. Vitia cordis tui revela: pravas cogitationes tuas illico manifesta: peccatum enim tuum proditum, cito curatur: crimen autem occultum tacendo ampliatur: Idem de summo bono: Idem de sum. bon. li. 2 ca. 14 sent. 3 Servo Dei tanta recordatio esse debet peccati, ut ea, quæ gessit semper lacrymans confiteatur. Bernardus in Epistola: Ama Con- Ber. epist. 113 ad Soph. Vir. post med. fessionem, si affectas decorem, revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt in confessione lavantur: si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia dicis, immolas Deo sacrificium laudis. Idem: Absque Ibid. paulo post. con-

confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe, tamquam qui non est, perit confessio. Confessio igitur peccatoris est vita, sed justi gloria. Idem: sunt qui confitendo, sicut fabulam peccatorum suorum narrant historiam, & ægritudines animæ suæ, sine verecundia, & confusione dinumerant, & pene sine pœnitentia, & affectu doloris, & ideo nihil de consolatione reportatur. Ille vero cito lacrymas invenit, & resolvitur in gemitum compunctionis, qui habet sensum doloris. Idem super Cant. Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter. Glossa super Matth. Confessio peccatorum testimonium est conscientiæ timentis Deum: qui enim timet judicium Dei, peccata non erubescit confiteri. Perfectus enim timor, solvit omnem pudorem. Ibidem: Ideo jubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro pœna. Seneca in Epistola: Somnium narrare vigilantis est, & vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, ut errores nostros redarguere possimus.

Idem ep. de vita solit. ante med. — *Idem sup. Cant. ser. 16 paulo post med.* — *Gloss. in Matth. c. 7* — *Sen. ep. 34 post med.*

Caput XX.

De Satisfactione.

Gregorius in pastorali: Neque Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptatibus delectati discessimus, rursum fletibus amaricati redeamus: & qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo surgamus. Idem in homil. Dum a retributione ultionis ultimæ esse quædam temporis securitas videtur, debemus pensare malum, quod sequitur: pensantes gemere, gementes vitare ea, quæ commisimus peccata indesinenter aspicere, aspicientes flere, flentes abstergere. Augustin. in regula: Quicumque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quantocitius curare quod fecit: & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere: Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt. Idem de Ecclesiasticis dogmatibus: Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum præbere. Idem: Secreta satisfactione. Infra lib. 4 de religione. Idem de pœnitentia. Ponat se pœnitens omnino in potestate judicis, in arbitrio sacerdotis, nihil sibi reservans sui, sed ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcumque faceret pro evitanda corporis morte. Idem: Qui multos offendit peccando, multos oportet placare satisfaciendo. Idem in Enchiridio: De quotidianis, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur quotidiana oratio fidelium satisfacit. Idem in Epist. Nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod male fecerat, impunitum esse non sinat. Ambrosius super Lucam: Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia divina desperet: novit enim Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Idem super, Beati immaculati: Tanta vis emendatæ conversationis est, ut in quandam redeat pueritiæ spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret, & crimen etiam si velit, non possit admittere, quæ desinit usum peccandi. Isid. in synonymis: Cinis es, & in cinerem reverteris: vivas ergo semper lugens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens. Idem de summo bono: Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit. Idem: Quamvis per pœnitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu tamen homo esse non debet: quia pœnitentiæ satisfactio divino tantum pensatur judicio, non humano. Bernardus super Cantica: Humilis, & verecunda debet esse satisfactio, per quam emendatur superba transgressio. Glossa super Psalmos: Est quædam confusio temporalis, quæ est ad

Greg. past. cur. 3 c. 2 admo. 31 post med. — *Idem ho. 39 in evang. post med.* — *Aug. reg. 3 ca. 38 to. 1* — *Idem de Eccl. dog. ca. 54 to. 3* — *Idem de ver. & fal. pœnit. cap. 15 tom. 4* — *Ibid. ca. 11* — *Idem in Enchir. ca. 71 to. 3* — *Idem ep. 54 ad Mac. ante med. tom. 2* — *Amb. in Luc. lib. 2 ca. 2 to. 3* — *Idem in Psal. 118 octonar. 22 tom. 2* — *Isid. in synonym. c. 6 post med.* — *Idem de sum. bon. lib. 2 ca. 13 sent. 6* — *Ibidem sent. 13* — *Bern. sup. Cant. ser. 4 post med.* — *Glos. in Psal. 30*

ad horam, quæ quidem prodest, sc. A pertubatio animi respicientis peccata sua, & responsione horrentis, & horrore erubescentis, & rubore corrigentis.

Caput XXI.

De Virtute.

Greg. l. 28 Mor. 6 c. 6 post med. GRegorius in Moralibus: Non res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur actionum. *Ibid.* Idem: Plerumque virtus cum indiscrete tenetur, amittitur, cum discrete intermittitur, plus tenetur. Idem: Omnes virtutes. Infra lib. 4 de connexione: August. de civitate Dei: *Aug. l. 19 de civ. Dei, c. 25 t. 5* Videtur: Infra de Charitate. Idem. Virtutes, quas sibi habere mens videtur, per quas imperat corpori, & vitiis, ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes. *Idem de l. arb. l. 2 c. 19 tom. 1.* Idem de libero arbitrio: Virtutes, quibus recte vivitur, magna bona sunt, species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt: potentiæ vero animæ, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt, Virtutibus nemo male utitur, ceteris autem bonis id est, mediis, & minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. *Idem li. 83 quæst. q. 30 tom. 4* Idem de octogintatribus quæstionibus: Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, est fruendis frui: & utendis, uti. *Isid. de sum. bo. l. 2 c. 36 sen. 6* Isidorus de Summo bono: Prius vitia extirpanda sunt in homine, deinde inserendæ virtutes. Nam cohærere, & conjungi non potest veritas cum mendacio, pudor cum petulantia, fides cum perfidia, castitas cum luxuria. *Ibid. sent. 9* Idem: Quisquis ex deteriori jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius ex lapsu vitiorum jacebat. *Chr. ho. 35 in Joan. prope finem* Joannes Chrysostomus, super Joannem: Sicut malitia etiam ante gehennam, eos, qui hic ea participant, cruciare consuevit, ita virtus etiam ante regnum, eos, qui hic eam operantur, præparat voluptati, & cum spe optima, & delectatione perpetua vivere facit. Ambrosius super Lucam: Non est virtus, non posse peccare, sed nolle: atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. *Amb. su Luc. l. 8 c. 17 s om.* Bernardus super Cantica: Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget, non solum putatione, sed circumcisione. *Bern. ser. 58 in cant. vers. fin.* Idem in Epistola: Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, in victoria approbatur. *Idem ep. 126 ad ep. Aquit. in prin.* Seneca in Epistola. Virtus non aliud est, quam recta ratio. * *Sen. ep. 66 post med.* Idem: Cum virtus utique medium, & modus sit, æque peccatum est, quod excedit, sicut quod deficit. Idem: Nulli præ- B clusa est virtus, omnibus patet, omnes invitat, omnes admittit, non eligit parentelam, non eligit domum, non censum, nudo homine contenta est. *Idem de ben. li. 3 cap. 18* Idem: Virtus extollit hominem, & super omnia mortalibus chara collocat eum, nec ea, quæ bona sunt, nec ea, quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expavescit. *Idem ep. 66 ante med.* Idem: Omnia ista, in quæ dominium casus, & fortuna exercet, servilia sunt, pecunia, & corpus & honores, imbecilla, fluida, mortalia, possessiones incertæ: illa rursus, quæ virtutis sunt, libera sunt, & invicta. *Idem ep. 87 ante med.* Idem: Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, & molestias, ac inju- C rias, virtus magnitudine sua elidit, atque opprimit, & quocumque affulsit, ibi quidquid sine ea apparet, extinguitur. *Ibid. paulo ante.* Nam non magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtute inciderunt, quam in mari nimbus. Idem: Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum, etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec umquam vincunt diem. *Idem ep. 27* Tullius in rhetoricis: Virtus est animi habitus, naturæ, modo rationi consentaneus. *Tul. de in. vent. l. 2*

CA-

Caput XXII.

De tribus virtutibus Theologicis.

Greg. Pas. cu. p. 2 c. 10 in fin. Gregorius in pastorali: Cum districtus judex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit ab eo procul dubio culpæ reatum non expetit, quem sub ejus venia, spes, & charitas, jam abscondit. *Idem lib. 2 Mor. c. 27 ante med.* Idem in Moralibus: In corde nonnumquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Sed per Dei gratiam omnia tormentorum, & insidiarum genera superantur. *Ibid l. 27 c. 7 non multum a prin.* Idem. Bona summa sunt, fides, spes, & charitas, quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. *Idem in Ezec. ho. 16 ante med.* Idem super Ezechielem, Tres sunt virtutes, sine quibus, is qui operari aliquid jam potest, salvari non potest, videlicet fides, spes, & charitas. *Ibid. c. 22 post med.* Idem; Unusquisque, qui in activæ vitæ exercitio versatur, tantum credit, quantum sperat, amat, & operatur: tantum sperat, quantum credit, operatur, & amat: tantum amat, quantum credit, sperat, & operatur: tantum operatur, quantum credit, amat, & sperat. *Isid. in ety. lib. 8 c. 2* Isidorus in Etymologiis: Tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur, scilicet fides, spes, & charitas. *Aug. de doct. Chr. lib. 1 c. 29 tom. 3* Augustinus de doctrina Christiana: Homo fide, spe, & charitate subnixus, & hæc tria inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. *Idem de Trin. l. 8 c. 4 t. eod.* Idem de Trinitate: Ubi sunt illa tria, propter quæ in animo ædificanda omnium divinorum librorum machinamenta consurgunt, fides, spes, charitas, nisi in animo credente, quod nondum videt, & sperante, atque amante, quod credit? Amatur ergo, quod ignoratur, sed tamen creditur. Idem in soliloquiis: Deo nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. *Idem in Sol. li. 1 c. 6 t. 1* Idem: Sine tribus istis, scilicet fide, spe, & charitate, nulla anima sanatur, ut possit Deum suum videre. *Bern. de nat. & dig. div. am. c. 5* Bernardus de amore Dei. Potest esse, ut fides, & spes,

A sint sine charitate: ut autem charitas fidem, & spem in se non contineat, non potest esse. *Idem ser. 10 sup. Qui hab. prop. f.* Idem: super Qui habitat: Dicit fides: Parata sunt magna, & inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Sed charitas ait: Curro velociter ad illa. *Glos. Ec. 2* Glossa: Fide, & spe, & charitate, vere colitur Deus, & ad contemplationem pervenitur, quæ est vita æterna.

Caput XXIII.

De Fide.

Greg. hom. 26 in Ev. post. med. Gregorius in homiliis: Fides earum rerum argumentum est, B quæ apparere non possunt, quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. *Ibid. non multum a prin.* Idem: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, *Idem hom. 19 in Ezec. ante med.* Idem super Ezechielem: Non virtutibus venitur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes. Augustinus in homilia de centum ovibus: Deus omnibus æqualiter adest, sed ille apud Deus plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. *Aug. cont. Jul. Pel. l. 5 c. 3 ante med. t. 7* Idem contra Julianum: Quando Deo adjuvante, ex vera vivitur fide, ipse Deus adest, & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. *Idem de verb. Ap. ser. 1 vers. fin. & se. 18 de tem. c. 12 tom. 10* Idem de verbis C Apostoli: Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major est substantia, quam est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, impios justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat. *Idem de ver. Dom. ser. 61 t. eod.* Idem: Ille credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem quis habet sine spe, ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. *Isi. de sum. bo. l. 2 c. 2 sent. 8* Isidorus de Summo bono: Frustra libidinosus sibi de sola fide blanditur, si bonis moribus non ornatur. *Chr. in Matt. op. imp. ho. 36 post. med. tom. 2* Joannes Chrysostomus super Matthæum: Virtus fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur. Idem: Fides numquam.

Infra

Idem in Jo. ho. 62 post. med. t. 3 Infra lib. 4. de religione. Idem super Joannem: Magnum bonum fides est, quando a calida fit mente, ab amore multo, & fervente anima. Hæc Philosophos nos ostendit, hæc utilitatem humanam conculcat. Idem: Sufficit fides in regnum inducere, sed hæc maxime condemnare habet eos, qui vitam malam demonstrant. Qui enim scivit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis verberabitur multis. *Ber. Ep. 77 ad Hug. de S. Vict. post. med.* Bernardus in Epistola: Multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem timentes, & diligentes suæ salutis gratissimum promissorem, credentes eumdem in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide, & expectatione salvati sunt, licet quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignoraret. *Idem ser. 28 post med. & 76 in Can. ante med.* Idem super Cantica: Quid est quod non inveniat fides? Fides enim falsi nescia, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac usum naturæ, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu, quodam modo circumcludit. *Idem ser. 1 in An. Do.* Idem in sermonibus: Necesse est primo credere, omnium remissionem peccatorum haberi non posse, nisi per indulgentiam Dei: deinde: quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi etiam de hoc dederit ipse: postremo quod vitam æternam promereri nullus potest bonis operibus suis, sed quod gratis a Deo detur vita æterna. *Idem in ser. parvis, ser. 1* Idem: Est fides alia signorum, alia promissorum: qua credimus in Deum, qua credimus Deum, & qua credimus Deo. Per fidem enim præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum est, in eum sperare, & eum diligere. Per fidem autem signorum credimus Deum, qui talia potest, & omnia potest. Per fidem vero promissorum, credimus Deo, qui quidquid promittit, veraciter complet.

Caput XXIV.

De Spe.

Greg. l. 6 Mor. c. 15 post med. Gregorius in Moralibus: Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. *Ibid. l. 20 c. 12 cit. me.* Idem: Tanto spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. *Aug. conf. l. 10 c. 43 tom. 1* Augustinus in confessionibus: Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis: alioquin desperarem. Multi etiam & magni sunt languores mei, sed amplior est medicina tua. *Ibid. l. 9 cap. 13* Idem: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam: quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. *Idem ep. 120 ad Ho. de grat. no. Test. c. 4* Idem de gratia novi Testamenti: Non jam desperandum est, participatione verbi fieri posse homines filios Dei, quando filius Dei participatione carnis, factus est filius hominis. *Isid. ety. l. 8 cap. 2* Isidorus in Etymologiis: Spes vocata est, quod sit pes progrediendi, quasi pes. Ambrosius: Nemo diffidat. Supra de satisfactione. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Spes est in qua salus nostra consistit, & quæ de terris animas, velut quibusdam catenis cælitus dependentibus, innexas evehit ad superna. *Ber. in ser. parvis, ser. 1* Bernardus in sermonibus: Spes triplex est, nam de fide præceptorum oritur spes veniæ, de fide signorum spes gratiæ, & de fide promissorum spes gloriæ. *Est in lib. de dil. Deo c. 14 apud.* Idem: Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis. Multa infra lib. 4. de confidentia.

CA-

CAPUT XXV.

De Charitate.

[Greg. reg. l. 2 ind. 10 c. 24 in pr.] GRegorius in registro: Credat mihi charitas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te injuriam ipse pertulissem. Dominicis enim mandatis præcipimur, proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus, tamquam propriis infirmitatibus condolere. *[Ibid. li. 4 ind. 13 c. 95 in pr. & l. 12 ind. 7 cap. 31]* Idem: O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimetipsis exhibet per amorem, divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, & imperfecta consummat. *[Ibid. li. 7 ind. 2 c. 112 in pr.]* Idem: Magistra bonorum omnium charitas, nihil sapit extraneum, nihil asperum, nihil confusum: ita exercet corda, & corroborat, ut nihil grave, nihil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur. *[Ib. li. 1 ind. 9 c. 124 longe post med.]* Idem: Dum nos vobis per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim manum nobis tenemus: fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas persigatur quo & alter altero magis innititur. Idem: Si me participem. Infra lib. 4 de communitate. *[Ibid. reg. l. 7 ind. 2 c.]* Idem: Dum unum in redemptoris nostri corpore membrum sumus, sicut in culpa tua dilaceror, ita quoque in bona actione lætificor. *[Idem l. 22 Mor. c. 6 fere in pr.]* Idem: Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de ejus profectu dejicimur, nec de ruina illius lætamur. *[Reg. l. 4 ind. 13 c. 95 non longe a prin.]* Idem: Charitatem recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas ita ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. *[Ibid. l. 7 indic. 2 c. 112 fere in pr.]* Idem: Charitatis cum sit proprium nutrire concordiam, servare composita, dissociata conjungere, prava corrigere, & virtutes ceteras perfectionis suæ munimine solidare, quisquis in ejus radice se inseruerit, nec a viriditate deficit, nec a fructu inanescit. *[Ibid. li. 9 ind. 4 c. 61]* Idem: Nec abesse credendus est, qui per dilectionis vinculum animi inhæret. *[Idem l. 20 Mor. c. 12 cir. fin.]* Idem in Moralibus: Virtuti mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a dilectione mundi funditus occidit. *[Ibid. l. 31 non longe a prin.]* Idem; Quod valde mens amat, etiam in sermone replicat. *[Ibid. l. 20 c. 9 cir. fin.]* Idem. Probatio sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere, de Deo autem vera cognoscere, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. *[Ibid. l. 7 c. 10 non longe a pr.]* Idem: Per amorem Dei, amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. *[Idem past. cap. 3 c. 1 adm. 11]* Idem in pastorali; Nostra sunt etiam illa bona, quæ imitari non possumus, sed in aliis amamus, & amantium fiunt quæcumque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit. *[Idem hom. 25 in Ev. ante in ed.]* Idem in Homiliis: Vis amoris hoc agere in animo solet, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. *[Ibid. ho. 20 cir. med.]* Idem: Minus proximum amare convincitur; qui non cum eo in necessitate illius etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur. Idem: Ille Deum. Supra capitulo de consensu. *[Ibid. ho. 38 cir. med.]* Idem: Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se simulat, sive putat. Charitas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. *[Ibid. ho. 30 non longe a pr.]* Idem de dilectione conditoris: Lingua, mens, & vita requirantur. *[Ibid.]* Idem. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna si est, si vero operari renuit, amor non est. *[Ibid. ho. 38 cir. med.]* Idem: Si quod impendi nobis recte volumus, hoc aliis impartimur, & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere devitamus, tunc charitatis jura illæsa servamus. *[Idem in Ezec. ho. 35 ante med.]* Idem super Ezechielem: Tantum quisque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas, si desistis amare, desistis tolerare. *[Idem exp. in Cant. c. 1 aliquantulum a pr.]* Idem super Cantica: Charitas sancta cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, & ut sedes sapientiæ sit anima justi, quietem tribuit, & locum præparat. *[Amb. off. l. 1 c. 7 t. 4]* Ambrosius de officiis: Non minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. *[Ibid. conf.]* Idem: Plus certe

te

te diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos tantum in hoc sæculo. Isidorus de Summo bono: Quamvis nonnulli fide, atque operibus sanctitatis videantur esse participes, tamen quia privantur charitate fraternæ dilectionis, nullum habent incrementum virtutis.

Isid. de sum.bo. l. 2 c. 3 sent. 2

Hieronymus in Epistola: Nihil amantibus durum, nullus difficilis labor in amore. Amemus & nos Christum, & facile videbitur omne difficile. Idem in sermonibus: Hoc habet proprium impatiens amor, ut quem desiderat, semper invenire se credat: ignorat siquidem judicium, ratione multoties caret, nescit modum, nec aliud cogitare potest, quam quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium.

Hier. ep. 22 ad Eust. ver. fi. t. 1

Augustinus de Doctrina Christiana: Quatuor sunt diligenda: unum, quod supra nos est: alterum, quod nos sumus: tertium, quod juxta nos est: quartum, quod infra nos est. Idem: Ille juste & sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse autem est, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat, quod non est diligendum: aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat, quod minus est diligendum, aut æque diligat, quod minus, vel amplius diligendum est, aut minus, vel amplius, quod æque diligendum est. Idem: Omnis peccator, inquantum peccator est, non est diligendus: & omnis homo, inquantum homo est, diligendus est, propter Deum, Deus autem propter seipsum. Etsi Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque Deum debet diligere, quam seipsum. Idem: Omnes æque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictus tibi quasi quadam sorte junguntur.

Aug. l. 1 de Doct. Chr. c. 23 tom. 3 — *Ibid. c. 27* — *Ibid. cons.* — *Ib. c. 28*

Idem de catechizandis rudibus. Diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos, & filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat: nulla enim est major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere.

Idem de cath. rud. c. 4 tom. 4

Idem: Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum Deus diligat eum: & ideo cognosceret, ut ejus dilectione, a quo prior dilectus est, inardesceret.

Ibid. paulo post.

Idem de perfectione justitiæ. Perfecta charitas foras mittit timorem & facit præcepti sarcinam levem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.

Idem de perf. just. cont. Cale. ante med. tom. 7

Idem de viduitatis bono: Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, & piscantium.

Idem l. de bo. vid. c. 21 in fi. t. 4

Idem: In eo, quod amatur, aut non laboratur, aut etiam labor amatur.

Ibid. cons.

Idem de Trinitate: Qui amat homines, aut quia justi sunt, amare debet. Sic enim seipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit: sic, enim diligit proximum tamquam seipsum sine ullo periculo.

Idem de Tr. l. 8 c. 6 in fin. t. 3

Idem: Nemo aliquid volens facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive creatoris.

Ibid. l. 9 cap. 7

Idem de moribus Ecclesiæ: Nihil est tam durum, atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnis naturam, libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimus, & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

Idem de mori ec. l. 1 c. 22 prope fin. t. 1.

Idem: solus se novit diligere qui Deum diligit. Idem. Qui diligit proximum, agit quantum potest, ut salvus corpore, salvusque animo sit: sed cura corporis ad salutem animi referenda est.

Ibid. c. 26 — *Ibid c. 28 cir. med.*

Idem de Spiritu & littera: Sciri aliquid & credi, & tamen non diligi potest: diligi autem quod neque scitur, neque creditur, non potest.

Idem de Sp. & lit. c. 36 tom. 3.

Idem de civitate Dei: Perfectum odium debet malis, qui secundum Deum vivit: sic ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem.

Idem de civ. Dei l. 14 c. 6 t. 5

Idem: Mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis, est ordo amoris.

Ibid. l. 15 cap. 22

Idem de conjugiis adulterinis: Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera voluntate: & ea sunt in nostris offi-

Idem de con. adul. l. 1 c. 14 t. 6

officiis gratiora, quæ cum licerent nobis etiam non impendere: causa tamen dilectionis impendimus. *Idem sol. l. 1 c. 1 in pr. tom. 1* Idem de soliloquiis: Impatiens animus, nec lachrymis modus fit, nisi amori detur quod amatur. *Idem de verb. Ap. ser. 13 non longe a pr. tom. 9.* Idem de verbis Apostoli: Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris portatio. *Idem in 1 cant. Jo. ho. 1 in fi. t. 9.* Idem super 1. canonicam Joannis: Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra es. Deum diligis: quid dicam? Deus es. Ego, inquit, dixi Dii estis? *Ibid. ho. 5 ante med.* Idem: Charitas ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. *Ibid. ho. 7 post med.* Idem: Dilige, & quod vis fac: Sive taceas, dilectione tace; sive clames, dilectione clama: sive emendes, dilectione emenda; sive parcas, dilectione parce. *Idem ep. 168 ad fest. post med. tom. 2* Idem in Epistola: Diligentia charitatis, freneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare: ambo offenduntur, sed ambo diliguntur; ambo molestari quamdiu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati, gratulantur. *Ibid. ep. 3 ad Vol. post med.* Idem: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum, sicut teipsum. Hic Physica: quoniam omnes omnium naturarum causæ, in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, & proximus. Hic est Logica: quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. *Ibid. ep. 52 ad Maced. post med.* Idem: In hac dilectione virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nosipsos diligere nescimus. *Ibi. conf.* Idem: Tanto nobis melius est, quanto nos magis in illum imus, quo nihil me-

A lius est. Imus autem non ambulando, sed amando, quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. *Ibid. paulo post.* Idem: Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. *Ibid.* Idem: Debet homo proximum diligere tamquam seipsum, ut quem poterit hominem, vel beneficentiæ consolatione, vel doctrinæ informatione, vel disciplinæ coercitione, secum ducat ad colendum Deum. *Idem conf. l. 10 c. 29 tom. 1* Idem in libris confessionum: Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & numquam extingueris! Charitas Deus meus accende me

B continentiam jubes, da quod jubes, & jube, quod vis. *Ib. c. 6 in prin.* Idem: Domine amore tuo percussisti cor meum, & amavi te: sed & cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te: nec cessant dicere omnibus ut inexcusabiles sint. *Ibid. l. 11 cap. 6* Idem: Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis enim sursum tendit, deorsum lapis. *Et infra*: Minus ordinata inquieta sunt, ordinant, & quiescunt. Pondus meum amor meus, eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur: inardescimus, & imus; ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. *Ibid. l. 10 cap. 6.* Idem: Deus meus, quid

C amo, cum te amo? Non speciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis, non dulces melodias cantilenarum omnimodarum, non florum, & unguentorum, & aromatum suavem olentiam, non manna, & mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia: non hæc amo cum amo Deum meum. Et tamen amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum, cum amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum amplexum interioris hominis mei. Ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus: & ubi sonat, quod non rapit tempus: & ubi olet, quod non spargit flatus; & ubi sapit, quod non minuit edacitas: & ubi hæret, quod

non

Idem trat. de laude char. to. 9 Rom. 8

non divellit satietas. Idem de laude charitatis; Divinarum scripturarum multiplicem abundantiam, latissimam, que doctrinam sine ullo errore comprehendit, & sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo: Plenitudo legis est charitas. Idem: Ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Idem; Fratres sectamini charitatem, dulce & salubre vinculum mentium: sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives dives est. Idem; Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima; in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Idem; Charitas casta fuit in Susanna erga virum: in Anna, post virum: in Maria, præter virum: libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Idem: Charitas inter opprobria, secura est; inter odia, benefica: inter iras, placida: inter insidias, innocens: in iniquitate, gemens: in veritate, respirans: in virtute, congratulans. Idem in meditationibus. Non melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. Auctor de Spiritu, & anima: Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram. Non eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non avem, aut aliquod de animalibus, sed voluit me esse hominem: dedit mihi vivere, sentire, discernere, & intelligere. Perieram, & ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit, mortem sustinuit, mortem vicit, & sic me restauravit. Idem; Multa sunt in me, de quibus coram Deo erubesco, & pro quibus valde illi displicere timeo: nec pro omnibus his, quod illi impendam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim melius, &c. ut supra. Idem: Amat Deus, ut ametur; & cum amat ni-

Ibid. cir. med. — *Ibid. paulo post.* — *Ibid. conf.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Idem lib. Med. de dilig. Deo c. 6 t. 9 & de sp. & an. c. 17 in fi. t. 3 Auct. de sp. & ani. loco cit. in fr. apud Aug. t. 3* — *Ibid. post med.* — *Ibid. c. 16 paulo post med.*

A hil aliud vult quam amari, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint: per amorem venit ad homines, venit in homines, factus est homo, & deliciæ illius esse cum filiis hominum. Joannes Chrysost. super Matthæum: Omnis species justitiæ in malis invenitur, sed sola gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in servis Dei. Idem de compunctione cordis: Hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis suis, & charis efferunt, & produnt, & flammas amoris intra pectus cohibere non possunt. Idem: super Joannem: Etsi fratres insanabiliter ægrotaverint, maneamus curantes, & portemus adinvicem onera, ita enim implebimus legem Christi, & B promissis potiemur bonis. Idem: Vitam nihil ita facit claram, ut amor. Bernardus de amore Dei, loquens de verbo illo Lucæ: Diliges Dominum, &c. Quatuor in Deum a nobis, & toti exiguntur affectus, in eo quod dicit; Ex toto corde tuo, totam sibi vendicat voluntatem; in tota anima, totum amorem: In omnibus viribus, virtutem designat charitatis: in tota mente, fruitionem sapientiæ. Primum autem horum scilicet voluntas, ad Deum animam movet, amor promovet, charitas contemplatur, sapientia fruitur. Idem: Nihil aliud est amor, quam vehemens, & bene ordinata voluntas. Idem: Te Domine velle, & vehementer velle, quod C est te amare, & singulariter amare: quia amari non dignaris cum aliqua alia re, sive carnali, sive spirituali, sive terrestri, sive cælesti, quæ non ametur pro te. Hoc demum est non velle nisi bonum, hoc est habere quæcumque vult omnia; quia habet te quis, inquantum amat te. Idem de diligendo Deo: Causa diligendi Deum Deus est, modus est sine modo diligere. Idem: Vide quo modo immo quam sine modo a nobis Deus amari meruit: qui prior ipse dilexit nos, tantus, & tantum & gratis, tantillos & tales. Idem; Non sine præmio diligitur Deus. Etsi absque præmii intuitu sit diligendus. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe non

Chr. in Matt. op. imp. ho. 5 cir. fi. o. 2 — *Idem de comp. cord. lib. 1 post med. t. 5* — *Est apud. Ber. de nat. & dig. Di. amor c. 1 in prin.* — *Idem de am. Dei c. 7 Ibi. t. 8* — *Idem de dil. Deo in prin.* — *Ibid. ante med.* — *Ibid.*

Ibid. non quærit, quæ sua sunt: affectus A est, non contractus. Idem: Quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. *Idem sup. Cant. ser. 27 post med.* Idem super Cantica: Quantitas uniuscujusque animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet: ut verbi gratia, quæ multum charitatis habet, magna sit: quæ parum, parva: quæ vero nihil, nihil, dicente Apostolo: *1 Cor. 13* Si charitatem non habuero, nihil sum. *Ibid. ser. 9 non longe a prin.* Idem: Nec ignoro, quia honor regis judicium diligit, sed præceps amor, nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur: Rogo, supplico, flagito, osculetur me osculo oris sui. *Ibid. ser. 85 post med. Ibid. ser. 20 paulo post med.* Idem: Ubi amor est, B labor non est, sed sapor. Idem: Non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. *Ibid. in princ.* Idem: Valde mihi amandus est, per quem sum, vivo, & sapio, si ingratus non sum, & indignus. Dignus plane est morte, qui tibi Domine recusat vivere, & mortuus est, & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. *Ibid. ser. 31 post. med.* Idem: Spiritus est Deus, & concupiscit decorem animæ illius, quam forte adverterit in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in desiderio, præsertim cum sui amore flagrantem conspexerit. *Ibid. ser. 14 ante med.* Idem: Fateor non sustinui pondus diei, & C æstus, sed jugum suave, & onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius horæ, & si plus, præ amore non sentio. *Idem de 12 grad. hum. longe aliq. a prin.* Idem de duodecim gradibus: Vere dulcis, & suavis cibus charitas, quæ fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat, denique jugum veritatis facit suave, & onus leve. *Idem de prec. & disp. ver. fi.* Idem de præcepto & dispensatione: Fons vitæ charitas est; nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauserit: Haurire porro quo modo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui charitas est, quæ Deus est? Præsens ergo Deo est, qui amat Deum, inquantum amat. *Idem ep. 2 ad Ful. non longe a pr.* Idem in Epistola; Bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. *Idem. ep. 143 ad Clarev. in fi.* Idem: Servite in charitate illa, quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus urget. *Idem in Apol. ad Gul. abb. an. e med.* Idem in apologia: O quanta fiducia charitatis, alius operatur non amans, & alius amat, nihil operans. Ille quidem opus suum perdit, istius vero charitas numquam excidit. *Glos. int. Isa. 40* Interlinearis: Omnia facilia amanti: *Ibid. Apoc. 6* Interlinearis: Nullum permittit Deus cadere, qui ei servit vero amore.

Caput XXVI.

De quatuor Cardinalibus virtutibus.

Greg. l. 22 Mor. c. 1 Gregorius in Moralibus; Prudentia, temperantia, fortitudo, atque justitia, tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet junctæ. *Idem in Ezec. ho. 22 post in. e.* Idem super Ezechielem: Unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis, & justus; tantum temperans, quantum prudens, fortis, & justus: tantum fortis, quantum prudens, temperans, & justus; tantum justus, quantum prudens, temperans, & fortis. *Aug. l. 14 de Tr. c. 9 tom. 3* Augustinus; In hac dilectione, supra de charitate. Idem de Trinitate: Illud, quod agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit. *Idem de Mor. Eccl. 1 c. 15 t. 1* Idem de moribus Ecclesiæ: Illas quatuor virtutes, quarum utinam ita in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam diffinire non dubitem: ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei, quod amatur: Fortitudo, amor facile tolerans omnia, propter id, quod amatur: Justitia, amor soli amato serviens, & propterea, recte dominans: Prudentia, amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter eligens. Unde mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis, est ordo amoris. *Idem de civ. Dei li. 15 c. 22* Isidorus in Etymologiis: Prudentia est in rebus, qua a bonis mala discernuntur. Fortitudo est, qua adversa æquanimiter toleran-

rantur. Temperantia est, qua libido concupiscentiaque rerum refrænatur. Justitia, qua recte judicando, sua cuique distribuuntur. Hieronymus in Epistola: [Hier. ep. 2 ad Nep. post med. t. 1] Vis scire quales quærat Dominus ornatus? habeto justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Idem in originali super Naum; [Idem in Na. c. 3 t. 5] Quo modo quatuor, quibus pugnamus, & tegimur, sunt scuta virtutum, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo: ita econtrario quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. Bernardus de consideratione: [Bern. de consid. ad Eug. li. 1 post. med.] Justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet.

Caput XXVII.

De Prudentia.

Gregorius in Moralibus: [Greg. l. 7 Mor. c. 15 post med.] Cum rectitudo sanctos viros ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. Idem in homiliis: [Idem ho. 34 in Ev. propr fi.] Cogitate quid facitis, recogitate quid fecistis: largitatem supernæ pietatis aspicite, & ad misericordiæ judicem, dum adhuc expectat, cum lachrymis venite. Idem in registro: [Idem reg. lib. 2 ind. 10 c. 6] Summis in rebus, citum non oportet esse consilium. Idem: [Ibid. li. 7 ind. 2 c. 125 circa med.] Via est vita præsens: & tanto quisque necesse est, ut insidiantes spiritus caveat, quanto majora sunt dona, quæ portat. Idem super Ezechielem: [Idem in Ezech. ho. 12 post me.] Restat, ut sive in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, seu per abstinentiam carnem domemus, seu zelo moveamur, seu per patientiam aliquando leviter prava toleremus, ut summopere debeamus in intentione nostra discutere; quatenus omne, quod facimus, non nostro, sed Domini zelo faciamus. Augustinus de soliloquiis: [Aug. de sol. li. 1 c. 14 in pr. t. 1] Cavendum est magnopere, dum hoc corpus agimus, ne quo sensibilium visco pennæ nostræ impediantur: quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus. Idem de singularitate clericorum: [Est apud Cyp. in ed.] [Pam. l. de sing. cler. t. 2 cir. med t. 3] Utilius est, ut infirmum si homo cognoscat, & fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. Isidorus de etymologiis; [Isid. ety. l. 10 verb. pr.] Prudens dicitur, quasi porro videns, perspicax est enim & incertorum prævidet casus. Idem in synonimis: [Idem in syn. c. 16 ante med.] Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est: quidquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta, pro vitio deputatur. Idem; Nihil juvat, &c. Infra lib. 4. de exercitio. Hieronymus: Prudentia absque bonitate, &c. Infra lib. 3. de malitia. Ambrosius de officiis: [Amb. de offi. l. 1 c. 10 t. 4] Sapiens ut loquatur, multa prius considerat, quid dicat, & cui dicat, quo in loco, & tempore. Bernardus de consideratione; [Ber. de consid. ad Eug. l. 2 ante med.] Quantum ad considerationis attinet fructum, quatuor tibi consideranda reor, te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt. A te, tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Idem: [Ibid post. pauca.] Tui consideratio in tria quidem dividitur, si consideras quid, quis, aut qualis sis. Quid in natura, quis in persona, qualis in moribus. Idem: [Ibid. l. 1 paulo post med.] Consideratio mentem purificat, regit deinde affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Idem: [Ibid. cons.] Consideratio confusa determinat, hiantia comprimit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera investigat, verisimilia examinat, ficta, & fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, recogitat acta, ut nihil in mente resideat incorrectum. Idem super cantica: [Idem sup. Can. ser. 39 circa med.] Discretio est non tam virtus, quam quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum & morum doctrix: tolle hanc, & virtus vitium erit. Idem; [Ibid. ser. 57 statim a prin.] Anima, quæ amat, vigilat, & observat: & beata, quam Dominus invenerit vigilantem. Non transibit eam, nec præteribit ab ea, sed stabit, & loquetur ei, loqueturque amatoria, loquetur siquidem ut dilectus. Idem de duodecim gradibus: [Idem de 12 grad. ante med.] inquirimus veritatem in nobisipsis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos, dijudicando: in proximis, eorum malis compatiendo: in sui natura, mundo corde contemplan-

Idem in decl. super ecce nos post med.

plando. Idem in sermonibus: Sedens, computa quid diebus singulis acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullum esse bonum omnino irremuneratum, nec aliquod malum impunitum, & sicut non capillum de capite, sic nec momentum de tempore periturum.

Tul. de inv. l. 2

Tullius in Rhetoricis: Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & utrarumque scientia. Patres ejus memoria, intelligentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit, quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit.

Caput XXVIII.

De Memoria.

Greg. ho. 7 in Ev. post med.

Gregorius in homiliis: Cum bona fratres agitis, semper ad memoriam mala acta revocate, ut dum caute culpa conspicitur, numquam de bono opere incaute animus lætetur. Idem in registro: Cogitationum illecebras, linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam revocemus, & dum licet, & tempus habemus, magno planctu iniquitatum nostrarum maculas deleamus.

Idem in Ezec. ho. 11 post me.

Idem super Ezechielem: Cum mala committimus, frustra tunc ad memoriam bona nostra transacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum.

Ibid. ho. 18 post med.

Idem: Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur.

Idem l. 5 Mor. c. 31

Idem in Moralibus: Patienter illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.

Ibid. l. 30 c. 9 ci. med.

Idem: Cum voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, ut eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuita bona percepisse. Idem; Quisquis a præceptis. Infra libro 3. de remorsu conscientiæ.

Idem l. 30 Mor. c. 6. ci. med.

Idem sueer illud Job: Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Ac si justificato peccatori aperte veritas dicat: Virtutes a me acceptas tibi non tribuas. Noli contra me de meo munere extolli. Recole ubi te inveni, quando meo te timore solidavi. Ut ergo ego in te non destruam, quod constuxi, ipse non cesses considerare, quod in te reperi.

Isid. de sum. bo. l. 2 c. 12 sen. 5

Isidorus de summo bono: Quisquis peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tunc Dei se visitari sciat præsentia, quando ex eo quod se admisisse recolit, interius erubescit, suoque judicio pœnitendo jam punit.

Aug. l. 3 de Tri. c. 10 post. med. tom. 3

Augustinus de Trinitate; Mihi utile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam, ut meminerint suarum, ne ultra quam tutum est, progrediatur humana infirmitas. Ambrosius in apologia: Sapiens si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur, ante oculos ejus semper error est proprius, & momentis omnibus pulsat culpa conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci finit. Hieronymus: Nec David, &c. Infra lib. 3. de familiaritate. Joannes Chrysostomus: Quando accubueris, &c. lib. 4. de discussione. Idem: super Epistolam ad Heb. Nullum invenitur delictorum tale remedium, sicut eorum continuata memoria.

Ber. de consid. ad Eug. li. 2 post. med.

Bernardus de consideratione; Inter alia consideranda, qualis sis, & qualis fueris, ad memoriam revocandum est: conferenda sunt enim posteriora prioribus, & priora sequentibus, utrum ne profeceris in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum, aut ab his forte, quod absit, defeceris. Idem: Tertia contemplatio, &c. Infra lib. 4. de contemplatione.

Idem ep. de vita sol. ad fra. de Monte Dei cir. med.

Idem in Epistola: Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnumquam etiam somniare juvet.

Idem in Dan. ser. 20 post. med.

Idem super Cantica: Is qui Christo passo pie compatitur, compungitur, & movetur facile ad memoriam eorum quæ pertulit, atque istius suavitate devotionis pascitur, & confortatur, ad quæque salubria, honesta, pia.

Sen. ep. 11

Seneca in Epistola: Aliquis vir bonus eligendus est, atque semper ante oculos habendus, ut sic, tamquam illo spectante, vivamus, & omnia tamquam illo vidente,

dente, faciamus. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus, se componat, atque ordinet:

Caput XXIX.

De Intelligentia.

Greg. l. 17 Mor. c. 10 non longe a prin. Gregorius in Moralibus: Ne contra auctorem suum homo superbiat, consideret unde huc venit, & intelligat quid sit. *Ibid. l. 22 c. 7 cir. fi.* Idem: Dum pensamus quales erga aliquos fuimus, esse circa nos tales alios minus dolemus: quia aliena injustitia in nobis vindicat, quod in se juste conscientia nostra accusat. *Ibid. l. 24 c. 6 ante med.* Idem: Qui plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur quantum ipse deserto bono deformis est. *Ibid. l. 26 c. 22 ante med.* Idem: Tunc vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia a nobis servari non possunt. *Ibid. l. 28 c. 27 post med.* Idem; Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem, & pulverem se esse professus est, nisi cum habere meruerit Dei colloquium. *Ibid. l. 22 c. 2 cir. fi.* Idem: Sancti viri ingenii virtutem ad cognoscendam infirmitatem propriam dirigunt, atque est infirmitatis suæ melius cognitione convalescunt. *Ibid. c. 3 post med.* Idem: Numquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Idem: Sancti viri minime. Infra de exercitio lib. 4. *Ibid. l. 24 c. 6 in pr.* Idem: Nemo fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre quod est. *Ibid l. 25 cap. 5* Idem: Nulla est cognitio reprehensionis, si non sequantur etiam lamenta pœnitudinis. *Ibid. l. 27 cap. 22* Idem; In hoc mundo dum vivimus; tunc perfecte quæ scienda sunt scimus, cum proficientes per intelligentiam, nil nos perfecte scire cognoscimus. *Ibid. l. 23 cap. 10* Idem: Vera scientia afficit, non extollit: nec superbientes, quos impleverit, sed lamentantes facit. Idem Sæpe dum quosdam. Infra lib. [A] 3. de discordia. *Idem regi. l. 12 Ind. 7 interrog.* Idem in registro: Bonarum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. *Aug. c. 10 Idem in Ezec. ho. 1 non longe a prin.* Idem super Ezechielem; Recte Prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. *Ibid. inf.* Idem: Spiritus Prophetiæ, nec semper, nec eodem modo Prophetæ animum tangit. *Ibid. post med.* Idem: Aliquando Prophetiæ spiritus Prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est: quatenus cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere, cum habent. *Aug. de civ. Dei li. 11 c. 25 t. 5* Augustinus de civitate Dei: Tria sunt, quæ in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat, natura, doctrina, usus. Natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu, dijudicandus est. [B] *Ibid. l. 16 c. 2 ante med.* Idem: Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur intelligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab adversario mota quæstio, dicendi nobis existit occasio. *Idem 83 q. l. q. 35 post med. t. 4* Idem de octoginta tribus quæstionibus: Nullum bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur. *Idem de doct. Chr. l. 2 c. 31* Idem de Doctrina Christiana: Disputationis disciplina, ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, per intellectum, penetranda, & dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi. *Ibid. l. 4 cap. 11* Idem: [C] Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. *Idem de bo. per. l. 2 c. 24 ante med. t. 7* Idem de bono perseverantiæ: Non simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. *Idem de Tr. l. 4 in proem.* Idem de Trinitate. Scientiam terrestrium cælestiumque rerum, magni æstimare solet genus humanum, in quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos, laudabiliorque est animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non prospecta, vias siderum scrutatur, ignorans viam, qua ingrediatur ad cœlum. Isidorus de Summo bono: Nihil pejus, quam culpam agnoscere, nec deflere. *Cassiod. l. de an. c 18 ante med.* Cassiodorus in libro de anima: nimia magnitudo est suam intelligere parvitatem, nec prævalet hoc ipsum nosse, nisi cum cœperint

Ber. med. c. 1 in prin. divina patefcere. Bernardus in meditationibus: Ab exterioribus ad interiora redeam, ab inferioribus ad superiora afcendam, ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado, quid sim, vel unde sim, ut per cognitionem mei possim pervenire ad cognitionem Dei. Idem ep. 29.1 Idem in Epistola: O utinam saperes, & intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, quæ Dei sunt: intelligeres, quæ mundi sunt: provideres, quæ inferni sunt, profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres. Idem ep. de vita sol. ante med. Idem: Qui perfecte se examinando cognoscit, suo peccato nullius peccatum par æstimat, quod non sicut suum intelligit. Idem sup. Cant. ser. 36 ante med. Idem super Cantica: Est quidem, quantum in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritati subnixa sit: sed tu, qui cum timore, & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius ampliusque curato, quæ præsenseris viciniora saluti. Ibid. post med. Idem: An non inflationes, & torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens, videlicet bonum, & non faciens? An non responsum mortis, & damnationis toties in semetipsos habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus: Quia servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, digne vapulabit plagis multis. Idem ser. 3 in die Pent. circ. med. Idem in sermonibus: Super omnes docentes me intellexi. Quare inquam? Numquid quia bysso & purpura me indui? quia lautioribus epulis abundavi? numquid quia Platonis argutias, aut Aristotelis versutias intellexi? aut ut intelligerem laboravi? Absit, inquam, sed quia testimonia tua exquisivi. Idem: Orans sanctus quidam, Deus, inquit, noverim me, noverim te, brevis oratio, sed fidelis. Hæc est enim vera Philosophia, & utraque cognitio prorsus necessaria ad salutem. Ex priori siquidem, timor concipitur & humilitas: ex posteriore, spes & charitas generatur. Boetius: Humanæ naturæ. Infra lib. 3. de ignorantia. Anselmus: Primus gradus lib. 4. de humilitate. Glos. Luc. 6 Glossa: Ubi majus donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Senec. ep. 88 cir. med.

A Seneca in Epistola: Quare liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad excipiendam virtutem præparant. Idem ep. 10 in fin. Idem: Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem, intus teipsum considera, nec qualis sis aliis crede. Idem ep. 10 in fin. Idem: Initium salutis, est notitia peccati. Nam qui peccare nescit, corrigi non vult. Idem ep. 28 prope fi.

Caput XXX.

De Prudentia.

Gregorius in Moralibus; Quod valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida, & remuneratione levigatur. Greg. l. 8 Mor. c. 5 non longe a prin. B Idem: Is, qui cuncta priusquam veniant, conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscit. Ibid. l. 9 c. 6 non mult. a pr. Idem: Qui in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare, quod dicit. Ibid. l. 8 c. 2 Idem: Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset. Ibid l. 16 c. ult. Idem: In omni, quod dicitur, necesse est, ut causa tempus, & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si veritatem sententiæ, & congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnat. Ibid. li. 6 c. 18 cir. fi. C Idem super Ezechielem: Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Sed hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens invigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant. Idem in Ezech. ho. 7 non longe a prin Idem in registro: Terribilem judicem venientem considera, & de adventu illius nunc conscientia tua contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cælum & terra tremuerit. Idem reg. l. 1 idd. 9 c. 42 cir. fin. Isidorus in synonimis: Perspice quod, cui aptum sit tempori, quid, ubi, quantum, quamdiu facere debeas. Isid. in synon. c. 17 ante med. Idem: Cum diu cogitaveris, tunc fac, quod probaveris. Ibid. c. 13 Ambrosius in Epistola: Mens bona, speculatrix consiliorum suorum est, prius examinat, quid decorum atque hone-

nestum. Hieronymus: Caute omnes. Infra lib. 4. de fama. August. de singularitate clericorum: Amator est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum: & ipse est providus, qui solicitus fit cladibus ceterorum. Bernardus de consideratione: Non oportet, ut vitia domus tuæ ultimus scias, quod quamplurimis novimus contigisse. Quapropter alius alia dispenset, de disciplina tu provide. Idem. Spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse a nemine judicetur: omne opus suum trina quadam consideratione prævenit, primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Idem: Diligenter vero omne, quod faciendum erit, tracta apud te, & cum his, qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera tractatio. Idem in meditationibus: Habes domum, o anima, sed cito casura est domus tua, tu quoque, nisi aliam provideris vento & pluviæ exponenda. Idem in sermonibus: In omnibus operibus tuis memorare novissima, horrorem mortis, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum, ab oculis cordis tui nullatenus patiaris elongari. Idem: Cum judicium carnis ex anima pendeat, nihil carni potest utilius, quam salus animæ provideri, ut videlicet in tempore sit respectus illius, & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereamur.

Est apud. Cyp. l. de sing. cle. c. 2 tom. 3

Ber. de consid. ad Eug. l. 4 post med.

Ibid. l. 3 post med.

Ibid. l. 4 paulo ante med.

Idem ser. 1 in fest. om. sanct. ante med.

Idem decl. sup. Ecce nos, paulo ante med.

Caput XXXI.

De Fortitudine.

Gregorius in Moralibus: Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum corde superare. Idem: Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt: & quo robustius æterna appetunt, eo fortius a temporalibus salubri defectione lassantur. Idem: Tanto unusquisque ad fortitudinem

Greg. l. 7 Mor. c. 8 in prin.

Ibid l. 4 c. 30 ante med.

Ibid. l. 5 c. 13 cir. fin.

A profecisse verius demonstratur, quanto aliena mala æquanimius tolerat. Idem in registro: Mores meos bene habes cognitos, quia diu porto: sed, si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado. Hieronymus in Epistola: Nihil eo fortius qui vincit diabolum, nihil imbecillius, quam qui a carne superatur. Idem in originali super Isaiam: Fortitudo atque constantia via regia est, a qua declinat ad dexteram, qui temerarius est & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est & pavidus. August. ad Hieronymum de sententia Jacobi Apostoli: Qui vera virtute fortis est, nec timere audet, nec inconsulte timet. Ambrosius de B Officiis: Est fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et re vera jure ea fortitudo vocatur, cum unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Idem: Non in inferenda, sed depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Idem: Fortitudo invicta est ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec, ut dicitur, ave dicat, pecuniam ne- C gligat, avaritiam fugiat, tamquam labem quamdam, quæ virtutem effœminet. Idem super Lucam: Fortitudo animum corpusque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo, vel dolore. Seneca in Epistola: Sapiens & fortis ad omnem incursum munitus & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet intrepidus, & contra illa ibit, & inter illa stabit. Idem: Sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit: sin minus in paupertate: in patria si poterit, sin minus in exilio: si poterit Imperator, sin minus miles: si poterit integer, sin minus debilis. Multa infra lib. 4. de certamine.

Idem reg. l. 7 ind. 1 c. 1

Hier. com. in Isa. l. 16 c. 57 t. 4

Aug. ep. 29 ad Hier. ante med. tom. 2

Amb. de off. l. 1 c. 36 ante med. tom. 4

Ibid. in pro

Ibid. c. 19

Idem in Luc. l. 5 c. 6 tom. 3

Sen. ep. 59 paulo ante med.

Idem ep. 85 vers. fin.

Caput XXXII.

De constantia.

Greg. ho. 6 in Ev. cir. med. Gregorius in homiliis: Non nos prospera elevent, non adversa perturbent: ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur. *Idem li. 8 Mor. c. 1* Idem in Moralibus: Sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi umquam a veritate conticescunt. *Ibid. l. 14 c. 1 post. med.* Idem: Electi ipsa, quæ fortiter tolerant supplicia, perhorrescunt, ita ut in eis uno eodemque tempore, & constantia ex virtute sit, & pavor ex carne. *Ibid. l. 31 c. 14 ante med.* Idem: Justi viri securitas recte leoni comparatur: quia cum contra se quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ constantiam redit, & scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitus nullo modo amittit. *Ibid. l. 31 c. 15 cir. me.* Idem: Vir sanctus quo majore persecutione premitur, eo ad prædicandum veritatem acrius instigatur, & cum constanter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat. *Ibid. l. 22 c. 10 cir. med.* Idem: Si semel in appetitu supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. *Idem in Ezec. ho. 10 ante med.* Idem super Ezechielem: Timeri ab omnibus homo debuerat, si ipse auctorem omnium, ut homo timuisset. Nam, qui rationis sensum ad timorem Dei non habet, tanto in nullo timendus est, quanto hoc, quod ipse esse debuit, non est. *Idem reg. l. 8 ind. 3 c. 26* Idem in registro: Hoc certissime scito, quod placere Deo, & pravis hominibus nullus potest. In tantum ergo se existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit. Idem: Nullius vos. Infra lib. 4. de tranquilitate. August. in Epistola; Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. *Aug. de civ. Dei, l. 5 c. 19 an. med. t. 5* Idem de civitate Dei; Virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam. *Ibid. post. pauca.* Idem: Qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem: quorum tamen si vere bonus est, non contemnit salutem. Idem in sermonibus: Nec valde gaudere debemus, quando laudamur, nec contristari quando vituperamur, quia nec damnare injuria, nec coronare potest laus falsa. *Amb. de off. l. 1 c. 5 tom. 4* Ambros. de officiis: Bene sibi conscius, falsis non debet moveri: nec æstimari plus ponderis in alieno esse convitio, quam in suo testimonio. *Chr. ho. quod. cum de ipsius expul. ageretur in priu. t. 5* Joannes Chrysost. in sermone: Quidquid erroris habet mundus, contemno: quidquid delectabile habet, rideo: divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. Hieronym. in Epistola: Utinam ob Dei mei nomen, atque justitiam, universa me infidelium turba persequatur, & tribulet, utinam in opprobrium meum solidus exurgat hic mundus, tantum ut a Christo merear laudari, & suæ pollicitationis sperare mercedem. *Hier. ep. 99 ad Asf. post. med. tom. 2* Idem: Gratias ago Deo meo, quod dignus sum habitus, quem mundus oderit. *Idem ep. 2 ad Nep. uest. med. tom. 1* Idem; Per bonam & malam famam, a dextris & a sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non divitiis tumet, non confunditur paupertate, & læta contemnit, & tristitia. *Id. ep. 122 quæ est pr. in Hester. tom. 1* Idem: Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus; Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus, quoniam dissipat Deus ossa eorum, qui hominibus placere desiderant. *Sen. ep. 41 cir. med.* Seneca in Epistola; Honores & injuriæ vulgi in promiscuo sunt habendæ, nec his gaudendum, nec illis dolendum. Idem: Animum excellentem, constantem, & moderatum, & omnia tamquam se minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. *Id. ep. 76 cir. med.* Idem: Vir bonus, quod honeste se facturum putaverit, faciet, etiam si laboriosum erit, faciet etiam si periculosum erit. Rursum quod turpe erit non faciet, etiam si pecuniam afferet, etiam si voluptatem, etiam si potentiam, & dignitatem, ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla re invitabitur. *Ibid. ante med.* Idem: Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta va-

vadenti contemnendus est ipse contemptus.

Caput XXXIII.

De Patientia.

Greg. l. 11 Mor. c. 17 GRegorius in Moralibus: Numquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem est vere patiens, qui rebus adversis atteritur, & tamen a spei suæ rectitudine non curvatur. Ibid. l. 2 c. ult. in fin. Idem: Tunc vere ostendimus, quod accepta bona recte tenuimus, cum profecto æquanimiter ad momentum sublata toleramus. Ibid. l. 7 c. 6 cir. fi. Idem: Quos ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus: quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Ibid. l. 13 c. 1 Idem: Sancti viri patienter audiunt, etiam quæ se numquam fecisse meminerunt, quamvis es mala, quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus noverint perpetrata. Ibid. l. 30 c. 9 cir. me. Idem: Tunc illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod aliena injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est supplicium, quod meremur. Idem ho. 9 in Ezec. ante med. Idem super Ezechielem: Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Ib. ho. 17 post med. & hom. 20 post med. Idem: Patientia vera est, quæ etiam ipsum amat, quem portat. Nam tolerare & odisse, non est virtus patientiæ, & mansuetudinis, sed velamentum furoris. Idem l. 1 Dial. c. 2 post med. Idem in Dialogis: Ego virtutem patientiæ & signis, & miraculis majorem credo. Idem hom. 35 in Ev. post med. Idem in homiliis: Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namque sunt, quæ a Deo, alia quæ ab antiquo adversario, alia quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna, & contumelias: ab antiquo adversario tentamenta: a Deo flagella toleramus. Ibid. Idem: Perfecte adversarius vincitur, quando mens nostra, & inter tentamenta diaboli a delectatione, atque consensu omnibus modis refrænatur, & inter contumelias proximi custoditur ab odio, & inter flagella Dei custoditur a murmuratione. Ibid. cir. med. Idem: Patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi: Idem: Ille veraciter. Infra lib. 4 de lætitia. Chr. ho. 18 in Mat. an. med. t. 2 Joannes Chrysost. in originali super illud Matthæi: Audistis quia dictum est, oculum pro oculo, &c. Primus gradus patientiæ est recipere injuriam. Secundus postquam recepta est, non velle vindicari. Tertius est, non facere vexanti hæc quæ passus est, sed quiescere. Quartus tribuere seipsum in patiendo mala. Quintus, & amplius tribuere, quam ipse vult, qui fecit. Sextus, non odio habere eum, qui operatur hæc. Septimus est diligere. Octavus est, benefacere. Nonus est, Deum pro ipso deprecari. Idem ho. 70 in Jo. post med. t. 3 Idem super Joannem: Non memoriam malorum habeamus in eos qui nos lædunt, sed redarguamus eos, & ploremus: ploratu enim digni sunt, non qui patiuntur, sed qui mala faciunt. Nam seipsos quidem maxime lædunt & amarus calumniator, & quicumque alii aliquod malum facit; nobis autem prosunt maxime nisi nosipsos vendicaverimus. August. super Joannem: Pro dilectione Dei debemus patienter persecutiones & mundi odia sustinere, necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle, quod diligit. Aug. l. de pat. c. 6 t. 4 Idem in libro de patientia: Non sicut omnes, qui sciunt, participes sunt scientiæ, ita nec omnes, qui patiuntur, sunt participes patientiæ. Sed qui passione recte utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur. Ibid. c. 17 Idem: Inde est patientia justorum vera, unde est in eis charitas Dei vera, & inde est patientia iniquorum falsa, unde est in eis cupiditas mundi perversa. Ibid. c. 19 Idem: Patientia pauperum Christi, sed ditandorum heredum Christi, non peribit in æternum. Non quia illic patienter ferre debeamus, sed quia pro his, quæ hic patienter pertulimus, illic æterna beatitudine perfruemur. Ibid. c. 12 Idem: Job sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat insipientiam, amicos

docebat sapientiam, & servabat ubique patientiam. Idem de moribus Ecclesiæ: Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur: & prius toleranda, quam sedanda est pestilentia. Idem in libro de ovibus. Tolera, quia toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam: si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam. Et quis est semper bonus? Si te Deus diligenter discutiat, facilius te inveniet etiam nunc malum, quam tu te semper bonum. Ergo toleranda sunt zizania inter frumentum. Idem: Vis desideriorum. Infra libro 4. de desiderio. Ambrosius super Lucam: Christus voluit ab Apostolo suo tradi, ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum errasse judicium, perisse beneficium. Hieron. in Epistola: Libens tunc tormenta patiar, ut tunc futura mihi gloria servetur. Non enim judicabit Dominus bis in idipsum. Isid. de Summo bono: Adversus convicium linguæ, fortitudo est adhibenda patientiæ, ut tentatio verbi, quæ foris impugnat, tolerantiæ virtute victa discedat. Bernardus in Epistola: Vera patientia est pati, vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. Idem in sermonibus: Est homo pacatus, qui bona pro bonis reddens quantum in se est, nemini vult nocere. Est alius patiens, qui non reddens malum pro malo, etiam potens est sustinere nocentem. Est enim pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet prodesse nocenti. Primus quidem parvulus est, & facile scandalizatur: nec facile, qui hujusmodi est, & in hoc sæculo nequam & pleno scandalis poterit obtinere salutem. Secundus, ut scriptum est, in patientia sua possidebit animam suam. Nam tertius quidem non modo suam possidet, sed & multorum animas lucrifacit. Tullius in Rhetoricis: Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio.

Idem de mor. Ecc. l. 1 c. 32 f. 1
Idem de ov. c. 5 f. 9
Amb. in Luc. l. 5 c. 6 to. 3
Isid. de sum. bo. l. 2 c. 29 sent. 4
Ber. ep. 7 ad Adam monachum paulo ante med.
Idem ser. de conv. ad cler. c. 26
Cic. de invent. l. 2 post med.

Caput XXXIV.

De Perseverantia.

Gregorius in registro: Magna est contra peccatum virtutis pœnitentiæ, si quis in eadem pœnitentia perseveret. Idem: Illa Deo nostro semper opera grata sunt, quæ a bonis, quæ cœperint, non recedunt. Idem in Moralibus: In cunctis vigilanter debet se mens circumspicere, atque in ipsa circumspectionis suæ providentia perseverare. Idem: Bene cœpta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantiæ manu teneatur. Idem mirum non est, si quis bona inchoet: sed valde mirabile est, si intentione recta, in bono opere perduret. Augustinus de correptione & gratia: Prædestinatorum fides, quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficiet, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita illa finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Idem de conjugiis adulterinis: Quæ rectissime voventur, cum homines voverunt, nulla conditione rumpenda sunt: quæ sine ulla conditione voverunt. Isidorus de Summo bono: Tunc Deo placet nostra conversatio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Idem in synonymis: Salus inchoantibus promittitur, præmium perseverantibus datur, non est beatus qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit. Qui enim perseveraverit usque in finem, salvus erit. Bernardus in Epistola: Perseverantia sola meretur viribus gloriam, virtutibus coronam. Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Idem Perseverantia vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Idem: Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem.

Greg. reg. l. 9 ind. 4 c. 39 ultra med.
Idem l. 1 Mor. c. 10 & ver. 40
Ib. c. 21 ver. 41
Ibid. l. 22 c. 24 post med.
Aug. de corrept. & grat. c. 7 post med. tom. 7
Idem de conjug. ad. l. 1 c. 24 tom. 6
Is. de sum. bo. l. 2 c. 7 sent. 2
Idem in synon. c. 2 in fi.
Ber. ep. 129 ad Genu. ante med.
Ibid. cons.
Ibid.

dem habet, nec beneficium gloriam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Idem in sermonibus: Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria inquinatur, qui cæteris quibuscumque inficitur pestibus: quoniam non est hoc vivere, sed magis vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. Seneca in Epistola: Plus operis in eo, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. Perseverandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.

Idem ser. 1 in festo Ap. Pet. & Paul. post med.

Sen. ep. 16 fere in pr.

Caput XXXV.

De Temperantia.

Gregorius in Moralibus: Is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus, & arridens timeri debeat, & iratus amari: ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. Idem: Nonnumquam dum nonnulla menti delectatio surrepit, temperantia nostra marcescit. Inquantum enim ad delectationem ducimur, intantum minus ab illicitis temperamus. Idem in homiliis: In talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ corporalibus desideriis non utuntur. Idem in registro: Romanorum semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis lavari, & purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paulum reverenter abstinere. Idem: Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differt tempus furoris cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Idem in pastorali: Cum non malitia, sed sola ignorantia, vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est, ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Augustinus de libero arbitrio: Temperantia est affictio coercens & cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur. Idem de confessionibus: De illecebra odorum non satago nimis: cum absunt, non requiro: cum adsunt, non respuo: semper tamen carere paratus. Idem de opere monachorum: Tanto gloriosius mens ad superiora promovetur: quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur. Idem de singularitate clericorum: Disce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. Ama fœminas inter sacra solemnia, & odio habe in communione privata. Idem de moribus Ecclesiæ: Omne officium temperantiæ est exuere veterem hominem, & in Deo renovari: id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia & divina conferre. Idem: Curiosi esse prohibemur, quod magnæ temperantiæ minus est. Isidorus de Summo bono: Quidquid nimis & ultra modum est, perniciosum fit, studiumque suum in contrarium vertit. In omni ergo opere modum, & temperamentum oportet habere. Idem in synonymis: In omni re tene temperamentum. Nihil intemperantius agas, nec minus, nec nimium aliquid, nec ultra quam oportet, nec infra. Etiam in bonis moderatum esse decet. Idem: Quæ cum temperantia fiunt, salubria sunt, & bona quævis etiam cum immoderato usu, noxia efficiuntur. Nimietas enim omnis, in vitio deputatur. Bernardus de consideratione: Non est temperantia in solis resecandis superfluis, est etiam in admittendis necessariis. Tullius in Rhethoricis: Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio: ejus partes, continentia, clementia, modestia.

Greg. l. 20 Mor. c. 3

Ibid. l. 2 c. 27 non multum a prin.

Idem reg. l. 11 ind. 7 interrog. Aug. c. 10 post med.

Ibid. l. 8 ind. 3 c. 51 post med.

Idem Past. cu. p. 2 c. 10 cir. med.

Aug. de l. arb. l. 1 c. 13 s. 1

Idem conf. l. 10 c. 32 tom. eod.

Idem de opu. Mon. c. 32 prope fi. t. 3

Est apud Cyp. l. de sin. cler. c. 9 ante med. tom. 3

Idem de mor. Eccl. li. 1 c. 19 tom. 1

Ib. c. 21

Isid. de sum. bo. l. 2 c. 43 sent. 10

Idem in syn. c. 16 ante med.

Ibid. post pauca.

Bern. de consid. ad Eug. l. 1 post med.

Cic. de inven. l. 2

Caput XXXVI.

De Continentia gustus.

Gregorius in Moralibus: Per abstinentiam vitia sunt extinguenda, non caro: & tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut & ad culpam caro non superbiat, & ta-

Greg. l. 26 Mor. c. ult. non longe a prin.

tamen ad effectum rectitudinis in opere subsistat. Idem: Virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus suum non edomat quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plusquam ferre valet. Idem in pastorali: incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur. Idem in homiliis: Qui a Paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, inquantum possumus, per abstinentiam resurgamus. Augustinus de confessionibus: Hoc me docuisti Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Idem de bono conjugali: Ad hoc justi cum opus est prandent, ut tamquam boni domini, quod bonum, & justum, & æquum est servis suis, idest corporibus suis præbeant. Idem in sermonibus: Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contribulatum & humiliatum, quod Deus non spernit. Idem in libro de jejunio sabbati: Sicut, quod ait Apostolus, verum est: Malum est homini qui per offensionem manducat, ita malum est homini qui per offensionem jejunat. Joannes Chrysostomus in Acta Apostolorum: Indigentia sicut sanitatis, ita delectationis est mater. Idem super Matthæum. Qui jejunat, & peccat, non ad gloriam Dei jejunat nec se humiliat, sed substantiæ suæ parcit. Idem: Per jejunia cessat. Infra lib. 4. de connexione. Ambrosius in exaemeron: Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vides quanta vis jejunii sit, ut ex sputo jejunus homo terrenum serpentem interficiat, quanto magis ergo serpentem spiritualem per jejunii virtutem. Hieronymus in Epistola: Modicus ac temperatus cibus, & carni animæ utilis est. Idem: Nonnulli pudicam vitam appetentes in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium sufficere putant, & leguminibus onerant stomachum. Idem: Parcus cibus & ven-

Ibid. — *Idem Past. cu. p. 3 c. 2 admon. 20 post me.* — *Idem ho. 16 in Ev. post med.* — *Aug. conf. l. 10 c. 31 ante med. tom. 1* — *Idem de bono con. c. 8 cir. me. tom. 6* — *Idem ser. 230 de temp. ante med. t. 10* — *Idem ep. 86 ad Casu. post med. tom. 2* — *Chr. hom. 16 in act. Ap. prope fi. tom. 3* — *Idem in Mat. op. imp. ho. 15 ante med. tom. 2* — *Amb. in Exae. l. 6 c. 4 cir. fi. t. 1* — *Hier. ep. 4 ad Rust. Mon. ant. med. t. 1* — *Idem ep. 10 ad Fur. paulo post med.* — *Ibid post pauca.*

A ter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur: & multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia enim illa optima est, quæ sensim descendit in terram: subitus autem & nimius imber in præceps arva subvertit. Isidorus de Summo bono: Abstinentia & vivificat & occidit: vivificat animam, & corpus necat. Idem: Jejunia cum operibus bonis Deo acceptabilia sunt. Qui a cibis abstinent, & prava agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper est. Idem: Spernitur a Deo ieiunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur. Neque enim reputanda est abstinentia, ubi fuerit ventris saturitas subsecuta. B Bernardus in Epistola: Observandus est sumendi modus & tempus, cibi quantitas & qualitas: fugienda quoque sunt superflua & adulterina condimenta. Observandus est modus, ut non effundat, qui comedit, animam suam super omnem cibum: tempus, ne ante horam: qualitas, qualibus utitur: Communitas, fraternitatis, excepta causa manifestæ infirmitatis. Idem in sermonibus: Si gula sola peccavit, sola quoque ieiunet, & sufficit: si vero peccaverunt & membra cetera, quare non ieiunent & ipsa? Jeiunet ergo oculus, qui deprædatus est animam, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa, supple a propria voluntate. C Idem: Jeiunium non solum est abolitio peccatorum, sed extirpatio vitiorum; nec solum obtinet veniam, sed meretur & gratiam: nec solum delet peccata præterita, quæ commisimus, sed etiam repellit futura, quæ committere poteramus.

Isi. de sum. bo. l. 2 c. 44 sent. 4 — *Ibidem. sent. 8* — *Ibidem. sent. 10* — *Bern ep. de vita sol. cir. med.* — *Idem ser. 3 in quad. post med.* — *Ibid. ser. 4 ante med.*

Caput XXXVII.

De Continentia tactus.

Gregorius in Moralibus: Nulla sunt cetera bona, si occulti iudicis oculis, castitatis testimonio non approbantur. Idem: Nulla est castitas carnis, quam non commendat suavitas mentis. Idem in pastorali: quos onus licitum coniugii non gravat,

Greg. l. 21 Mor. c. 3 fere in prin. — *Ibid. l. 6 Mor. c. 16 post med.* — *Idem past. cu. p. 3 c. 28 adm. 28 post med.*

vat, nequaquam pondus illicitum terrenæ folicitudinis premat, sed tanto eos paratiores dies ultima, quanto expeditiores inveniat: ne quo meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eo suplicia deteriora mereantur. Idem in registro: Custodienda est munditia corporis in studiis bonæ actionis. Ambrosius de viduitate: Castitas solitudinem quærit: pudica secretum: impudica conventum. Idem in Epistola: Prima castitatis victoria, est facultatem cupiditatis vincere: quia lucri studium, tentatio pudoris est. Augustinus de virginitate sancta: Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia: ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritui prius insita castitate. Idem de Ecclesiasticis dogmatibus: Melior est continentia nuptiis, sed non sibi sola sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur: sed si & cum affectu causa vacandi Domino eligitur: alioquin divortium magis conjugium videbitur esse, quam appetitus castitatis. Idem de Soliloquiis: Quantum uxorem velis pingere, atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quam concubitum esse decrevi. Nihil enim sentio, quod magis ex arce virtutis deiiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. Idem de civitate Dei: Ita non admittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur & corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Idem in Epistola: Quidquid in carne nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis; omnisque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere reputabitur. Idem: Pudicitiam, supra de consensu. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Omnes virtutes spirituales, res sunt angelicæ, præcipue tamen castitas res est angelica: per hanc enim solum singulariter homines angelis similantur, & vincitur natura virtutibus. Idem: Illa est gloriosa continentia,

Idem reg. l. 7 ind. 2 c. 25 post med.
Amb. l. de vi. post me. tom. 4
Idem ep. l. 2 ep. 12 ante med. tom. 5
Aug. de virg. sanc. c. 8 t. 6
Idem de Ecc dog. c. 64 t. 3
Idem sol. l. 1 c. 10 tom. 1
Idem de civ. Dei, l. 1 c. 18 tom. 5
Idem ep. 122 ad Vict. in fi. t. 2
Chr. ho. 32 op. imp. post. med. tom. 2

A non quam transgredi non potest necessitas, vel debilitas corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. Hieronymus in Epistola: Grandis virtutis est & solicitæ diligentiæ, superare quod nata sis in carne, non tamen carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare. Item: Magnus est pudicitiæ labor, sed majus est præmium: temporalis custodia, sed remuneratio æterna. Isidorus de Summo bono: Amanda est pulchritudo castatis, cujus degustata delectatio dulcior invenitur, quam carnis. Castitas enim fructus est suavitatis, pulchritudo inviolata sanctorum: castitas securitas mentis, sanitas corporis. Idem:
B Nequaquam in senectute. Infra lib. 4 de certamine. Idem in Etymologiis: Continens non solum in castitate dicitur, sed & in cibo, & in potu, in ira quoque & vexatione mentis, & detrahendi libidine. Nam continens dicitur, quod se a multis abstineat, Cyprianus de duodecim abusionibus. Pudicitia nobilium ornamentum est: exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mæstorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, Dei creatoris omnium amica. Bernardus in Epistola: Quid castitate
C decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & angelus, sed felicitate non virtute. Nam etsi castitas illius felicior, hujus tamen cognoscitur esse fortior. Idem: Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Item in sermonibus: Continendum est in veritate, quidam enim continent ex necessitate, non habentes aut loci aut temporis, aut instrumentorum opportunitatem: quidam ex vanitate, propter favorem videlicet hominum, vel aliquod temporale commodum: quidam ex veritate, soli Deo placere cupientes.

Hier. ep. 10 ad Fur. ante med. tom. 1
Idem ep. 14 ad Maur. fil. non lon. a pr. t. 9
Isid. de sum. bo. l. 2 c. 40 sent. 5
Idem l. 10 etym. ver. continens.
Cyp. de 12 abus. c. 5 in fi. tom. 3
Ber. ep. 42 ad Henr. Sen. Arch. ante med.
Ibid. cons.

Caput XXXVIII.

De Continentia visus.

[*Greg. l. 21 Mor. c. 1 cir. med.*] Gregorius in Moralibus: Ne quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quod intueri non decet, quod non licet concupisci. [*Ibid. c. 6*] Idem: Sancti viri cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingrediuntur, disciplinæ magisterio lumina restringunt, ne pravæ cogitationi visio lenocinata famuletur. [*Aug. reg. 3 c. 11 t. 1*] Augustinus in regula: Oculi vestri, etsi jactantur in aliquam fœminarum, in nulla figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. [*Idem conf. l. 19 c. 34 tom. eod.*] Idem de confessionibus: Resisto seductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes affectus mei, quibus ingredior viam tuam Deus meus, & erigo ad te invisibiles oculos meos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. [*Idem de ve. & fal. pen. c. 15 tom. 4*] Idem de pœnitentia: Cohibeat se a ludis, a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi gratiam remissionis. Nam Dina si se cohibuisset, si inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non fuisset. [*Isid. in syn. c. 5*] Isidorus in synonymis: Tolle occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi: si vis esse a fornicatione tutus, esto corpore, & visione discretus. [*Ibid. c. 6 post med.*] Idem: Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce. Incede abjecto vultu, humiliato ore, deposita facie. [*Amb. l. 1 de off. c. 18 tom. 4*] Ambrosius de officiis: Est in oculis verecundia, ut nec videre viros fœmina pudica, nec videri velit. [*Idem in Luc. l. 4 c. 4 tom. 3*] Idem super Lucam: Quod non videris, non amabis, sed ubi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, & mens consortio amoris inflectitur. [*Ber. ep. de vita sol. an. med.*] Bernardus in Epistola: Ut te ipsum semper aspicias, ab omnibus oculos averte. [*Idem de 12 grad. hum. gradu 1*] Idem de duodecim gradibus: Ut quid audes oculos levare ad cælum, qui peccasti in cælum? Terram intuere, ut cognoscas teipsum: ipse te ibi repræsentabit, quia terra es, & in terram

A ibis. Duabus tamen causis inculpabiliter oculos levas, ut petas auxilium a Deo, vel impendas proximo. [*Sen. ep. 69 ante med.*] Seneca in Epistola: Qui deponere vult debderia rerum omnium, quarum cupiditate flagraverit, & oculos, & aures ab his, quæ relinquit, avertat.

Caput XXXIX.

De Continentia auditus.

[*Greg. l. 7 Mor. c. 6 post med.*] Gregorius in Moralibus: Necesse est, ut nec ad aures veniat, quod mens a cogitationis aditu vigilans repellat. [*Aug. l. de 10 chor. t. 4 post med.*] Augustinus de decem chordis: Cur ambulamus dele-B ctati vanis canticis, nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt a virtute defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum amaritudine digerunt, quod cum temporali delectatione, & dulcedine biberunt. [*Hier. ep. 105 quæ est præf. in Ios. tom. 3*] Hieronymus in Epistola: Nos ad patriam festinantes, mortiferos sirenarum cantus, surda debemus aure transire. [*Idem ep. 14 ad Mau. fil. longe post med. t. 9*] Idem: Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, & auditum tuum ad bonorum magis laudem, quam ad malorum vituperationem commoda. [*Ib. paulo ante.*] Idem; Non licet tibi al-C terius vituperationem patienter audire, quia nec ab aliis optas recipi tuam. [*Isi. in syn. c. 9 post. med.*] Isidorus in synonymis: Nulla aures tuas sermonum impudicitia subrepat. Vanus sermo cito polluit mentem, & facile agitur, quod libenter auditur. Bernardus: Verbum scurrile. Infra lib. 3. de stultiloquio.

Caput XL.

De Clementia.

[*Greg. l. 22 Mor. c. 7*] Gregorius in Moralibus: Minor est virtus certaminis, foris quempiam videre mala, quæ superet, & intus quod toleret non habere. Perfectæ autem mansuetudinis, & clementiæ laus est, adversa perpeti, &

& exterius fortiter, & interius clementer. Augustinus in sermone Domini in monte: Mitis est, qui cedit improbitatibus, & non resistit in malo, sed vincit in bono malum. Idem in Epistola: Malis parce vir mitis & bone: & quanto melior es, tanto mitior esto, & quanto sis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Mansuetus neque irritat malum, neque irritatur a malo, neque adversus eum prævalet causa peccati, neque adversus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi: sed magis contentus est injuriam pati, quam facere. Idem: Ille est vere mansuetus, qui cum nocitus fuerit ab alio, nec cogitat facere malum, nec facit. Idem super Joannem: Si cogitaverimus quoniam non ei qui contristavit, sed nobisipsis largimur, cito dimittemus venenum iræ, & vindictæ. Ambrosius in Lucam: Non habet ultionis studium perfecta virtus, nec ulla est iracundia, ubi plenitudo est charitatis. Isidorus in synonymis: Aufer a corde fraternam offensionem, alienæ nequitiæ non serves dolorem. Idem: Supplici oranti veniam deprecare, petenti quoque tibi veniam, libenter indulge. Beda in glossa. Luc. 9 Non semper in eos, qui peccant est vindicandum: quia numquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. Seneca de clementia: Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. Idem: Magni animi proprium est, placidum esse, tranquillumque, & injurias atque offensiones spernere. Idem: Clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse, injurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune læso. Idem: Nullum clementia ex omnibus magis quam principem decet. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum.

Aug. de ser. Dom. in mon. l. 1 ca. 3 to. 4
Idem ep. 63 ad Mace. ante med. tom. 2
Chrys. op. imp ho. 9 ante med. tom. 2
Ibid. post pauca.
Amb. in Luc. li. 6 ca. 9 to. 3
Isid. in syno. cap. 8 in fin.
Ibid. paulo ante.
Sene. de cle. li. 1 cap. 22
Ibid. ca. 3
Ibid. ca. 20
Ibid. ca. 3

CAPUT XLI.

De Modestia.

Gregorius in registro: Sic ea, quæ sunt justitiæ, foris exequor, ut ea, quæ intus amoris, & dilectionis sunt, minime postponam. Idem: Omnia age blande, & dulciter, ut & actio tua discreta sit, & lingua mitis. Idem: Cum curam rerum nobis necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt solummodo tolerandi sunt: quidam vero servata charitate prohibendi sunt, non tamen sola cura debet esse, ne nostra subtrahant sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant: Ambrosius de officiis: Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Idem: Magna virtus modestia, quæ cum sit etiam sui juris remissior, nihil sibi usurpans, nihil sibi vendicans, & quod modo intra suas vires contractior, dives est apud Deum. Idem: In modestia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honestatis cura, decoris consideratio spectatur, & quæritur. Augustinus in regula: In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Idem de vita beata: Nodestia dicta est a modo, sicut a temperie temperantia: Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam, nec minus: Idem: Illud præclarum est, & non immerito diffamatur, ut hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis. Isidorus in synonymis: Professionem tuam & habitu & incessu demonstra. Sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas. Bernardus super Cantica: Honestum, in quo animæ decorem locandum censuimus, diffiniatur: mentis ingenuitas, solicita servare cum conscientia bona famæ integritatem, vel juxta Apostolum, providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Seneca in Epistola: Vita non est imper-

Greg. regi. li. 6 ind. 15 ep. 168
Ibid. li. 9 ind. 14 3. cap. 13
Amb. de off. li. 1 ca. 18 to. 4
Ibid. paulo ante.
Ibid. ca. 43
Aug. reg. 3 ca. 20 te. 1
Idem de vi. bea. dis. 3 post med. tom. eod.
Ibid. post pauca.
Isid. in syno. ca. 9 circa med.
Bern. in Cant. ser. 85 to. 1 med.
Sen. ep. 77 ante med.

Idem ep. 66 ante med. perfecta, si est honesta. Idem: Nihil honestum est, quod ab invito coactoque fit. Omne honestum, voluntarium est. Admisce illi pigritiam, querelam, tergiversationem, metum, quod habet in se optimum, perdit totum. *Ibid. post pauca.* Idem: Omne honestum, injussum, incoactumque est sincerum, & nullo modo mixtum.

Caput XLII.

De Justitia.

Greg. in Ezec. ho. 7 prope fin. Gregorius super Ezechielem: Quilibet peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare, quod fecit. Cur enim justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? *Idem regist. li. 8 ind. 3 cap. 51 circa med.* Idem in registro: Turpe est defendere, quod mihi prius non constiterit justum esse: quia ego homines propter justitiam diligo, non autem justitiam propter homines postpono. Idem: Justum est, ut visitatores illic consequantur stipendium, quo pro Christo suum commodare reperiuntur obsequium. *Idem ho. 38 in Evang. non longe a princ.* Idem in homiliis: Vera justitia compassionem habet, falsa vero dedignationem: quamvis & justi soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. *August. de mir. scrip. li. 1 ca. 3 tom. 3* Augustinus de mirabilibus sacræ Scripturæ: Perfecta justitia hæc est, sacerdotium, virginitas, & martyrium. Quæ triplex justitia in Abel primo fuit, qui & munera Deo placita obtulit, prosapiam sui generis in sæculo non reliquit, & martyrii coronam sanguinis effusione promoveruit. Idem: Quantum mihi videtur. Supra lib. 1 de perfectis. *Idem de ver. reli. ca. 48 to. 1* Idem de vera religione: Hæc est perfecta justitia, qua potius potiora, & minus minora diligimus. *Idem de civ. Dei, li. 19 ca. 27 post med. tom. 5* Idem de civitate Dei: Hæc in unoquoque justitia est, ut Deus obedienti homini, animus corpori, ratio vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo vel resistendo, atque ut ab ipso Deo petatur, & meriti gratia & venia delictorum, ac de exceptis donis gratiarum actio persolvatur. *Amb. de virg. li. 2 post med. tom. 4* Ambrosius de virginibus: Justitia in alto quodam suggestu locata, videt exploratque omnia, quæ aliis potius nota quam sibi, non tam suas utilitates, quam publica emolumenta rimatur. *Bern. de consid. ad Eug. li. 1 post med.* Bernardus de consideratione: Justitia nec factura est utique alteri, quod sibi fieri nolit: nec quod sibi fieri velit, alteri negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse justitiæ statum. *Idem epist. 253 ad Abb. Garb. ante med.* Idem: in Epistola: Numquam justus arbitratur se comprehendisse, nec umquam dicit satis est: sed semper esurit, sititque justitiam: ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semperque de bono in melius proficere totis viribus suis conaretur. *Idem in declam. super Ecce nos, paulo ante med.* Idem de contemptu: Panis animæ justitia est, & soli beati qui esuriunt illum: quoniam ipsi saturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta est anima rationalis, & ceteris quidem omnibus rebus occupari potest, repleri omnino non potest. *Idem ser. 3 in advent. Dom. ante med.* Idem in sermonibus: Justitia virtus est, quod suum est, unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt, redde superiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes. Idem: Habemus enim ante nos priores, post nos juniores, a dextris amicos, a sinistris inimicos. Reddamus ergo singulis quod suum est, prioribus obedientiam, junioribus doctrinam, amicis lætitiam, inimicis patientiam. *Gl. Mat. 5.* Glossa: Justitia est sua unicuique reddere, sibi & proximis, & Deo. *Tullius de invent. li. 2.* Tullius in Rhetoricis: Justitia est habitus animi communi utilitate conservata, suam unicuique tribuens dignitatem.

Caput XLIII.

De obedientia bona.

Greg. li. 35 Mor. ca. 10 ante med. Gregorius in Moralibus: Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque convincitur, etiam si fidelis esse videatur. *Ibid. non longe a princ.* Idem: Per obedientiam voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus conspectum, repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. *Ibidem.* Idem: Numquam per

per obedientiam malum fieri debet, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti. Neque enim mala in Paradiso arbor extitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit. Sed, ut in melius per obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, ut & hunc etiam a bono aliquo prohiberet: quatenus tanto verius hoc quod ageret, bonum esse cognosceret, quanto a bono cessans, auctori suo se subditum humilius exhiberet. *Ibidem.* Idem: Notandum quod dicitur: Ex omni ligno Paradisi edite, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comederitis. Qui enim ab uno bono subiectos vetat, necesse est multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus omnino repulsa jejunat. *Ibidem.* Idem: Obedientia sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. *Ibidem.* Idem: Si obedientiæ palmam apprehendere nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem ex devotione militemus. *Ibidem.* Idem: Debet obedientia, & in adversis aliquid ex suo habere, & in prosperis aliquid ex suo omnino non habere: quatenus & in adversis tanto sit gloriosior, quanto divinæ ordinationi etiam ex desiderio sui jungitur: & in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percepit, gloriam funditus mente separatur. *Ibidem.* Idem: Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est: non timore pœnæ, sed amore justitiæ. *Idem regi. li. 2 indic. 11 cap. 48* Idem in registro: Pensate quantum cunctis expedit, ei quem nobis gratia divina prætulit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbere. *Ibid. li. 3 ind. 9 c. 42 circa fin.* Idem: Vide, ut omnia absque imminutione custodias: quia de his, quæ pro servanda justitia scribo, ego absolvor, & tu si negligis, obligaris. *Ibid. li. 4 ind. 13 c. 51* Idem in obedientia valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. *Idem in Eze. ho. 10 ante med.* Idem super Ezechielem: Ille recte loquitur, qui, prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda: *Ibid. post med.* Idem: Mandata Dei pro jussione facere, servientis & obedientis est: diligendo autem facere, obedientis & amantis est. *August. de civ. Dei, li. 19 ca. 13 tom. 5* Augustinus de civitate Dei: Pax hominis & Dei est ordinata in fide sub æterna lege obedientia. *Ibidem li. 14 cap. 12* Idem: Obedientia in creatura rationali, mater quodammodo est omnium custosque virtutum. *Idem de Mon. c. 17 tom. 3* Idem de opere monachorum: Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptorum. *Isidor. de sum. bon. li. 1 ca. 11 sent. 11* Isidorus de Summo bono: Non erit caro subiecta animæ, nec vitium rationi, si animus non est subiectus conditori. Tunc autem recte subiiciuntur nobis omnia, quæ sub nobis sunt, si nos subiicimur ei, a quo nobis illa subiecta sunt. *Hieron. ep. 8 ad Dem. post med. tom. 1* Hieronymus in Epistola: Bonum est obedire majoribus, parere perfectis, & post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. *Idem ep. 4 ad Rust. Mona. post med. tom. eod.* Idem: Servias fratribus, hospitum pedes laves, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majoris sententia judices, cujus officium est obedire, & implere, quæ justa sunt. *Amb. in Luc. li. 10 ca. 22 to. 3* Ambrosius super Lucam: Disce homo Deo esse subiectus, ut non quod ipse vis, eligas, sed quod Deo scis esse placiturum. *Cyp. de 12 abus. ca. 8 in fin. to. 3* Cyprian. de duodecim abusionibus: Obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est magna exercitatione indiget, quæ sui normam studii a Christo Domino sumpsit: qui obediens patri usque ad mortem crucis, ignominiam libenter sustinuit. *Bern. de precept. & dispens. ante med.* Bernardus de præcepto, & dispensatione: Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. *Ibid. post med.* Idem: Generalis hæc regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis, obedientia gratior; quam gravior prævaricatio judicetur: & in facilioribus minusque onerosis, contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur. Idem: Nil me. Supra lib. 1 de prælatis bonis. *Idem ep. 7 ad Adam Monach. ante med.* Idem in Epistola: Hoc advertendum, quod quædam sunt pura bona, quædam pura mala, & in his nullam debe-

deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur, nec ista cum jubentur, committenda. Porro inter hæc sunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore, vel persona, & mala possunt esse, & bona: & in his lex posita est obedientiæ; tamquam in ligno scientiæ boni, & mali, quod erat in medio Paradisi. In his profecto fas non est, nostrum sensum sententiæ præscribere magistrorum: in his omnino prælatorum nec jussio, nec prohibitio contemnenda. Idem: O monachum obedientissimum, qui ex quibuslibet seniorum verbulis ne unum quidem jota prætervolat, non attendit, quale sit quod præcipitur, contentus, quia præcipitur: & hæc est obedientia sine mora. Idem de contemptu mundi: Age eia age, qui relinquere omnia disponis, te quoque primum inter relinquenda numerare memento: immo vero maxime, & principaliter abnega teipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. Idem in sermonibus: Obedientia quinque partita est. Prima, opus rectum, quia non est obedientia contra Deum. Secunda, voluntarium, quia quod fit ex necessitate, non est bonum. Tertia, purum, ut intentio pura sit, quia si oculus simplex est, totum corpus lucidum est. Quarta discretum, ne quid nimis, aut minus: qui enim recte offert, si non recte dividat, peccat. Quinta, firmum, id est, perseverans, quæ omnia claudit, & continet. Nullum enim bonum sine perseverantia coronatur. Ut autem perseverantiam habeat murus obedientiæ, inhærere sibi debent propugnacula patientiæ. Idem: Redde reverentiam, & obedientiam prælato, quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Benedictus in regula: Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus. si quod jubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, aut cum responso nolentis efficiatur: quia obe-

Ibid. post med.

Idem declam. sup. ecce nos non longe a princ.

Idem ser. 3 in advent. Dom. ante med.

Benedict. in Reg. c. 5 post med.

A dientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Idem: Obedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Glossa interlinearis: Obedientia est complenda sine mora, & observanda.

Ibid. c. 71 in princ.

Glos. Interl. Ge. 17

Caput XLIV.

De Obedientia inaccepta.

Gregorius in registro: Apud nolentis animum, quamvis sit evidens ratio non parendi, tamen hoc ipsum, quod non vult, obstaculum B obedientiæ esse solet. Idem in Moralibus: Ille primus inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit: quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. Idem: Cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Idem: Ad detrimentum obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi, nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Idem: Dignum profecto est, ut a Dei beneficiis sit extraneus, cujus nimirum jussionibus C non vult esse subiectus. Joannes Chrysostomus super Joannem: Quanto leviora sunt præcepta, tanto majus supplicium his, qui non obediunt. Augustinus de Confessionibus: Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est, quod facit. Bernardus in Epistola: Facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam. Idem: Extorta seu coacta licentia, licentia non est, sed violentia. Idem: Non vos felices. Supra de Prælatis bonis. Idem super Cantica: Non dabit inobedienti copiam sui, tantus obedientiæ amator, ut mori, quam non obedire maluerit: sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per Prophetam: Laboravi sustinens. Idem: Si in die jejunii.

Greg. reg. in li. 3 ind. 12 cap. 41

Idem li. 26 Mor. c. 13 circa med.

Ibid. li. 35 ca. 10 ante med.

Ibidem.

Ibid. li. 10 ca. 11 ante med.

Aug. conf. li. 1 ca. 12 tom. 1

Bern. ep. 7 ad Adam Monach. ante med.

Idem ep. 78 ad Oger. can. reg. ante med.

Idem ser. 46 in Can. circa med.

nii. libro 3 de voluntate. Idem: A mandatis tuis intellexi. Infra libro 4 de gustu. Idem de præcepto, & dispensatione: Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere: hæsitare ad singula, quæ injunguntur: exigere de quibusque rationem: & male suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit: nec umquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut cum non aliter licere seu expedire monstraverit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Et infra: Si jubente seniore, ut sileam, verbum mihi forte per oblivionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu, sciens, & deliberans sponte in verba prorupero, & rupero silenti legem, prævaricatorem me constituo, & criminaliter: & si impœnitens persevero usque ad mortem, peccavi etiam damnabiliter: Idem in sermonibus: Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas, & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat, quid vis, ut faciam tibi? Non ipsi quærunt: Domine quid me vis facere? Considerare nempe necesse habet minister, & vicarius Christi, quid sibi præcipi velit, non ipse considerat, quæ sit voluntas præceptoris. Idem: Qui vel aperte, vel occulte satagit, ut quod vult ipse, hoc ei Prælatus injungat, ipse se seducit, & frustra sibi blanditur de obedientia. Non enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. Seneca in Epistola: Qui imperia libens excipit, partem acerbissimam servitutis effugit, scilicet facere, quod nolit. Non qui jussus aliquid facit miser est, sed qui invitus facit. Multa infra liro 3 de Stultiloquio in murmure.

Idem de precep. & dispens. ante med.

Idem ser. 1 in convers. S. paulo post med.

Idem ser. de trib. or. Eccl. circa med.

Sen. ep. 61

Caput XLV.

De Oratione accepta.

GRegorius in Dialogis: Obtineri per orationem nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut pre-

Greg. in dial. lib. 1 cap. 8

A cibus obtineantur. Idem in registro: Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum: ut, si quid negligentiæ per sex die agitur, per diem septimum, qui est resurrectionis Dominicæ, precibus expietur. Idem in Moralibus: Veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, non composita verba resonare. Idem: Differre solet. Infra libro 4. de desiderio. Idem in homiliis: Virtus veræ orationis est, celsitudo charitatis. Et tunc quisque quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in petitione, nec inimici odio fuscatur. Augustinus in Epistola: Absit ab oratione multa locutio, sed non de-
B fit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad Deum quem precamur, diuturna, & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur: plus fletu, quam affatu. Talis enim oratio ponit lacrymas in conspectu Dei, & gemitus noster non est absconditus ab eo. Idem: Qui omnia per verbum condidit, in orationibus etiam humana verba non quærit. Idem: Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse, & humiles, corde plus cogitando, & orando perficiunt,
C quam legendo, & audiendo. Idem in sermone: Dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. O sapientia vera, & divina providentia, quæ docuit, & panem solum petere, & hodie nominare. Hoc enim dicto, & aviditas cum avaritia tollitur, & humanæ vitæ insinuatur incertum. Idem: Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Idem in meditationibus. Obsecro Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulcora illud tua consolatione. Obsecro Domine, quoniam esuriens incœpi quærere te, non desinam jejunus: ad te famelicus accessi, ne recedam impastus, pauper veni ad divitem, miser ad mise-

Idem reg. lib. 11 ind. 6 cap. 3 circa fin.

Idem li. 22 Mor. ca. 22 circa fin.

Idem ho. 27 in Evang. post med.

August. ep. 121 ad Prob. ca. 10 tom. 2

Ibidem conseq.

Idem 126 de temp. circa med. tom. 10

misericordem, ne redeam vacuus, & contemptus, etsi antequam comedam suspiro, da vel post suspiria, quod comedam. Idem de civitate Dei: Quanto est quisque sanctior, & desiderii sancti plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior. Idem de Ecclesiasticis dogmatibus: Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire: nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum, nisi orantem, auxilium promereri. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Sicut thymiamata bene confecta delectant hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem ejus? Mox, ut de ore processerit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt ante Deum. Ambrosius super Beati immaculati: Pernoctabat in oratione Dominus Jesus, non indigens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. Idem Media nocte ait Propheta, surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ, & tu surge, vel media nocte, si non potes tota nocte vigilare. Isidorus in synonymis: Pernocta in oratione, & prece: incumbe nocturnis vigiliis, ad modicum clausis oculis, rursum ora. Idem: Omnibus malis prævalet oratio. Idem de Summo bono: Fidei symbolum, & Dominica oratio pro tota lege parvulis Ecclesiæ ad cælorum regna sufficit capessenda: omnis enim latitudo scripturarum in eadem oratione Dominica, & symboli brevitate concluditur. Idem: Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Idem: Oratio cordis est, non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Quod si tacite cor oret, & vox sileat, quamvis homines lateat, Deum latere non potest, qui præsens est. Idem: Numquam orandum est sine gemitu. Idem: Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, frequenter & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Idem: Oratio privatis locis opportunius fun-

Idem de civ. Dei, lib. 20 cap. 17 tom. 5
Idem de Eccl. dog. ca. 56 to. 3
Chrysost. oper. im. perf. ho. 13 post med. tom. 1
Ambros. enarr. in Psal. 118 octonar. 8 tom. 2
Ibidem.
Isidor. in synon. ca 4
Ibidem.
Idem de sum. bon. lib. 1 ca. 8 sent. 1
Ibid. lib. 3 ca. 7 sent. 1
Ib. sent. 4
Ib. sent. 5
Ibid. ca. 8 sent. 2
Ibid. ca. 7 sent. 37.

A ditur, magisque obtentum impetrat, dum Deo tantum teste depromitur. Joannes Damascenus in libro suo: Oratio est ascensus intellectus ad Deum, vel petitio decentium a Deo. Bernardus in Epistola: Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quamdiu lice. Idem: Dum manibus pectora, genibus pavimenta tunduntur, votis, & devotis precibus altaria cumulantur: dum sordent genæ lacrymis, gemitibus, atque suspiriis mugiunt colla, & pro forensibus causis canticis spiritualibus sacra tecta resultant: nil supernis

B civibus magis spectare libet, nil Regi summo jucundius exhibetur. Idem: Et si vocis virtus sit opus, & operi tamen, & voci, & gratiam, & efficaciam promeretur oratio. Idem super Cantica: Credimus Angelos sanctos astare orantibus & offerre Deo preces, & vota hominum, ubi tamem sine ira, & disceptatione levari puras manus perspexerint. Idem: Orando bibitur vinum spirituale lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus sancti, quod inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit oblivionem, humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam ani-

C mæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans, ordinansque charitatem, & impinguans mores: Idem: Unicum in dubiis remedium, seu refugium oratio est, & frequens gemitus ad Deum, & ut quid, quando, & qualiter, facere nos velit Deus, assidue nobis monstrare dignetur. Idem in sermonibus: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate debet accedere, a palude sua procedens ranuncula? Idem: In omnibus actionibus nostris, & observantiis, multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione. Idem: Licet omni hora, & omni loco, oculi Domini super nos spe-

Damasc. Orth. fid. li. 3 ca. 24
Bern. epist. de vita sol. post med.
Idem ep. 78 ad Sug. abb. ante med.
Idem epist. 201 ad Balduin. abb. vers. fin.
Idem in Cant. ser. 7 ante med.
Ibid. ser. 18 post med.
Ibid. ser. 57 post med.
Idem ser. de quatuor modis orandi post med.
Ibidem post pauca.
Ibidem.

ſpeculentur: maxime tamen in oratione. Licet enim ſemper videamur, ſed tunc etiam præſentamus nos, & oſtendimus quaſi facie ad faciem, cum Domino colloquentes. Gloſſa ſuper illud Matthæi: Et oravit tertio eumdem ſermonem, &c. Tribus vicibus Chriſtus oravit, ut & nos a peccatis præteritis veniam, & a præſentibus malis tutelam, & futuris periculis cautelam a Domino oremus. Seneca in Epiſtola: Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. Idem: Audacter roga Deum: nihil illum de alieno rogaturus es. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi; deinde tunc corporis. Multa infra libro 4. de deſiderio, & de laudatione.

Gloſſ. in Matth. cap. 26

Sen. ep. 10 in fin.

Ibidem ante ....

Caput XLVI.

De Oratione inaccepta.

Gregorius in Moralibus: Gravi mens noſtra cunfuſione, orationis ſuæ tempore, deprimitur: ſi hanc aut ſua operatio adhuc inquinat, aut alienæ malitiæ ſervatus dolor accuſat. Idem in regiſtro: Ut ad aures Dei viam precibus faciatis: vigilantius ſtudendum eſt, ut veſtræ voces actibus adiuventur. Nam inanis fit oratio, ubi prava eſt actio. Auguſtinus in ſermonibus: Qua fronte poſtulas quod promiſit Deus, cum non facit, quod juſſit Deus? prius audi monitiones, & ſic exige promiſſiones. Idem: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Nec pro eis eſt efficax oratio, quorum fides ſine operibus mortua eſt, ſed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Iſidorus de Summo bono: Longe a Deo eſt animus, qui in oratione cogitationibus ſæculi fuerit occupatus. Idem: Mens qualem ſe in oratione offert, talem poſt orationem ſe conſervet. Nam nihil proficit oratio, ſi denuo culpa committatur, unde jam venia poſtuletur. Hieronymus in epiſtola: Neſcio qua conſcientia ea lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia ſancta exaudit Deus, & ipſis cito annuit precibus, quas lingua immaculata pronunciat. Joannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum: Qui orat, & peccat, non orat Deum, ſed illudit eum. Idem in ſermone: Tu non audis orationem tuam, & Deum vis audire precem tuam? Flecto, inquis, genua. Curvaſti quidem genua intus, ſed mens tua foris vagabatur: corpus tuum intus in Eccleſia, ſed animus tuus foras: os quidem loquebatur, ſed mens uſuras cogitabat. Beda in homiliis: Eſt oratio quæ peccatum facit, ſed qui bene orat, orando quærit Deum, hic a terrenis ad ſuperiora progrediens verticem curiæ ſublimioris aſcendit: qui vero de divitiis, aut honore ſæculi, aut certe de inimici morte ſolicitus obſecrat, ipſe in infimis jacens, viles ad Deum preces mittit. Bernardus ſuper Cantica: Quærentes aliquid, fruſtrari ſolent, cum aut videlicet non in tempore quærunt, aut non ſicut oportet, aut ubi oportet. Idem: Oratio peccatoris, Infra libro 3. de diſcordia. Idem: Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cum omnes nos ſua ſingularitate turbaverint, ſua impatientia irritaverint, ſua inobedientia coinquinaverint: audent nihilominus ad tam fœdum conſcientiæ ſuæ lectulum cum orationum inſtantia, totius puritatis Deum invitare. Sed ſicut ſcriptum eſt, cum extenderitis manus veſtras avertam oculos meos, & cum multiplicaveritis orationem non exaudiam. Idem in ſermone: Timida oratio, cœlum non penetrat: quia reſtringit animum timor immoderatus, ut omnino non dico aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida vero in aſcenſu langueſcit, & deficit, eo quod non habeat vigorem. Temeraria aſcendit quidem, ſed reſilit, reſiſtitur enim ei: nec tantum non obtinet gratiam, ſed meretur offenſam. Quæ vero fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit:

Greg. libr. 1. om. Mor. cap. 11 poſt med.

Idem regi. lib. 9 ind. 4 cap. 45

Iſidor. de ſum. bon. lib. 3 ca. 7 ſent. 8

Ibidem ſen. 6

Hierony. epi. 14 ad Maur. fil. tom. 9

Chryſoſt. oper. imperf. ho. 15 ante med. tom. 2

Bernar. in Cant. ſer. 75 ante med.

Ibid. ſer. 46 circa med.

Idem ſer. 4 de quad. prope fin.

bit : unde certum est ; quod vacua redire non possit. Seneca in Epistola: Tunc scito te omnibus cupiditatibus esse solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare palam possis. Nunc autem quanta dementia est hominum, qui turpissima vota Diis insusurrant, ita, ut si quis aurem admoverit, statim conticescant, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant? [*Sen. ep. 10 prope fin.*]

Caput XLVII.

De Donis.

Gregorius in Moralibus: Donum spiritus, quod in subjecta mente ante aliam prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & justitiam format, eandem mentem, ut contra singula quæque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat: ut contra stultitiam, sapientiam: contra hebetudinem, intellectum: contra præcipitationem, consilium: contra timorem, fortitudinem: contra ignorantiam, scientiam: contra duritiam, pietatem: contra superbiam, det timorem. Idem: Orandum est, ne sapientia elevet: ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret: ne consilium, dum se multiplicat, confundat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet: ne scientia, dum novit, & non diligit, inflet: ne pietas, dum extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor, dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat. Idem super Ezechielem: Est timor in mente. Sed qualis timor est, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationi dissimulat: hujus timor ante Omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si forte pepercerit, quæ parcenda non sunt. Peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. Ut ergo vera, & odinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id [A] est, ad scientiam, ut sciat quid ex judicio puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quidem si sciat, quid agere quisque debeat, virtutem vero agendi non habeat, nihil valet. Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum viderit, quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit. Sed sæpe fortitudo, si improvida fuerit, & minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione incassum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmuniat omne, quod agere fortiter potest. Sed consilium esse non potest, si intellectus deest: quia qui non intelligit malum, quod agentem gravat, quomodo potest bonum dare consilium, quod adjuvet? [B] Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine viget, moderari se nescit per maturitatem? Ab intellectu ergo, ascendatur ad maturitatem. Ascendamus ergo per intellectum ad sapientiam, ut hoc, quod accuratius intellectus invenit, sapientia mature disponat. Idem: Per timorem Dei efficimur humiles, per pietatis studium, misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. Augustinus super Matthæum: Spiritus sanctus operatione septenaria commendatur, ut sit in nobis spiritus sapientiæ, & intellectus, [C] consilii, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis & timoris Dei. Huic septenario bono, constitue e contrario septenarium malum, scilicet spiritum stultitiæ, & erroris, spiritum temeritatis, & ignaviæ, spiritum ignorantiæ, & impietatis, & spiritum superbiæ conta timorem Domini. Et ita alii septem nequiores. Infra libro 3 de simulatione.

[*Greg. lib. 2 Mor. ca. 27 ante med.*] [*Ibid. lib. 1 cap. 29. & vet. c. 35.*] [*Idem in Ezech. hom. 19. ante med.*] [*Ibid. circa med.*]

Caput XLVIII.

De Beatitudine.

Augustinus de moribus Ecclesiæ: Beatus quantum existimo neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit: neque qui ha- [*Aug. lib. 1 de mor. Ecc. ca. 3. tom. 1.*]

habet, quod amat, si noxium sit: neque qui non amat, quod habet, etiam si optimum sit. Nam & qui appetit, & adispici non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non esset, fallitur: & qui non appetit, quod adipiscendum esset ægrotat. Idem de libero arbitrio: Sicut tota vita corporis anima est, sic beata vita animæ Deus est. Isidorus de Summo bono: Quia sine fide impossibile est Deo placere, vere beatus est, qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Idem: Salus perseverantibus. Supra de perseverantia. Idem etymologiis: Beatus dicitur, quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod vellet, & non patiendo, quod nollet. Ille autem vere beatus est, qui & habet omnia, quæ vult bona, & nihil vult male: ex his enim duobus beatus homo efficitur. Ambrosius super Lucam: Beatus pauper qui clamavit, & Dominus exaudivit eum: pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper in quo princeps mundi hujus nihil invenit, pauper illius pauperis æmulus, qui cum dives esset, propter nos pauper factus est. Prima ergo beatitudo est, cum deposuero omne peccatum, & exuero omnem malitia, & simplicitate contentus fuero inops malorum. Superest igitur, ut mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis, atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur utique illum, qui ait: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et infra: Mitiga affectum tuum, ut non irascaris, aut certe iratus, ne peccaveris, juxta quod scriptum est: Irascimini, & nolite peccare. Præclare est enim motum temperare, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemque compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Cum autem hoc feceris, memento, quia peccator es, & lugeto peccata tua, & lugeto delicta. Et bene tertia beatitudo est peccata deflentis, quia Trinitas est, quæ peccata condonat. Ablue igitur te lacrymis, lava fletibus: si tu teipse fleveris, alius non te flebit. Nam si Saul flevisset peccata sua, Samuel eum non flevisset. Et post pauca subdit: Deposui peccatum, temperavi mores, delicta deflevi, jam nunc esurire incipio, & sitire justitiam. Æger enim dum in gravi morbo est, non esurit, quia ægritudinis dolor excludit famen. Et mox ait: Qui esurit utique virium quærit augmentum. Quod autem est majus virtutis incrementum, quam norma justitiæ? justitiam sequitur misericordia. Unde dictum est: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Sed qui misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur. Nam si jactantiam quærit, nullus est misericordiæ fructus. Emunda igitur interiora tuæ mentis. Sed nisi prius tu interiora tua vacue feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones, contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A temetipso igitur pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim aliorum corda potes mundare, nisi tuum ante mundaveris? Et infra: Qui autem patitur persecutionem, in ultimo certamine constitutus probatur adversis, ut cum legitime certaverit, coronetur. Bernardus in sermonibus: Videmus pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur, utpote Reges, & Reges cæli. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt & alii milites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem, quam longe sint a mansuetudine, si levis oriatur occasio turbationis. Hæc igitur mansuetudo quomodo hereditabit terram promissionis, quæ ante hereditatem deficit? Alios quoque lugentes video, sed si de corde puro, & conscientia non ficta procederent illæ lacrymæ, non tam facile solverentur in risum. Nunc autem cum abundantius otiosa, & scurrilia verba profluant, quam

Idem de li. arb. li. 2 cap. 16 tom. eod.
Isidor. de summ. bon. lib. 2 ca. 2 sentent. 2
Idem ety. li. 10 verb. Beatus.
Amb. in Luc. li. 5 cap. 6 to. 3
Bern. ser. 4 in adven. post med.

quam prius lacrymæ, lacrymas hujusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio divina promittitur: quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possint esurire, & sitire justitiam, quod quidem verum esset, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium. Sed nunc pondus, & pondus utrumque abominatio est apud Deum. Nam contra alios tam imprudenter, quam immaniter æstuant, seipsos tam insipienter, quam inutiliter palpant. Sunt alii misericordes, de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi nec in modico quidem graventur: qui si vere misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam. Et si non possent de terrena substantia, de voluntate saltem bona darent iis, qui contra eos forte peccare viderentur, indulgentiam, darent utique dulce signum, verbum bonum. Et infra: Sunt etiam qui peccata sua sic confitentur, ut videri possint ex desiderio mundi cordis id agere, omnia enim in confessione lavantur, nisi quod ea, quæ ipsi dicunt aliis, ab aliis, audire patienter non possunt. Sunt etiam alii qui si viderint quempiam, vel leviter scandalizatum, valde soliciti sunt, quomodo in pacem eum reducere possint, & ob hoc viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte contra eos quidquam factum dictumve videbitur, tardius universis poterit difficiliusque sedari: qui nimirum, si vere pacem diligerent, haud dubium, quin eam primo quærerent sibi ipsis. Seneca in Epistola: Beatus non is est, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed ille cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mutabilia calcans.

Senec. ep. 45 post med.

A

Caput XLIX.

De Eleemosyna accepta.

Gregorius in homilia, super illud Luc. 16. Facite vobis amicos, &c. Si cæleste patrimonium eleemosynis emitur, pauperes non sunt audiendi ut egeni, sed ut patroni exorandi. Idem: Ad tribuendum pigri cur estis, quando hoc, quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis? Dominus ait: Quidquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Idem in Moralibus: Tunc plena est nostri cordis compassio, cum malum B inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, ut illum a passione liberemus. Idem: Rem quamlibet plerumque dat, etiam qui non compatitur, numquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat. Idem in pastorali: Nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori, panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit, nimirum non peccatorem, sed pauperem justum nutrit. Isidorus de summo bono: Verum est quod peccata omnia, misericordiæ operibus expurgentur, sed si jam caveat pec- C care, qui misericordiam impartitur. Joannes Chrysostomus in sermonibus; Melius servatur pecunia, quæ in dextera pauperis collocatur: hanc mihi non calumniator extorquet, non invidus criminatur, non latro auferet, non fur nocturnus diripiet, non servus fugam meditans invadet, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. Idem: Mentem Deus misericordem requirit, non pecuniæ quantitatem. Idem super Joannem: Eleemosyna est, quæ est ab omni eruta injustitia, hæc omnia facit munda, hæc & jejunio melior, & terræ lectulo, & nimirum difficiliora illa & laboriosa, sed hæc lucrabiliter illuminat animam & impinguat, & bonam & speciosam facit. Idem: Da indigenti, & non da sal-

Greg. hom. 40 circa fi.

Idem li 20 Mor. cap. 24 non longe a princ.

Ibid. circa fin.

Idem past. cu. p. 3 c. 21 admon. 21 circa med.

Isid. de sum. bon. lib. 13 c. 64 sent. 7

saltanti, ut non cum tuis pecuniis, & tuam animam, & illius perdas: tu enim causa es perditionis illius. Ambrosius in Epistola: Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed de necessitatibus subvenire, juvare pauperem, non examinare justitiam. Idem: Habe dives hypotecas inopum sinus, habeas hypothecas viduarum domos, habeas hypothecas ora infantium orphanorum, ut dicatur tibi: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Idem de officiis: Perfecta liberalitas fide causa, loco, tempore commendatur. Fide, ut prius opereris circa domesticos fidei. Idem: Non omnibus debemus misericordiam, sed quia plerique fraude eam quærunt, & confingunt ærumnam, ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet perfundere misericordia. Idem: Affectus divitem collatorem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Idem: Si peregrinum sub tectum tuum inducas, si suscipias egentem, ille tibi acquirit sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Idem: Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Idem super Lucam: Tu qui putas te manum habere sanam: cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contrahatur, extende sæpius eam, extende eam ad illum pauperem, qui te obsecrat: extende ut proximum juves, ut viduæ feras præsidium, eripias injuriæ, quem vides injustæ contumeliæ subiacere. Hieronymus in Epistola: O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus pro morituris semper viventia, & habere Dominum Deum debitorem! Augustinus contra quinque hæreses: Obsequutus est Lot Angelis, tamquam peregrinis consuetudine hospitalitatis, liberatus a periculo civitatis, & temporale evasit incendium, & æternum consequutus est præmium. Discite ergo Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem, ne si forte cui domum clauseritis, cui humanitatem denegaveritis, ipse sit Christus. Idem in epistola: Utilius esurienti panis

Amb. de Offic. lib. 1 c. 30 ante med. to. 4

Ibid. paulo post.

Ibid. post pauca.

Ibid. ca. 11 post med.

Ibid. lib. 2 cap. 28 ante med.

Idem in Luc. lib. 5 ca. 6 to. 3

Aug. orat. de hæres. cap. 4 ante med.

Idem ep. 48 ad Vinc. ante med. tom. 2

A tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam si ei panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. Idem in sermone: Redime te homo dum vivis, redime te ipse dum potes, redime te, inquam, dum pretium in manibus habes, redime te, ne dum te mors amara prævenerit, & vitam simul, & pretium perdas. Sine causa hoc vis dimittere uxori, quæ forsitan alium habebit maritum. Idem: Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, redditis decimis de novem partibus studeat eleemosynam dare. Idem: Si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet Agricola, quod te pascit B ingenium, Dei est: inde decimas expetit, unde vivis, de militia, de negotio, de artificio tuo redde decimas. Aliud enim de terra rependimus, aliud de tonsura ovium, & de lacte. Idem de pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: non sine thesauro remanebis, sed quod habebis in terra solicitus, habebis in cælo securus. Idem in Enchiridione: Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum facimus adiuvamur, ut dimittantur peccata nostra. Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Leo Papa in sermone: Magna est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos, benevolentiæ suæ C fonte refrigerat: & quodam irriguo largitatis, obruit incendia delictorum, ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Bernardus in Epistola: Vere beatus, qui intelligit non super cupidum, sed super egenum, & pauperem: illum, inquam, pauperem, qui inuite petit, & verecunde accipit, & accipiens glorificat patrem suum, qui in cælis est. Multa infra libro quarto de connexione virtutum.

Idem ser. 219 de tem. post med. tom. 10

Ibid. paulo post.

Ibid. ante med.

Ibid. ser. 50 circa med.

Idem in Enchir. ca. 72 prope fin. & 73 in princ. tom. 3

Bern. ep. 19 ad Reg.

Caput L.

De Eleemosyna inaccepta.

Greg. regi. li. 7 indict. 2 ca. 110 ante med. *Idem li. 21 Moral. cap. 14 post med.*

GRegorius in registro : Quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Idem in Moralibus : Quisquis super eam, cui aliquid tribuit fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo, mercedem acquirit. *Isid. in syn. ca. 18 post med.* Isidorus in synonymis : Nihil proficit, alterum inde reficis, unde alter maciem facis, condemnat misericordia ista, non propitiatur. *Idem de sum. bon. li. 3 ca. 64 sent. 7* Idem de Summo bono. Non est eleemosyna, quæ gloriæ magis causa, quam misericordiæ impartitur intuitu : quali enim intentione ab unoquoque largitur, taliter & apud Deum recipitur. *August. de civ. Dei, li. 2 ca. 27 tom. 5* Augustinus de civitate Dei : Sicut non fratri suo dicit fatue, qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus infensus est, alioquin reus erit gehennæ ignis : ita e contrario, qui porrigit eleemosynam A Christiano, non Christiano porrigit, si non in eo diligit Christum. *Idem in Ps. 42 pro. post fin. to. 8* Idem : Super Psalmos : Qui dat eleemosynam, ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis & rem, & meritum perdit. Ambrosius super Lucam : Hospitalem esse propter remunerationem, effectus avaritiæ est. Idem : Qui misericordiam defert, &c. Supra de beatitudine. Joannes Chrysostomus super Matthæum : Non gaudent martyres, quando ex illis pecuniis, vel eleemosynis honorantur, de quibus pauperes plorant. Idem: Qualis est ista justitia, munerare mortuos, & spo- B liare viventes ? de sanguine miserorum tollere, & Deo offere ? Illud non est Deo offerre, sed violentiæ suæ socium facere Deum : ac si Deus oblatam sibi pecuniam de peccato libenter accipiat, & consentiat peccato. *Bern. in Cant. in ser. 11 post med.* Bernardus super Cantica : Non recipit Deus elemosynam de manu raptoris, seu fœneratoris, sed nec de hypocritæ quidem, qui cum facit eleemosynam, facit tuba canian te se, ut glorificetur ab hominibus.

CAPITA TERTII LIBRI PHARETRÆ.

PHARETRÆ LIBER TERTIUS

IN QUO DE PERICULOSIS AGITUR.

Caput I.

De Voluntate.

Greg. l. 7 Mor. c. 21. ante med.

GRegorius in Moralibus super illud Job: Involutæ sunt semitæ gressuum eorum, &c. Reprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. Et infra. Bona quidem cupiunt, sed a malis numquam recedunt. Esse quidem humiles, sed sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: pauperes esse volunt, sed sine defectu: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt. Cumque adipisci quærunt virtutes, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud, quam & belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt. Idem: Nequaquam homo ad pravam delectationem rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Idem: Cum quis adhuc ex timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. Idem: Non intuetur Dominus quantum quisquam mali valeat facere, sed quantum velit: & cum deest potestas male faciendi foris, apud se tamen tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus. Hieronymus in Epistola: Tantum virtuti adiicies, quantum propriæ voluntati subtraxeris. Augustinus de libero arbitrio: Voluntas aversa ab incommutabili, & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium bonum convertitur, cum suæ potestatis vult esse: ad exterius autem, cum aliorum propria, vel

Ibid. l. 4 c. 23 circ. med.

Ibid. l. 1 c. 11

Ibid. l. 12 cap. 20.

Aug. de lib. arb. l. 2 c. 19 tom. 1

A quæcumque ad se non pertineat cognoscere studet: ad inferius, cum voluptatem corporis diligit, atque ita homo superbus, & curiosus, & lascivus effectus excipitur ab illa vita, quæ in comparatione superioris vitæ mors est. Idem: Voluntas mala. Infra de quatuor affectionibus inordinatis. Idem de confessionibus. Ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Idem in epistola: Nimis perverse se amat, qui alios vult errare, ut error B suus lateat. Idem de vera religione. Nunc usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Idem de Trinitate: Mala voluntate vel sola, miser quisque efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis adimpletur. Idem de catechizandis rudibus: In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt, & securitatem, sed pravis cupiditatibus seducti non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis: nam si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. Idem de ver- C bis Domini: Deus amissus mors animæ est: anima amissa mors corporis est: mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. Joannes Chrysostomus de militia spirituali: Scito, quia te non vincet natura corporis, neque strangulabit invitum: neque enim te obnoxium, & servum faciet ex libero, nisi voluntaria tua declinatio. Idem super Joannem: Electionis, & propriæ voluntatis est omnis malitia hominis. Bernardus super Cantica: Si in die jejunii mei invenitur voluntas mea, non tale jejunium

Idem lib. 8 conf. c. 10 ante med. tom. 1

Idem ep. 7 ad Marc. non longe a pr. tom. 2

Idem de ver. rel. c. 13 tom. 1

Idem de Trin. l. 13 c. 5 tom. 3

Idem de Cath. rud. c. 16 ante med. t. 4

Idem de verb. Dom. ser. 6 ante med. t. 10

Chrys. ho. de mil. spir. ante med. tom. 5

Bern. in Cant. ser. 71 vers. fi.

junium elegit sponsus, nec sapit ille jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis decoxit. Ego ergo non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observatione monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri, idipsum sentio. Idem: de libero arbitrio: Duo sunt, quæ injustam comprobant voluntatem, vel cum peccare, vel cum impune peccasse libet. Idem in sermonibus. Quid odit, aut quid punit Deus, præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus jam non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in voluntatem propriam. Idem: Unde sunt scandala, & unde perturbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem, & temere, quod voluerit ipsa, in corde nostro definientes, si quomodo id prohiberi contingat, continuo in impatientiam, & murmurationem, & scandalum proni sumus.

Idem tr. de grat. & l. arb post med. — *Idem ser. 3 de res. Do. ante med.* — *Idem in ser. quom. voluntas nostra div. vol. tripl. subiici debeat cir. med.*

Caput II.

De Remorsu conscientiæ.

Greg. li. 16 Mor. c. 9 cir. med.

GRegorius in Moralibus: Dum nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se conscientia accusat. Idem: Quisquis a præceptis Dominicis, discordat opere, quoties ea audit, vel legit, corde suo reprehenditur, atque confunditur: quia id, quod non fecit, memoratur: Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Idem super Ezech. Scriptura sacra ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Isidorus in synon. Nulla pœna gravior mala conscientia. Vis autem numquam esse tristis? bene vive. Idem de Summo bono: Omnia fugere poterit homo, præter cor suum: non enim potest a se quisquam recedere. Ubicumque enim abjerit, reatus sui conscientia illum A non derelinquit. Idem: Abyssus abyssum invocare, est de judicio suæ conscientiæ ire ad judicium damnationis æternæ. Ambrosius de officiis: Quæ pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? Nonne hoc magis fugiendum, quam mors? quam dispendium? quam exilium? quam debilitas? quam dolor est? Bernardus de consideratione: Vitiosus, vitiosorum conscientia non refugit: & ubi omnes sordent, unius fœtor minime sentitur. Idem: An non inflationes. Supr. lib. 2. de intelligentia. Idem in sermonibus. Quis magis mortuus eo, qui portat ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec excutit, nec expavescit? Idem: B Qui conscientias. Infra de mutabilitate. Seneca in epist. Quid prodest recondere se, & oculos hominum, auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia, atque solicita est. Si honesta, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem.

Ibid. l. 18 c. 5 fere in prin. — *Idem in Ezech. ho. 10 ante med.* — *Isid. in syn. c. 12 cir. med.* — *Idem de sum. bo. l. 2 c. 26 sent. 2* — *Ib. sent. 3* — *Amb. off. l. 3 c. 4* — *Bern. l. 1 de consid. vers. fin.* — *Idem ser. 2 de resur. Dom. ante med.* — *Sen. ep. 43*

Caput III.

De Stultiloquio.

Greg. l. 2 Mor. c. 14

GRegorius in Moralibus: Stulte contra Deum loquitur, qui inter divinæ animadversionis flagella C positus, justificare semetipsum conatur. Idem: Duo sunt genera locutionum, importuna valde, & noxia generi humano. Unum, quod curat etiam perversa laudare: aliud, quod studet semper etiam recta corrigere. Idem: Sicut plerique reticent. Infra de crudelitate. Idem: Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. Idem: Qui verba sua metire nesciunt, procul dubio ad otiosa dicta dilabuntur: in quibus si se minime reprehendunt, statim ad noxia, & contumeliosa prosiliunt. Idem in Dialogis: Loquendo cum sæcularibus fit, ut ab otiosis ad noxia, a levibus ad graviora veniamus, & os nostrum ab Omnipotenti Domino, tanto minus exaudiatur in prece, quanto amplius inqui-

Ibid. l. 7 c. 17 in p. — *Ibid. l. 2 cap. 7* — *Ibid. l. 16 cap. 1* — *Idem l. 3 Dial. c. 29 post. med.*

Isid. de sum. bo. l. 2 c.29 sent. 17 & 18

inquinatur stulta locutione. Isidorus de Summo bono: Quadripartita est loquendi ratio: quia vel bonum bene, vel malum male, seu bonum male, seu malum bene, profertur. Bonum quippe bene loquitur, qui ea, quæ recta sunt, humiliter annuntiare videtur. Malum male loquitur, qui quodlibet flagitium persuadere conatur. Bonum male loquitur, qui quodcumque rectum arroganter prædicare sentitur. Malum bene loquitur, qui aliquod narrando vitium detestatur, ut ab eo homines avertantur. Augustinus super Canonicam Jacobi: Lingua facilitatem habet motus, si in udo posita est, facile in lubrico labitur: quanto illa citius, & facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus es.

De Multiloquio.

Greg. l. 10 Mor. c. 2 Ibid. l.7 c. 17 ante me. Idem past. cu. par. 3 adm. 15 & l. 7 Mor. c. 17

GRegorius in Moralibus: Certum est, quod verbosus vir justificari nequeat. Idem: Mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Idem in Pastorali: Quia murum silentii non habet, patet inimici jaculis, civitas mentis, & cum se per multa verba extra semetipsam eiicit, apertam se totam adversario ostendit, quam ille tanto sine labore superat, quanto, & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. In Proverbiis dicitur: Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Idem super Ezechielem: Valde difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Isidorus in synonymis: Loqui multum stultitia est, & vox insipientis in multiplicatione sermonis. Idem: Multiloquium non declinat peccatum, fluvius enim exundans cito colligit lutum.

Idem in Ezech. ho. 11 post med. Isid. in syn. c.9 in fin. Ibid. paul. ante.

De Nugis.

Greg. l. 7 Mor. c. 17 cir. med. Amb. in Psal. 118 Octon. 22 tom. 2

GRegorius in Moralibus; Otiosum verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Idem: Qui verba. Supra eodem. Ambrosius super Beati immaculati: Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei, & opera, quæ fecit in Genesi, in Exodo, in Levitico, Numeris, Deuteronomio, Jesu Nave, Judicum, libro Regum, atque Esdræ, & quæ dixit, & quæ fecit in Evangelio, in Actibus Apostolorum: si illis prætermissis loquaris, quæ sæculi sunt, audias, quæ vana sunt, & otiosa. Isidorus in synonymis: Sermo vanus, vanæ conscientiæ judex est. Mores enim hominis lingua pandit, & qualis sermo ostenditur, talis & animus comprobatur. Idem de Summo bono: Vani sermones in ore Christiani, non debent inveniri. Nam sicut malos mores bona colloquia corrigunt, ita prava colloquia bonos mores corrumpunt. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Omnis sermo vanus, qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. Hieronymus in Epistola: Quidquid non ædificat audientes in periculum vertitur loquentium. Bernardus in Apologia: Vobis convenientibus in unum, ut Apostoli verbis utar, jam non est Dominicam cœnam manducare: panem quippe cœlestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat: nihil de Scripturis sacris quisquam loquitur, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, risus, & verba multa proferuntur in ventum. Idem de præcepto, & dispensatione: Stultiloquia, & vaniloquia, numquam nisi contra mandata Dei usurpantur. Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur: excepto, cum per contemptum vertuntur in usum, & consuetudinem, & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Idem de consideratione: Fugienda otiositas mater nugarum, noverca virtutum. Inter sæculares quippe nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ: interdum tamen si incidant ferendæ fortassis, referendæ numquam: magis interveniendum caute, & prudenter nugacitati. Idem: Consecrasti os tuum Evangelio, nugis igitur jam os aperire illicitum est: assuescere vero nugas loqui sacrilegum est. Labia sacerdotis, ait Pro-

Isid. in syn. c.9 post med. Idem de sum. bo. l. 2 c. 29 sent. 8 Chr. oper. imp. ho. 11 ante med. tom. 2 Bern. in Apol. ad Gul. Abb. post med. Idem de precep. & disp. ante med. Idem de consid. l. 2 vers. fin. Ibid. paulo post.

Propheta, custodiunt scientiam, & ex ore ejus requirunt legem, non nugas, aut fabulas. Idem: Verbum scurrile ab ore procul sit, & procul ab aure relegandum est. Fœde enim ad chachinnos moveris, sed fœdius alios moves.

Ibid. l. 2 cir. fin.

De Jactantia.

GRegorius in Moralibus: Procaces quique etiam nota jactanter proferunt: ut loquentes docti videantur. Idem: Eo ipso superbiens ab integritate salutis corruit, quo jactantia cujuslibet virtutis intumescit. Idem: Arrogantes, si non inveniunt voces hominum, quas inhianter expectant, ipsi scientiam suam laudantes prædicant. Idem in pastorali: Eligit patiens quælibet mala perpeti, quam per ostentationis vitium bona sua occulta foris publice cognosci. At contra eligit arrogans bona de se, vel falsa jactare, ne mala possit, vel minima perpeti. Isidorus de summo bono: Culpabiliter manus ad Dominum expandit, quia facta sua jactanter prodit. Bernardus de duodecim gradibus: Monachus jactator, aut loquetur, aut rumpetur. Plenus est enim sermonibus, & coarctat eum spiritus uteri sui: propterea sitit, & afficit auditores, quibus suas jactet vanitates.

Greg. lib. 8 Mor. c. 22 cir. med. *Ibid. l. 25 cap. 8* *Ibid. l. 26 c. 18 post med.* *Idem past. cu. p. 3 c. 1 adm. 10 ante med.* *Isi. de sum. bo. l. 3 c. 7 sent. 36* *Ber. de 12 grad. hum. grad. 4*

De Excusatione.

GRegorius in homiliis: Sunt multi, qui pravitatem suam ex alienis pravitatibus tuentur. Quia enim alios talia fecisse considerant, eadem facere sibi licenter putant. Idem in Moralibus: Usitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. Idem: Sunt nonnulli, qui nequaquam deflent, quod faciunt, sed etiam laudare, & defendere non desistunt. Et nimirum cum defenditur culpa, geminatur. Idem: Superbiæ vitium est, ut quod de se fateri quisque quasi sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. Hieronymus in originali super Oseam: Libenter vitiis nostris applaudimus, & superati voluptatibus, obtendimus carnis infirmitatem, aut dura majorum imperia. Idem: Nihil omnino agimus. Infra de consolatione. Isidorus de Summo bono: Est quorumdam excusatio perversorum, qui dum pro suis facinoribus arguuntur, verba justorum pro censura declinanda abiiciunt, reservantes se divino judicio, quo puniendi sunt durius, dum temporaliter contemnunt judicari ab hominibus. Bernardus super Cantica: In animam peccat suam, qui se excusat dum arguitur, repellens proinde a se indulgentiæ medicinam, & sic vitam sibi intercludens æternam. Idem de duodecim gradibus: Multis modis fiunt excusationes in peccatis, aut enim dicit, qui se excusat, non feci, aut feci quidem sed bene feci: aut si male, non multum male: aut si multum male, non mala intentione. Si autem de illa velut Adam, & Eva convincitur, aliena suasione excusare se nititur. Idem super, Qui habitat: Omnes aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur: sed alii quidem colliduntur, alii non, quia Dominus supponit manum suam. Verum hoc interest inter eorum casus, quod justus suscipitur a Domino, ideoque resurgit fortior: injustus autem cum ceciderit, non adiiciet, ut resurgat: immo vero, aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat, quod fecit, & hic est pudor adducens peccatum: aut fit ei frons meretricis, & jam nec Deum timet, nec homines reveretur. Ambrosius in Apologia: Aliqui homines cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum aggravant, dum negare cupiunt, aut defendere. Augustinus: Nonnulli. Supra lib. 1 de militibus. Glossa: Malum est peccare, pejus est perseverare, sed perniciosius est defendendo se in Deum culpam refundere.

Greg. ho. 7 in Ev. ante med. *Idem l. 22 Mor. c. 9 fere in pr.* *Ibid. l. 4 c. 19 in pr.* *Ibid. l. 22 c. 9 an. med.* *Hier. in Os. l. 2 c. 10 tom. 5* *Isi. de sum. bo. l. 3 c. 32 sent. 7* *Ber. in Cant. ser. 16 post med.* *Idem de 12 grad. hum. grad. 8* *Idem ser. 2 sup. Qui habitat, ante med.* *Amb. in Apol. 1 David. c. 8 tom. 1*

De Accusationn.

GRegorius in Moralibus: Invidi dum bonum, quod vident, accu-

Greg. l. 5 Mor. c. 15 post med.

cusare nequeunt, excæcati malitia malum, quod non vident ad accusationem quærunt. Isidorus in synonymis: Nullum judices suspicionis arbitrio: ante proba, & sic judica. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur, reus est. Augustinus de sermone Domini in monte: Accusare vitia, officium est virorum bonorum, & benevolorum.

Isi. in syn. cap. 16

Aug. de ser. Do. in mon. l. 2. c. 30 t. 4

De Murmuratione.

Gregorius in Moralibus: Si justa placere Deo scimus: pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus: justa sunt cuncta, quæ patimur. Unde valde injustum est, si de justa passione, & afflictione murmuramus. Idem: Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eamdem homini potestatem dedit. Idem in homiliis: Regnum cœlorum nullum murmurans accipit, nec ullus qui accipit, murmurare potest. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis. Bernardus de consideratione: Si is, qui murmurat, secundum animam mortuus est, qui ad murmurandum instigat, quo modo vivit? Idem in sermonibus: Nihil sic horrendum, ut murmur, & dissensio in congregatione monachorum. Idem: Si moleste cœperis sustinere, si judicare prælatum, si murmurare in corde, etiam si exterius impleas quod jubetur, non est virtus patientiæ, sed velamen malitiæ. Glossa: Ignis justæ ultionis in futuro illos excruciat, qui lingua inflammata a gehenna murmurant, & detrahunt.

Greg. l. 2 Mor. c. 13. cir. med.

Ibid. l. 22 c. ult. cir. fin.

Idem ho. 19 in Ev. cir. med.

Bern. de cons. l. 3. post med.

Idem in ser. parvis ser. 63

Ibid. ser. 3 de circ. Do. post med.

Glos. Numer. 11

De Contentione.

Gregorius in Moralibus: Culpabiliores esse solent hi, qui in contentione inchoant, quam qui respondent. Idem in Pastorali: Quisquis in seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti familiarius servit. Idem: Hypocrita assumpto sanctæ conversationis habitu filiorum suorum custodiam deserit, & temporalia, quæque defendere, etiam jurgiis, quærit. Augustinus in regula: Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sicut enim legistis: qui odit fratrem suum, homicida est. Idem: Vobis a verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Isidorus in synonymis: Contentio faces odiorum accendit, pacem cordis contentio extinguit, concordiam contentio rumpit. Seneca in Epistola: Rixa est inter competitores.

Greg. l. 26 Mor. c. 2.

Idem past. cu. p. 3 ad. mon. 24

Idem l. 31 Mor. c. 8 paul. post prin.

Aug. reg. 3 c. 37 t. 1

Ibid. c. 39

Isi. in syn. l. 9 ante med.

De Convitiatione.

Gregorius in Moralibus: Sæpe pravi dum suæ vitium fortitudinis ignorant, audenter aliorum rectitudinem lacerant: cumque contra bonos sibi auctoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quæ non videndo, sed audiendo didicerunt, aut ea mala ab aliis mentientes ingerunt, quæ ipsi committunt. Idem: Sæpe qui in potestate sunt, ad subjectorum passim contumelias erumpunt, & hoc, quod invigilantes regimini serviunt, per linguæ procacitatem perdunt, minori scilicet rectitudine verba judicis pensantes, quia qui sine causa fratrem fatuum dixerit, gehennæ se ignibus adjicit. Joannes Chrysostomus de compunctione cordis: Sive fatuum quis dixerit, sive vanum, sive latronem, sive quolibet alio nomine injuriam, vel maledictum fratri ingesserit: ex quolibet horum vocabulo sub maledicti titulo, gehennæ ignis suppliciis condemnatur. Augustinus: Quicumque convitio. Supra in capite de satisfactione lib. 2. Hieronymus in Epistola: Nec sibi quisquam de corporis castitate supplaudat, cum de verbo otioso, quodcumque locuti fuerint homines, reddituri sint pro eo rationem in die judicii: cum etiam homicidii sit reatus convicium in fratrem. Bernardus in Epistola. Ego plagis conscientiæ meæ nullum iudico accommodatius medicamentum, pro-

Greg. l. 8 Mor. c. 22 cir. med.

Ibid. l. 5 c. 8 an. med.

Chr. de comp. cor. l. 1 longe ante med. tom. 5

Hier. ep. 1 ad Helliod. t. 1 verr. fin.

Ber. Ep. 180 ad Eug. PP. ante med.

probris & contumeliis: non est proinde, quod pro me movear, homuncio omni opprobrio dignus, & despectione.

De Derisione.

Greg. l. 25 Mor. c. 8 cir. med.

GRegorius in Moralibus: Timendum est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non noverit, qui non stantem noverit irridere. Idem: Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum.

Ibid. l. 10 Mor. c 15

De Maledictione.

Greg. l. 4 Mor. c. 6

GRegorius in Moralibus. Aliter maledictum profertur prætextu justitiæ: Aliter livore vindictæ. Idem: Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt. Idem: Qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo Deum facere volunt, nisi quod ipsi aut facere nequeunt, aut erubescunt? Idem in registro ad quemdam Archiepiscopum: Nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te cogitationem habere significas; dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictum anathematis invexisti. Idem in Dialogis super illud: Neque maledici regnum Dei possidebunt. Pensa quam gravis est culpa, quæ separat a regno cœlestis vitæ. Augustinus de conflictu vitiorum, & virtutum: Quid de illis dicendum est, qui furore cæcitatis, usque ad verba prorumpunt maledictionis, nisi hoc quod Apostolus ait: Neque maledici regnum Dei possidebunt? Et in proverbiis: Maledictum frustra prolatum in quempiam devolvetur. Interlinearis: In proferentem. Ibidem Glossa: Est aliquid maledictum juxta divinam justitiam, ut excommunicatio. Joannes Chrisostomus de compunctione: Christus orare nos pro calumniantibus jubet: nos autem insidias: & dolos etiam amicis concinnamus. Christus maledicentibus benedicere jubet: nos autem econtrario, aut priores maledicimus, aut maledictis alterius, multiplicata maledicta restituimus.

Ibid. | Ibid. l. 22 c. 6 cir. fin. | Idem reg. li. 2 ind. 10 c. 34 | Idem l. 3 Dial. c. 15 cir. med. | Aug. de conf. vit. & virt. c. 9 tom. 9 | Glos. int. prov. 26 | Chrys. de comp. cord. l. 1 ante med.

De Detractione.

GRegorius super Ezechielem: Perversorum derogatio, vitæ nostræ approbatio est: quia jam ostenditur aliquid justitiæ nos habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. Idem: Ne immoderatis. Infra de infamia. Isidorus in synonymis: Detractio grave crimen est, detractio gravis damnatio est. Idem: Numquam detrahes si te bene perspexeris. Idem: Erit ille apud Deum. Infra de crudelitate. Joannes Chrysostomus in sermonibus: ad condemnandum ceteros, omne vitæ nostræ tempus absumimus, a quo vitio neque sæculi hominem, neque monachum ullum facile invenias liberum. Hieronymus in Epistola: Quia homines sumus, & interdum contra annorum maturitatem, puerorum vitiis labimur. Si me vis corrigi delinquentem, aperte increpa, tantum ne occulte mordeas. Bernardus super Cantica: Unus est detractor, qui loquitur, & unum tantum verbum profert: & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium aures inficit, animas interficit. Idem de consideratione: Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Anselmus de similitudinibus: Tria sunt genera homicidii, quæ pari plectuntur pœna, interfectio hominum, detractio proximorum, odium fraternum. Idem: Detractio est, quoties quis aliquid ea intentione de aliquo dicit, unde ipse minus amari, vel appretiari possit.

Greg. in Ezec. ho. 9 ante med. | Isi. in syn. cap. 10 | Ibid. paulo post. | Est apud Chr. de comp. cor. l. 1 ante med. t. 5 | Hier. Ep. 4 ad Rust. post med. tom. 1 | Bern. in Cant. ser. 24 ar. med. | Idem. de consid. l. 2 prope fin. | Ans. de sim. c. 147 | Ibid. c. 149

De Adulatione.

GRegorius in Dialogis: Moris est, ut occupato in multis animo, adulatio valde subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquam fuerit citius repulsa. Idem in registro: Nec novum, nec reprehensibile est in eligendo

Greg. l. 2 Dial. c. 4 cir. med. | Idem reg. l. 8 ind. 3 c. 40 in pr.

ligendo Episcopo, populi se vota in duas partes dividere, sed grave est, quando in hujusmodi causis, non ex judicio, sed ex solo favore adulationis venit electio. Idem in homiliis: Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus: & adhuc quod est gravius, aliquando si persona in hoc mundo potens sit, ejus forsitan & errata laudantur, ne si avertatur per iracundiam, munus subtrahat, quod impendebat. Ambrosius de officiis: Non est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Idem: Prospiciendum est, ne adulantibus aperiamus aurem. Emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur. Augustinus de quæstionibus veteris, & novi testamenti; Adulator est, qui ideo dat consensum, ne offendat eum, quem optat habere propitium. Idem de Trinitate; Si inimicus insultat, ferendus est. Amicus autem si errat, docendus est: si docet audiendus. Laudator vero & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Hieronymus in Glossa Matthæi; Rigida vita, & prædicatio vera declinare debet mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes, qui ponunt pulvinaria sub cubito, qui vitam palpant peccantium, non pungunt, ut vel sic aliquid venentur. Bernardus: Habet vera. Infra lib. 4. de amicitia. Glossa super Psalmos; Plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris. Seneca in Epistola; Illud præcipue nos impedit, quod cito nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, & non sumus.

Amb. off. lib. 3 c. 16 post med. tom. 4
Ibid. l. 1 c. 42
Aug. de q. vet. & no. Test. q. 51 t. 4
Idem de Tr. l. 2 non longe a pr. tom. 3
Hier. in Matt. l. 1 c. 11 t. 6
Glossa in Ps. 69
Sen. ep. 60 cir. med.

De Suggestione.

Gregorius super Ezechielem; Hi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum suscipiunt. Hieronymus in Epistola: Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant mali, satagunt, ambiunt, ut de aliis omnibus hoc credatur. Isidorus de Summo bono: Deteriores sunt, qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt.

Greg. in Ezec. ho. 2 longe ante med.
Isid. de sum. bo. l. 3 c. 38 sent. 5

De Turpiloquio.

Hieronymus in Epistola: Non flagito linguæ nitorem, sed animæ puritatem. Apud Christianos enim solæcismus est, & magnum vitium, turpe quid vel narrare, vel facere. Bernardus in sermonibus; Dum otiosa tamquam minima spernimus, ad turpia interdum, & inhonesta dilabimur.

Hier. lib. adv. Helvid. longe ultra med. tom. 2
Ber. ser. de triplici genere cogitationum prope fi.

De Mendacio.

Gregorius in Moralibus: Deus mendacio nostro non eget, quia quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Idem: Summopere cavendum est omne mendacium: quamvis nonnumquam sit aliquod genus mendacii culpæ levioris, scilicet, si quisquam beneficium præstando mentiatur. Idem: Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant: immo mentiendo superbiunt, qui contra veritatem se erigunt, quam relinquunt. Idem: Quisquis expositor. Infra lib. 4 de doctrina. Isidorus in synonymis: Cave mendacium in omnibus: mendacio enim fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur. Nullum mendacium potest esse justum. Idem de Summo bono: Testis falsidicus, tribus est personis obnoxius. Primum quidem Deo, quem perjurando contemnit: consequenter judici, quem mentiendo fallit: postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Idem: Nonnumquam pejus est mendacium meditari, quam loqui: nam interdum quisque incautus solet ex præcipitatione loqui mendacium: meditari autem non potest nisi per studium. Augustinus in Enchiridion: Utique verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem se homines fallant: sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Idem: Mihi videtur omne mendacium esse pec-

Greg. l. 11 Mor. c. 13 cir. med.
Ibid. l. 8 c. 4 non longe a pr.
Ib. l. 16 c. 3
Isi. in syn. c. 2 1 cir. pr.
Idem de sum. bo. l. 3 c. 59 sen. 2
Ibid. l. 2 c. 30 sent. 6
Aug. in Enc. c. 42 tom. 3

peccatum quidem: sed multum intereſſe quo animo, & de quibus rebus quiſque mentiatur. *Ibid. c. 22* Idem: Omne mendacium ideo dicendum eſt eſſe peccatum, quia homo non ſolum quando ſcit ipſe, quid verum ſit: ſed etſi quando errat, & fallitur ſicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit; ſive illud verum ſit, ſive putet, & non ſit. *Idem cont. mend. ad Conſent. c. 11 in fin. tom. 4* Idem in libro de mendacio: Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. *Idem de ve. rel. c. 33 t. 1* Idem de vera religione. Ineſt omni mentienti voluntas fallendi, etiam ſi ei non credatur: *Idem de Doc. Chr. l. 1 c. 36 tom. 3* Idem de doctrina Chriſtiana: Nemo mentiens, in eo quod mentitur ſervat fidem. Nam hoc vult utique, ut cui mentitur ſibi fidem adhibeat, quam tamen ei mentiendo non ſervat. Omnis autem fidei violator iniquus eſt.

De Juratione.

Aug. cont. mend. ad Conſ. c. 15 tom. 4 AUguſtinus de mendacio: Dico vobis non jurare omnino, ne ſcil. jurando ſemel ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine in perjurium decidatur. Idem ſuper canonicam Jacobi: Falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio perículoſa, nulla ſecura. Idem: Quam grave peccatum eſt perjurare, compendium tibi dedit ſcriptura dicens: Noli jurare. Idem: Perjurium præcipitium eſt: qui jurat, juxta eſt: qui non jurat, longe eſt: qui verum jurat, non peccat, ſed prope eſt ad peccatum. ſed qui non iurat, non peccat, & longe eſt a peccato. Idem: Qui iuramentum exigit ab alio, multum intereſt ſi neſcit illum falſum iuraturum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit iura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere eſſe peccatum, tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit, & cogit eum iurare, homicida eſt: ille enim ſuo periurio ſe perimit. *Idem ep. 154 ad Public. ante med. t. 2* Idem in Epiſtola: Sine dubio minus malum eſt per Deum falſum iurare veraciter, quam per Deum verum iurare fallaciter. Quanto enim, per quod iuratur, magis eſt ſanctum: tanto magis eſt pœnale periurium.

De Blaſphemia.

Greg. l. 1 Mor. c. 18 in prin. GRegorius in Moralibus: Filii in cordibus Deo maledicunt, cum recta noſtra opera a non rectis cogitationibus prodeunt: cum bona in aperto exerunt, ſed noxia in occulto moliuntur. Idem: Deo quippe maledicunt, cum ſe & ab illo accepiſſe vires intelligunt, ſed tamen de eius muneribus propriam laudem quærunt. *Ibid.* Auguſtinus de vera religione: Blaſphemia eſt, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgo blaſphemia eſt, ubi mala verba de Deo. *Eſt apud Aug. de mor. Man. l. 2 c. 11 t.* Gloſſa: Auguſtini: Blaſphemia eſt per quam de Deo ipſo falſa dicuntur: & ideo peius eſt blaſphemare, quam peierare: quia peierando falſæ rei adhibetur teſtis Deus: blaſphemando, de ipſo Deo falſa dicuntur. *Gl. eph. 4 ex Aug. com. ad Conſ. c. 19. poſt med. tom. 4* Idem ſuper Joannem: Flagellatus eſt Chriſtus flagellis Judæorum, ſed non minus flagellatur blaſphemiis falſorum Chriſtianorum. *Aug. tr. 10 in Io. ante med. t. 9* Joannes Chryſoſtomus ſuper Joannem: Glorificemus Deum, non per fidem ſolum, ſed etiam per vitam: quia aliter nequaquam erit gloria, ſed blaſphemia. Non enim ita blaſphematur Deus a Gentili exiſtente inquinato, ut a Chriſtiano corrupto. Bernardus: Fugienda otioſitas. Supra de nugis. Idem: Cavete ne quis parva. Supra lib. 2 de peccato. Gloſſa; Omne peccatum blaſphemiæ comparatum, minus eſt. *Gloſ. Iſa. 8* Gloſſa: Gravius peccat contemptor ſedentis in cœlo maieſtatis, quam crucifixor ambulantis in terra paupertatis. *Gl. Pſ. 68*

Caput IV.

De Occupatione.

GRegorius in dialogis: Multum eſt, quod uniuſcujuſque præſulis mentem curarum denſitas devaſtat: cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad ſingula, tantoque ei in unaquaque re ſurripitur, quanto latius in pluribus occupatur. *Greg. l. 1 Dial. c. 4 poſt med.* Idem in regiſtro: Sicut toto deſiderio debemus curas, & occupationem huius mundi fugere, ita ſi deſit qui prædicet, occupationis onus libenti neceſſe eſt humero ſubire. *Idem reg. l. 6 ind. 15 c. 169 ante med.* Idem; Qui adhuc valetis huius mundi occupationes fugite: quia quanto quiſque in eo profecerit, tanto ut video, ab amore Dei amplius decreſcit. *Ib. l. 1 c. 30* *Idem ho. 19 in Ev. poſt med.* Idem in homiliis: Uſu terrenæ curæ a cœle-

lesti desiderio obdurescit animus: & A dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem sæculi ad ea molliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. *Idem l. 23 Mor. c. 12 non longe a prin.* Idem in Moralibus: Male homo vigilat quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter inquietat. Idem; Plus in hoc mundo. Infra capitulo de honore. *Idem in Ezec. ho. 10 ante med.* Idem super Ezechielem: Quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipiatur, ut in huius mundi *Aug. de ver. rel. c. 35 tom. 1* actibus non laborent. Augustinus de vera religione; Amici huius mundi, tam timent ab eius amplexu separari, *Isi. de sum. bo. l. 3 c. 48 sen. 4* ut nihil sit eis laboriosius, quam huius sæculi curis non labotare. Isidorus de Summo bono; Quanto quisque curis mundi maioribus occupatur, tanto facilioribus otiis premitur. *Ib. c. 63 sent. 1* Idem; Mundi amatores non solum ex eo rei sunt, quod infima præ summis appetunt, verum etiam miseri per hoc, quod cum gravi ærumna ad ipsa desiderata pertingunt. Idem: Longe a Deo. Supra lib. 2 de oratione inaccepta. *Amb. l. de Nabut. c. 6 cir. med. tom. 1* Ambrosius in sermone: Excitat divitem occupatum cupiditas, excitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia. *Idem Ep. l. 4 Ep. 27 ad Simpl. tom. 1* Idem in Epistola; Et si alii dives videtur, sibi pauper est, qui non utitur eo, quod habet, qui adhuc alia *Leo ser. 7 de nativ. Dom. cir. med.* rapit, alia desiderat. Leo Papa; Diabolus omnium discutit consuetudines, omnium ventilat curas, omnium scrutatur affectus; & ibi causas quærit nocendi, ubi quempiam viderit studiosius occupari. *Ber. decl. super Ecce nos, post med.* Bernardus de contemptu; Sane ut exercitii spiritualis, & curæ cordis, iudicium evidens est contemptus exteriorum; sic eorumdem solicitudo, certum signum est mentis incultæ. *Sen. ep. 74 ante med.* Seneca in Epistola; Quisquis se fortuitis multum dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, & inexplicabilem facit. Una hæc via est ad tuta vadenti, externa, sive fortuita despicere, & honesto contentum esse. *Idem Ep. 34 post me.* Idem; Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti, Nemo enim ad illam pervenit fortuitis occupatus.

Caput V.

De Mutabilitate.

Greg. reg. l. 9 ind. 4 c. 39 non longe a pr. Gregorius in registro; Si laudibus aliorum lætamur, & aliorum vituperationibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. *Idem l. 21 Mor. c. 10 cir. med.* Idem in Moralibus; Dum cor in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quibusdam fluctibus volvitur; ac per modos varios rerum, alternantium mutabilitate versatur. *Aug. de past. c. 12 tom. 9* Augustinus de pastoribus; Hominum temerariis iudiciis plena sunt omnia; de quo enim multum B desperavimus, subito convertitur, & fit optimus: de quo præsumpseramus, subito deficit & fit pessimus. Nec timor ergo noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque vix novit ipse homo; si autem utcumque novit ipse, quid sit hodie; quid autem cras erit, nec alius, nec ipse. Idem in meditationibus; Heu me tantæ infelicitatis, tantæ perditionis: dum enim quæ retro sunt, obliviscens ad ea, quæ ante sunt me extendere volo, subito nescio qua miseria me relabi ad inania, & noxia conspicio. *Bern. in ser. Nat. S. Joan. Bap. ante med.* Bernardus in sermonibus; Qui conscientias suas in alienis labiis ponunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli; C secundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuit, vel laudare. *Sen. Ep. 47 in fin.* Seneca in Epistola: Hoc habent inter cetera boni mores, placent sibi, & permanent; levis est malitia, sæpe mutatur non in melius, sed in aliud.

Caput VI.

De Vagatione.

Greg. Past. cu. p. 3 admon. 14 non longe a prin. Gregorius in pastorali; Interior est custodia cordis, quæ ordinata exterius servat membra corporis. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriore mobilitate indicat, quod nulla interius radice constantiæ subsistat. *Hier. ep. 8 ad Dem. post med. tom. 1* Hieronymus in Epistola; De agmine columba-

barum crebro accipiter unam sepa-rat, quam statim invadat, & lace-ret, cujus carnibus & cruore satie-tur & morbidæ oves suum relinquunt gregem, & luporum faucibus devo-rantur. Idem super illud Genesis, secundum aliam litteram: Egressus Cain a facie Domini habitabat in terra Naid, quod interpretatur flu-ctuatio. Quicumque enim a Domino recedit, statim sæculi fluctibus quati-tur, & moventur pedes ejus. Augu-stinus. Cohibet se. Lib. 2 de conti-nentia visus. Bernard. Nihil turpius. Lib. 1. de monachis malis. Seneca in Epistola: Frequens migratio cor-poris, instabilis animi proprium est. Coalescere otio non potes, nisi desi-nas circumspicere, & errare. Idem: Ut animum possis continere, primo corporis fugam siste: deinde remedia continuata plurimum proficiunt. Idem: Sine discere oculos tuos, sine aures assuescere sanioribus verbis: quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renovent cupiditates tuas tibi occurrent. Idem: Primum argu-mentum compositæ vitæ existimo, posse consistere, & secum morari. Idem: Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Idem: Ava-rior, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior, & inhumanior redeo, quia inter homines fui. Idem: Nus-quam est, qui ubique est. Idem: Vitam in peregrinatione agentibus hoc eve-nit, ut multa hospitia habeant, nul-las amicitias.

Ibid. ep. 146 ad Damasum ante med. tom. 3 — *Sen. Ep. 69* — *Ibid. cons.* — *Ibid.* — *Idem ep. 2* — *Ibid.* — *Idem Ep. 7 ante med.* — *Idem Ep. 2* — *Ibid. cons.*

Caput VII.

De Curiositate.

Gregorius in registro: Dum in-congrua dicentes audire non renuis, non solum opinionem tuam, sed gravas & animam. Idem in ho-miliis: Grave curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad in-vestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscon-dit, ut aliena sciens se nesciat: & omnis curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. Idem super Ezechielem: Sicut A malus aer, assiduo flatu tractus, in-ficit corpus: ita perversa locutio, as-sidue audita, infirmantium inficit a-nimum, ut tabescat delectatione pra-vi operis, assiduitate curiosi sermonis. Idem in Moralibus: Fit recto retri-butionis examine, ut qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori cordis oculo non injuste cæcetur. Idem: Plerumque res. Infra lib. 4 de inno-centia. Augustinus in confessionibus: Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ cantatur, moveat, pœnaliter me peccare con-fiteor: & tunc mallem non audire cantantem. Idem: Præter concupi-scentiam carnis, quæ inest in dele-ctatione omnium sensuum, & volu-B ptatem, cui servientes depereunt, qui longe se faciunt a te Domine, inest animæ per eosdem sensus cor-poris quædam, non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem va-na & curiosa cupiditas, nomine co-gnitionis, & scientiæ palliata. Idem: Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui fecit hæc bona valde, sed ipse est bonum meum, non hæc. Idem de vera religione: Miseri ho-mines, quibus cognita vilescunt, & novitatibus gaudent, libentius discunt, quam norunt, cum tamen cognitio sit finis discendi. Joannes Chrysost. in sermonibus: In theatro non solum C vides res infaustas, sed & audis spur-ciloquia, & ex ipso incessu meretricis & habitu molliris: ubi auditu, & can-tu Diabolico, læduntur aures tuæ, & undique percutitur mens tua. Isi-dorus in synonymis: Noli quærere, quid quisque dicat vel faciat: evita curiositatem, omitte curam, quæ ad causam tuam non pertineat. Idem: Oculi prima tela libidinis, visio pri-ma concupiscentia mulieris. Idem de Summo bono: Quidam curiosi delectantur audire quoslibet sapientes, non ut veritatem ab eis quærant, sed ut facundiam sermonis eorum co-gnoscant more poetarum: qui magis compositionem verborum, quam sen-tentiam veritatis sequuntur. Bernar-dus in meditationibus: Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt, alios in-spi-

Greg. ho. 36 in Evang. ante med. — *Idem in Ezec. ho. 9 post med.* — *Idem l. 21 Mor. c. 6* — *Aug. conf. l. 10 c. 33 tom. 1* — *Ibid. c. 35 in prin.* — *Ibid. c. 34* — *Idem de ver. rel. c. 52 t. eod.* — *Isid. in syn. c. 16* — *Ibid. c. 5* — *Idem de sum. bo. l. 2 c. 29 sen. 13* — *Ber. med. c. 1 in pr.*

spiciunt, & seipsos deferunt: Deum quærunt per ista exteriora, deserentes interiora sua quibus interior est Deus. Idem de duodecim gradibus: O Dina! quid necesse est, ut videas mulieres alienigenas: qua necessitate? qua utilitate? an sola curiositate? & si otiose vides, non tamen otiose videris. Idem: Serva commissum, cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid mulierem, tuam mortem, tam intente intueris: quid illuc tam crebro vagantia lumina jacis? Idem: Nisi mens minus se curiose servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium commissæ, & causa committendæ. Idem: Monachus, qui sui negligens alios curiosæ circumspicit, dum quosdam suscipit superiores, quosdam despicit inferiores; & in aliis quidem videt quod invidet, in aliis quod irridet. Inde fit ut pro mobilitate oculorum levigatus animus, nulla utique sui cura gravatus, modo per superbiam ad alta se erigit, modo per invidiam in ima se demergit. Idem: Ex insolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur; quamdiu enim a sui circumspectione curiosus torpescit, incuriam sui curiosam in alios facit. Qui enim seipsum ignorat, foras mittitur ut hædos pascat. Anselmus de similitudinibus? Curiositas est studium perscrutandi ea, quæ scire nulla est utilitas. Seneca in Epistola; Nil tam damnosum bonis moribus, quam in curioso spectaculo residere; tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.

Idem de 12 grad. hum. gra. 1 ante med.

Ibid. paulo post.

Idem.

Ibid. gra. 2

Ibid gra. 1 cir. prin.

Ans. de simil. c. 26

Sen. ep. 7 ante med.

Caput VIII.

De Negligentia.

Gregorius in Moralibus; Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, statim audenter etiam majora perpetramus. Idem: Plerumque de bonis per incuriæ vitium mala nascuntur. Idem; Iniquorum mentes, qui damna sua considerare negligunt, integritatem suam quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, & per accessum temporis ab ætate vitam. Idem in registro: Cum divina præcepta nos moneant, proximos sicut nosmetipsos diligere debere, non parvæ negligentiæ est præcepta Dei despicere, & quod sibi quis metuit, alii non timere. Idem in pastorali: Si a circumspectionis solicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur; quia hostis callidus, tanto liberius pectus percutit, quanto nudum a providentiæ lorica deprehendit. Augustinus de verbis Domini: Sic homines negligunt vitam suam ut nolint habere malam rem nisi ipsam. Idem: Tu vulnus. Infra lib. 4 de taciturnitate. Idem de natura & gratia: Cum ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi servientem aversum vocet doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Joannes Chrysost. de compunctione cordis: Si forte in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim & medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni observantia, quæ competunt, gerimus, nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur & modis omnibus pereat, nec parva quidem, pro ea nos cura solicitat. Idem: Non anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est: qui ergo quod primum, & melius est, negligit, & quod inferius est extollit, utrumque corrumpit. Idem: Certum est, quod omnes pariter corrumpat, & absumat incuria: dum nemo est, qui vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat. Idem super Joannem: Omni rei magis parcere debes, quam tempori: aurum enim si contempseris, poteris rursus vel idipsum, vel aliud recuperare: tempus vero si perdideris, difficile id resumes. Bernardus in meditationibus: Quanto diutius nos Deus expectat, ut

Greg. l. 10 Mor. c. 9 cir. fin.

Ibid. l. 13 c. 18 post med.

Ibid. l. 5 c. 29 cir. med.

Idem reg. l. 9 ind. 4 cap. 49

Idem Past. cur. p. 3 c. 1 adm. 33 non longe a pr.

Aug. de nat. & gra. c. 97 post med. tom. 7

Chrys. de comp. cord. l. 1 non longe a pr.

Ibid.

Ber. med. c. 2 ante med.

ut emendemur: tanto districtius ju- A dicabit, si neglexerimus. Idem: de contemptu mundi: Nihil pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius æstimatur: transeunt dies salutis, & nemo recogitat. Idem, super Cantica: Non curant carnales quærere, quantum desiderant invenire, cupientes consequi, sed non exequi. Seneca in Epistola: Nemo se judicat quidquam debere, qui tempus accepit, cum inter multa hoc unum est, quod nec gratus quidem potest reddere.

Idem in declam. super Ecce nos, post med. Idem in Cant. ser. 21 ante med. Sen. Ep. 1

Caput IX.

De Securitate.

Gregorius in Moralibus: Non- B numquam ipsis bonis, quæ agimus ad deterius propinquamus: quia dum lætitiam menti pariunt, quamdam etiam securitatem gignunt: dumque mens secura redditur, in torpore laxatur. Idem: Sæpe mens dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatæ culpæ telo perforatur. Idem: Sæpe quem tentationis. Infra capite de remissione. Idem: Sæpe nonnullis grave periculum incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. Idem; Fit plerumque. Infra lib. 4 de Innocentia. Idem: Nonnumquam in parva. Supra lib. 2 de peccato. Idem: Quia amoris intimi calorem mens C non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor. Idem in registro: Mater negligentiæ solet esse securitas. Augustinus de conflictu: Loth exercitio malorum probatus inter Sodomitas sanctus fuit, in monte vero securitate corporis salvatus cum filiabus peccavit. Joannes Chrysostomus: Virtus fidei. Supra lib. 2 de fide. Isidorus de Summo bono: Neque umquam oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpe incautos ad vitia transacta reducit.

Greg. l. 1 Mor. c. 17 & ver. 34. Ibid. l. 9 cap. 7. Ibid. 20 c. 9 non longe a prin. Ibid. l. 9 c. 34 cir. pr. Idem. reg. l. 6 ind. 15 c. 186 cir. fin. & l. 24 Mor. c. 7 ante med. Aug. de conf. virt. & vit. c. 14 tom. 9. Isi. de sum. bo. l. 2 c. 21 sent. 17

Caput X.

De dijudicatione.

Gregorius in registro: Grave est satis, & indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. Idem in moralibus: Fit ut dum ad aliena dijudicanda mens ducitur, proprii judicii lumine privetur: & eo durius contra aliena superbiat, quo sua negligentius ignorat. Idem: Hoc proprium. Supra lib. 2 de superbia. Idem: Quisquis superbiæ, vel invidiæ in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo, judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis bene geruntur, displicent, & sola ei, quæ ipse vel prave egerit, placent. Idem: Cuncti vanæ gloriæ sectatores, dum se omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alio autem de indignis meritis reprehendunt, alios enim censent nihil scire, alios non bene vivere. Idem: Sancti viri aliena opera etiam prava mirantur, sua vero etiam magna despiciunt. Reprobi vero sua, vel quæ parva sunt admirantur: & plerumque de suis malis bona æstimant, de alienis autem bonis male sentire non cessant. Idem: Stulti cum prudentium. Infra de oblivione. Hieronymus in Epistola; Periculosum est de servo alterius judicare, & non facilis venia, prava dixisse de rectis. Joannes Chrysost. de compunctione; In alienis delictis servi & amarissimi judices residemus, nostras autem trabes oculis infixas propriis non videmus; qui aliena etiam minima solicite perscrutamur. Idem: Judicare de alterius mente, summa difficultas est. Augustinus de sermone Domini in monte; Maxime hi temere judicant de meritis alienis, & aliorum facta facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare & corrigere. Quod quidem vitium, vel superbiæ est, vel invidentiæ. Bernard. de contemptu; Judicent tunc, & præjudicent superbiæ filii, & cum rege suo sedeant, qui sibi latera aquilonis elegit.

Greg. regi. l. 8 ind. 1 c. 30. Idem l. 3 Mor. c. 18 cir. med. Ibid. l. 39 c. 18 ante med. Ibid. l. 23 c. 3 non longe a pr. Ibid. l. 26 cap. 26. Hier. Ep. 99 ad Asel. non longe a prin. tom 2. Chrys. de comp. cord. l. 1 ante med. t. 5. Ibid paulo infr. Aug. de ser. Do. in mon. l. 2 c. 19 t. 4. Ber. decl. super Ecce nos post med.

git. Exaltentur, & eleventur sicut cedrus libani, transibimus, & ecce non erunt. Opprimant tunc quos poss. sunt, blasphement, congerant maledicta, veniant super nos opprobria exprobrantium Christo, quoniam merces nostra copiosa est in cœlo.

CAPUT XI.

De recidivatione.

Greg. l. 21 Mor. c. 9 GRegorius in Moralibus: In unoquoque lapsu, a minimis semper incipitur, & succrescentibus, ad graviora pervenitur. *Ibid. l. 11 cap. 7* Idem: Sæpe committunt homines mala, quæ sciunt; & idcirco permittuntur decipi, ut cadant etiam in mala, quæ nesciunt. *Ibid. l. 18 c. 19 cir. med.* Idem; Auget reatum culpæ sequentis, præconium gloriæ præcedentis. Nam uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto prius quam caderet, majoris potuit esse virtutis. *Ibid. l. 1 c. ult. in prin.* Idem; Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur; quia & frustra currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. *Id. Past. cu. p. 3 c. 1 adm. 35 post med.* Idem in pastorali; Si quod videtur, bonum gerendum solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. *Ibid. adm. 28 in fin.* Idem: Qui fortiori studio intenderit, retrospicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. *Idem in Ezech. ho. 9 longe an. med.* Idem super Ezechielem: Sicut qui a fide recedit, apostata est, ita qui ad perversum opus, quod deserit, redit, ab omnipotenti Deo absque ulla dubietate apostata deputabitur, etiam si fidem tenere videatur. *Idem reg. l. 1 ind. 9 cap. 16* Idem in registro: Minoris excessus est, veritatem non cognoscere, quam in ea agnita non manere. *Aug. l. 14 de civ. Dei, c. 13 in fi. tom. 5* Augustinus de civitate Dei; Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit. *Idem de bo. vid. c. 8 tom. 4* Idem in libro de viduitate: In viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voti debito oblata, jam non solum capescere nuptias, sed etiam si non nubatur, vel nubere damnabile est. *Ibid. c. 11* Idem: Cum quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habet vovendi necessitatem. *Ibid.* Idem; Plane non dubitaverim dicere lapsas animas a charitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteris esse pejores. *Idem de verb. Apos. ser. 15 in fi. tom 10* Idem in libro de verbis Apostoli: Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via retardare, noli retro redire, noli deviare. Remanet enim qui non proficit, retro redit, qui ad ea relabitur, unde jam recesserat, deviat, qui apostatat. *Hier. Ep. 22 ad Sal. Lap. ante med. n. 9* Hieron. in Epist. De Dei virgine facta es corruptio satanæ: de sponsa Christi, facta es scortum execrabile: de templo Dei, fanum immunditiæ: de habitaculo Spiritus sancti, tugurium Diaboli: quæ prius incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris, ut stellio. *Isi. de sum. bo. l. 2 c. 16 sent. 2* Isid. de Summo bono: Quemadmodum ad virtutem tendentes culmen non a summis inchoant, sed a modicis, ut sic sensim ad altiora pertingant: ita & qui dilabuntur ad vitia, non statim a magnis criminibus incipiunt, sed a modicis assuescunt, & sic ad maxima proruunt. *Ibid. l. 3 c. 22 sent. 8* Idem: Multis argumentis insidiatur Diabolus eius, qui renuntiant sæculo, ut eis se iterum amori substernant: gravius autem illos concupiscentiis sæculi ferit, quos post renuntiationem ad mundi amorem reduxerit. *Ber. Ep. 1 ad Rober. post med.* Bern. in Epist. Habet quidem Christus multos milites, qui fortissime cœperunt, steterunt, vicerunt: paucos autem, qui de fuga conversi, rursus se periculo ingesserint, quod declinaverant, rursusque fugarent hostes, quos fugiebant. *Ibid. prope fin.* Idem: Beatus es, si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis: væ autem tibi declinando pugnam, perdis enim victoriam simul & coronam. *Id. Ep. 251 ad abb. Garin.* Idem: Si proficere currere est, ubi non proficere ibi & currere desinis: ubi vero non currere, ibi & deficere incipis: hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. *Idem in Cant. ser. 17 ar. med.* Idem super Cantica: Septies cadit ju-

justus, & septies resurgit, si tamen cadit in die, ut se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adjuvantis, & dicat: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.

Caput XII.

De Consuetudine.

Greg. ho. 31 in Ev. post med. Gregorius in homiliis: Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur enim & labitur: quia ubi diu sponte perstitit, ibi etiam cum noluerit, coacta cadit. Idem super Ezech. *Idem in Ezech. ho. 10 longe ante med.* Frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens: ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. *Idem reg. l. 7 ind. 2 c. 119* Idem: in registro: Si pravæ rei aditus antequam diu patescat, non clauditur, usu fit latior, & erit consuetudine licitum, quod ratione & lege, constat esse prohibitum. *Gl. Thren. 3 & Jo. 11 Isi. in syn. cap. 13* Glossa: Difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Isid. in synonymis: Assiduitas mores facit, & jugis usus in naturam se vertit. *Id de sum. bo. l. 2 c. 23 sent. 3* Idem de Summo bono: Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, & consuetudo necessitatem. *Ibid. c. 19 sent. 2* Idem: Dum facta quædam non gravia libere, ac sine metu committimus, ad pejora scelera, & horrenda, peccati consuetudine labimur. *Aug. d. lib. arb. l. 3 c. 5 post med. t. 1* August. de libero arbitrio: Ratio æstimat luce veritatis, ut recto judicio subdat majora majoribus: usus autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris æstimet, quæ veritas minora convincit. *Idem l. 6 con. Jul. Pelag. c. 7 post med. t. 7* Idem contra Julianum: Contra istam genitalium concupiscentiam, quæ ingenita nobis est per originale peccatum, vehementius vidua, quam virgo: vehementius meretrix, cum casta esse voluerit, quam quæ semper casta confligit: & tanto amplius in ea superanda, voluntas laborabit, quanto majores ei consuetudo vires dedit. Idem in Glossa super Psalmos: Facilius est retrahi ab ingressu, quam ab arrepto itinere pravæ consuetudinis revocari. Joannes Chrysost. de compunctione cordis: Consuetudini contemnendi dum de præteritis dolor nullus est, facilius supervenientibus malis locum damus. *Amb. off. l. 1 c. 20* Ambros. de officiis: Usus cito inflectit naturam. *Sen. Ep. 39 in fin.* Seneca in Epistola: Mali mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant: sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt.

Caput XIII.

De Obstinatione.

Gregorius in Moralibus: Pravi audire bona patienter nequeunt: & cum vitæ emendationem negligunt, ad verba se obstinatæ responsionis accingunt. *Greg. l. 10 Mor. c. 3 in prin.* Idem: Quos reatus similis sociat, concordi pertinacia etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis, alterna se invicem defensione tueantur. *Ibid. l. 31 c. 24 post. med.* Augustinus de agone Christiano: Nolentes se si peccaverint corrigi, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. *Aug. de ago. Christ. c. 31 t. 3* Idem de vita Christiana: Fit, ut qui homines non timent in delinquendo, in judicio Deum judicem sentiant, & ultorem. *Idem de vita Chr. c. 3 to. 9* Idem de fide ad Petrum: Obdurate vivit sive qui non convertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum, sive sic de misericordia Dei sperat, ut usque in finem vitæ suæ in suorum criminum perversitate permaneat. *Idem de fide ad Pet. c. 3 po. 9 me.* Joannes Chrysostomus in sermonibus. Peccare humanum est, permanere autem in peccatis Diabolicum est. Bernardus de consideratione: Quid est cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minus non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula. *Ber. de consid. l. 1 ante med.* Idem de præcepto & dispensatione: Elatio contemnentis, & *Idem de præcep. & dispens. ant. med.*

impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis, nævum levem simplicis transgressionis. *Id. Ep. 111 cir. med.* Idem: in Epistola ad proprios parentes: O dira abusio! domus ardet, ignis instat a tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi: & hoc ab his, qui in ipso incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh dolor! si contemnitis mortem vestram, cur appetitis & meam? *Idem ser. 2 de resur. Do. ante med.* Idem in sermonibus. Nonnulli dura cervice, & attrita sunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra & compassione, & patientia abutantur. *Ibid. ser. 1 in octava Pascha, ante med.* Idem: Putas ne filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is si fateatur se nosse Deum, factis eum negat? porro fides sine operibus mortua est. Idem: Qui imperium dedit ne peccaremus, pœnitentibus statuit, ut confiterentur. Excluditur itaque digne a regno Dei omnis qui peccat: sed qui post peccatum labitur in contemptum. *Gl. Mat. 14* Glossa: Carnale est cadere, sed lapideum est jacere.

Caput XIV.

De Desperatione.

Greg. reg. l. 7 ind. 2 c. 111 ante med. Gregorius in registro: Diffidentiæ quodammodo genus est contra hoc quod quisque prædicat, torqueri mœstitia. *Idem l. 22 Mor. c. 5 cir. yn. cir fin.* Idem in Moralibus. Præsumptio virtutis propriæ tanto gravius in desperatione est: quanto longius ab humilitate. *Id. præf. in exp. Job c. 3 cir. fi.* Idem: Gravi desperationis telo mens percutitur, cum supernæ iræ tribulationibus premitur, & linguarum foris opprobriis urgetur. *Ibid. l. 26 c. 8 in fi.* Idem: Clausis oculis cordis, eo anima præcipitatur in infimis, quo obscuratur a summis: & tanto securius mala temporalia penetrat, quanto durius bona æterna desperat. *Ibid. c. 16* Idem: Deus hominem quem benigne

A condidit, inique non spernit. Pensandum est igitur, quanti est periculi transacta munera cernere, & futura desperare. Idem: Plerumque congruit. Infra capite de argutione. *Chr. ho 10 de pen. an. med. t. 5* Joannes Chrysostomus in sermonibus: Utrumque periculosum est, & confidentia perversa, & desperatio. Nam confidentia nimia stantem evertit, & desperatio post lapsum, non permittit exsurgere. Idem: Diabolus non aliunde. Supra lib. 1. De dæmonibus. *Aug. de penit. c. 2 post med. tom. 4.* Augustinus de pœnitentia: Qui de Deo non præsumit veniam, non animadvertit, plus peccato suo posse Dei clementiam. Idem: Inter spem, & desperationem. Infra in capite de morte. *Isi. in syn. c. 1 post med.* Isidorus in synonymis: Non desperes de salute, si ad B meliora converteris: qui enim veniam de peccato desperat, plus se desperatione, quam commisso scelere damnat. Desperatio namque auget pecatum, & pejor est omni peccat.

Caput XV.

De Dilatione.

Greg. l. 32 Mor. c. 12 longe post med. Gregorius in Moralibus: Sæpe accelerandi boni tarditas consilium putatur: & cum expectatur, ut ex tardatione proficiat, hoc insidians mora supplantat. *Aug. conf. l. 8 c. 5 t. 1.* Augustinus de confessionibus: Non erat quid responderem tibi Domine, dicenti mi- C hi: Surge, qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus: & undique ostendenti te vera dicere non erat omnino, quid responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta, & somnolenta. Ecce modo, sine modo, sine paululum. Sed modo & modo, non habebat modum, & sine paululum in longum ibat. *Idem de verb. Do. ser. 16 post med. t. 10.* Idem de verbis Domini: Scio ego, & mecum omnis homo, qui paulo attentius consideravit, neminem Deum timentem, sub verbis ejus non se corrigere, nisi putat, quia plus habeat vivere: & hæc ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt cras cras, & subito ostium clauditur. Remanebunt foris cum voce corvina, quia non habent gemi-

mitum columbinum. Cras cras vox corvi est. Idem de civitate Dei: Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis, male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit: ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos, & premant atque avertant a fide: non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Idem de pœnitentia: Quoniam multa sunt, quæ impediunt languentem, & retrahunt: periculosum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Idem: Purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis: Hic autem ignis & si æternus non sit, miro modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quam umquam quis passus est in hac vita. Bernardus super Cantica: Instar solis urentis, desiderii ardor peregrinantem in corpore animam decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem impatientem facit repulsa, & excruciat amantem dilatio. Idem de contemptu: Numquid in die judicii miseri dicere incipient: Modo Domine ecce modo, sine paululum? sic enim nunc dissimulant infelices, & modo & modo non habent modum, & sine paululum in longum vadit. Idem: Clama ad Deum anima mea: trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus: alioquin quando eum remorando, tepescendo, pausando consequi speras? exultabit ut gigas ad currendam viam. Hilarem sine dubio diligit secutorem.

Idem de civ. Dei, lib. 1 ca. 9 ante med. tom. 5
Idem de pœnit. c. 17 tom. 4
Ibid. ca. 18
Ber. ser. 28 in Cant. prope fin.
Idem declam. sup. Ecce nos, post med.
Ibid. mul. to ante.

Caput XVI.

De Voluptate.

GRegorius in Moralibus: Qui nunc male se voluptatibus dilatat, eum post in suppliciis pœna coangustat. Idem in registro: Si pro luxu animi, atque voluptate carnis, dominico die quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus. Hieronymus in Epistola: Miseriæ deliciis, & deliciæ miseriis commutantur. In nostro arbitrio est, vel divitem sequi, vel Lazarum. Idem: Difficile, immo impossibile est, ut præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut hic ventrem, ibi mentem impleat: ut de deliciis transeat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit: ut in cœlo, & in terra appareat gloriosus. Bernardus de contemptu: Nunc & trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem: quorum damnatio certa est. Boetius de consolatione: Tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget: quæ si beatos explicare possent, nihil causæ est, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lasciviam festinat intentio. Interlinearis: Nihil voluptuosum, nihil suave placet Deo: sed quod habet aliquid mordacitatis & severitatis, unde pascha cum amaritudinibus manducatur. Glossa: Voluptas insatiabilis est, & habita famen non satietatem parit. Seneca in Epistola: Voluptates præcipue exturba, & invisissimas habe, latronum more in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Multa libro 2 in c. de luxuria.

Greg. li. 14 Mor. ca. 4 circa fin.
Idem regist. lib. 11 ind. 6 ca. 3 ultr. med.
Hier. ad Pamm. Ep. 30 in fin. tom. 2
Idem ep. 34 ad Julian. vers. fin.
Bern. declam. sup. Ecce nos ante med.
Boet. de consol. phil. lib. 3 prope fin. tom. 7
Interli. Gl. Levi. 2
Glos. ord. Osee. 4
Sen. ep. 51 in fin.

Caput XVII.

De Carnalitate.

GRegorius in homiliis: Unde caro ad tempus suaviter vivit, inde spiritus in æternum interit. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Quid impinguas, dic mihi, corpus? numquid enim immolare te habemus? numquid apponere mensæ? Bernardus de contemptu: Nonnulli cum spiritu cœperint, heu carne consumantur. Idem: Hodie filii hominum animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt in omni desiderio: neque enim peccare metuunt, sed puniri: nec virtuti cordis datur opera, sed valetudini corporis, immo & voluptati. Idem super Cantica: Tu tibimetipsi dispensas

Bern. declam. sup. Ecce nos ante med.
Ibid. post med.
Idem in Cant. ser. 30 in fin.

fas misertus tui: suspecta est mihi, A fateor, tua ipsius in te dispensatio: vereor tibi illudi sub tegmine, & nomine discretionis a carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi auctoritas Apostoli placet de bibendo vino modico, quod ille adiunxit, non prætermittas. Idem: Quid vos dicitis observatores ciborum, morum neglectores, & corruptores animorum? Hippocrates, & sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo: Christus & ejus discipuli perdere. Quemnam vos e duobus magistrum eligitis? At manifestum se facit qui sic disputat, hoc oculis, hoc capiti, illud pectori, vel stomacho nocet. Profecto unusquisque quod a suo magistro di- B dicit, hoc in medium profert. Idem in apologia: Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit, talis misericordia crudelitate plena est: quia videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ etenim charitas est carnem diligere, & negligere spiritum? Quæ discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam. Idem in Epistola: Quicumque in carne sunt, sive præter habitum, sive in habitu religionis, si verax est, immo quia verax est Apostolus, Deo placere non possunt: multum enim citra perfectum proficit, immo infra imperfectum deficit, cujus gula Deus est. Idem: Qui debitorem. Supra libro 1. de religiosis malis. Idem in sermonibus: Filii hominum usque quo gravi corde, & pingui corpore? ut quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas deseretis: quoniam (inquit) Sanctus, cum interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Seneca in Epistola: Cum tibi feliciter sagina cesserit, & tori creverint, nec vires umquam opimi bovis, nec pondus æquabis. Adiice nunc, quod majore sarcina animus eliditur, & minus agilis est. Idem: Stringe corpus, & animo laxa locum, multa sequuntur incommoda corporis deditos curæ. Idem: Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem: fateor, nos hujus gerere tutelam: non nego indulgendum, illi serviendum nego. Multis servit, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Idem: Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore.

Ibid. multo ante. — *Idem in Apolog. ad Gul. abb. post med.* — *Idem ser. 2. de verb. Apost. Non est regnum Dei esca. &c.* — *Sen. ep. 15. ante med.* — *Ibid. paulo post.* — *Idem ep. 14 in princ.* — *Ibidem conseq.*

Caput XVIII.

De Prosperitate.

Gregorius in Moralibus: Sancti viri omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant: quia videlicet nil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit. Idem: Quamvis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo peccemus: tunc tamen per tria hæc animus effrænatius rapitur, cum mundi hujus sublevatur prosperitate. Idem: Non est census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit, bona sunt. Idem: Solet rerum abundantia tanto magis a divino timore mentem solvere, quanto magis hanc exigit diversa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare in in- C timis fixa prohibetur. Idem: Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Idem: Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddidit: eoque illos inopinatus hostis gravius percutit, quo longo quietis usu negligentes invenit. Idem super Ezechielem: Abundantia superbiæ vicina est. Idem: Qui a Deo avertitur, & prosperatur, tanto perditionis fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus. Idem in registro: Libere nobis non debet dari donum Dei, quod delectationem sui sperat ab amore Dei: ne data damni præferamus, & dum bona percipimus etiam mali, unde crescere in ejus amore debuimus, inde a timore illius difun-

Greg. li. 22 Mor. ca. 2 ante med. — *Ibid. lib. 5 cap. 8 in princ.* — *Ibid. li. 10 ca. 17 non longe a princ.* — *Ibid. lib. 2 ca. 4 circa med.* — *Ibid. lib. 8 cap. 24 in fin.* — *Ibid. li. 31 cap. 17 circa med.* — *Idem in Ezechi. hom. 19 post med.* — *Ibid. hom. 12 circa med.* — *Idem regist. lib. 9. ind. 4 c. 25 circa fin.*

fiungamur. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Ipsa felicitas mundialium rerum, satis magnum impedimentum est animæ ad justitiam faciendam. Idem: Qui vult Deum amare, necesse est ut odiat divitias: qui autem voluerit amare divitias, necesse est ut odiat Deum. Idem super Joannem: Non accuso domos habentes, & agros, & pecunias, & mancipia: sed cum cautela hæc possideri volo, & cum decentia. Quid est cum decentia, nisi ut more dominorum & non servorum possideant ea, & non possideantur ab eis, ut utantur eis, & non abutantur? Isidorus in synonymis: Divitiæ numquam sine peccato acquiruntur, nullus res terrenas sine peccato administrat. Augustinus in epistola: Fallax in transitoriis suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas: initium sine providentia, & finis cum pœnitentia. Idem: Utaris hoc mundo tamquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, & non malus fias: quia & ipsa bona sunt, & a Deo bona sunt, nec dantur hominibus nisi ab illo, qui habet omnium cœlestium, atque terrestrium potestatem. Sed ne putentur mala, dantur, & bonis: ne putentur magna, vel summa bona, dantur & malis. Itemque auferuntur & ista bonis, ut probentur: & malis, ut crucientur. Idem super Lucam: Amor rerum terrenarum viscus est pennarum spiritualium. Idem de verbis Apostoli: Aurum materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, malus Dominus, proditor servus, aurum nemo tutus habet, nisi qui semper abscondit: in perniciem Domini fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur: Idem: Aurum præbet misericordiæ materiam, apud bonos animos, & novo genere lucri, tunc magis prodest, quando contemnitur, ut scilicet ipsa sui conditione testetur, quoniam mala est ejus rei possessio, cujus abdicatio fructuosa. Idem de moribus Ecclesiæ: Multo enim mirabilius non inhærere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. Ambrosius in sermonibus:

Chrysost. oper. imp. hom. 16 parum a prin. to. 2
Idem in Joa. ho. 18 post med. tom. 3
Isidor. in syn. c. ult. ante med.
Aug. ep. 82 ad Lar. tom. 2
Idem ep. 70 ad Bon. post med.
Idem de ver. Dom. serm. 33 post med. tom. 10 & Gloss. in psal. 120
Idem ser. 28 de ver. Apost. ante med. to. 10
Ibidem paulo post.
Idem de morib. Eccles. lib. 1 ca. 23 to. 1
Amb. de Nabute ca. 6 to. 1

A Merito clamat Propheta: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quid enim prosunt, si mecum esse post mortem non possunt? hic acquiruntur, hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Unde bene ait Propheta: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Bernardus in epistola: Bona temporalia sunt, si non amantur in epistola: Bona temporalia sunt si non amantur ut illicita: sive autem amentur sive non amentur, non multum expediunt: quia quadam sui dulcedine cor possidentis cito subvertunt. Idem in sermonibus: Divitiarum amor insatiabilis. Longe enim

B amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo: utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. Idem: Filii Adam, genus avarum, & ambitiosum, audire. Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum enim & argentum nonne terra est rubra, & alba, quam solus error hominum facit, magis reputat protiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Idem: Fallax felicitas est major infelicitas. Seneca in epistola: Res est inquieta felicitas.

Bern. ser. de convers. ad clericos cap. 11
Idem ser. 4 in adven. circa prin.
Sen. ep. 36 circa prin.

C

CAPUT XIX.

De Consolatione.

GRegorius in pastorali: Offerenda est eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit: atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit. Idem: Habet hoc pravorum. Infra cap. de malitia. Idem: Mens in qua. Infra libro 4. de fervore. Hieronymus in epistola: Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus, & ad consolationem nostram aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus, quos sequi in virtutibus debeamus. Bernardus in epistola: Si caro & sanguis regnum Dei

Greg. Past. cu. p. 3 c. 1 admon. 3 ante med.
Hieron. ep. 14 ad Celant. ante med. tom. 1
Ber. Apol. ad Gui. abb. post med.

Dei possidere non possunt, carnalibus profecto consolationibus, spirituales sociari impossibile est. Idem: Funes ceciderunt. Infra libro 4. de gustu. Idem in apologia: Fusi sumus exterius & de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, & insaniis falsis, ac jam religionis antiquæ non solam virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Idem super, Qui habitat: Si vis habere ministerium angelorum, fuge consolationes sæculi, & tentationibus resiste diaboli: renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Idem: in sermonibus: Vilis est & ad nihilum utilis mundi consolatio, & quod magis est metuendum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. Idem: Cujus ad alias consolationes mens inhiat, & non penitus renuit consolari in caducis, & transitoriis: ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis: qui si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satagaret, sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. Idem: Alios quoque lugentes. Supra libro 2. in cap. de beatitudine.

Bern. apolog. ad Gul. abb. post med.

Idem ser. 4 in psal. Qui habitat ante med.

Idem ser. 4 in Vigil. Natal. Do.

Idem declam sup. Ecce nos, post med.

Caput XX.

De Ornatu.

Gregorius in Moralibus: Pravi cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ excolant, expetunt: & contra torporem frigoris non solum quæ per pinguedinem muniant, sed etiam: quæ per mollitiem delectent, & non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant. Joannes Chrysostomus de compunctione: Nos omne tempus vitæ nostræ consumimus expoliantes dominam, & adornantes ancillam diversis ornatibus. Augustinus super Matthæum: Qui immoderato cultu corporis atque vestitus, vel cæterarum rerum nitore

Greg. li. 20 Mor. c. 15 ante med.

A præfulget, facile convincitur rebus ipsis, pomparum sæculi esse sectator. Idem de Doctrina Christiana: Quem judicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam te ipsam quæ videri times? Si pulchra es, quid abscondéris? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam oris habitatura? Idem: Augustinus de Doctrina Christiana, loquens de fuco mulierum: Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Idem de Doctrina Christiana: Monentis Apostoli vox est: Expurgate vetus fermentum, &c. In azimis sinceritatis, &c. Num sinceritas per- B severat & veritas, quando quæ sincera sunt, polluuntur, & colorum adulterinis fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dixit. Non potes facere capillum unum album aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem audaci conatu, & sacrilego contemptu? Crines tuos inficis, malo præsagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auspicaris. Hieronymus in epistola: Crimen est caput post chrismatis sanctificationem, aut croci aut alterius pigmenti fuco vel pulvere sordidari, aut auro, vel gemmis, cujuscumque terrenæ creaturæ specie comi, quod jam cœlestis ornatus splendore refulget. Idem: Quid C facit in facie Christiana purpurissus, & cerussa, quorum alterum ruborem genarum labiorumque mentitur, alterum candorem oris, & colli ignis juvenum fomenta libidinum, impudicitiæ mentis indicia. *Et infra*: Ornatus iste non Domini est, velamen illud Antichristi est. Idem: Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit? Ambrosius: Quo vult audiri? Infra libro 4. de simplicitate. Cyprianus in epistola: Fugiant castæ virgines, & pudicæ incestarum cultus, & habitum impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Hoc Deus culpat, hoc denotat. Sericum & purpuram indutæ Christum induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis,

August. de Doct. Chri. lib. 4 c. 21 post med. tom. 3 ex Ambros. de Virg. lib. 1 ante med. to. 4 Ibid. paulo post ex eo. Ambr. loco.

Ibid. ante, ex Cypriano lib. de discip & habitu Virg. ca. 7 to. 2

Hieron. ep. 14 ad Maur. fil. circa med. tom. 9

Idem ep. 10 ad Fur. ante med. tom. 1

Ibidem consequ.

Cypr. de disc. & habitu Vir. ca. 6 to. 2

Ibid. ca. 3

dis, ac pectoris perdiderunt. Idem: A Parem se in omnibus integritas virginea præstet nec bonum cordis, corporis cultus infamet. Quid enim ornata virgo, quid compta procedit, quasi maritum habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, ne periculum sui appetat, quæ ad meliora, & divina se servat. Bernardus in epistola: Filiæ Babylonis, quarum vere gloria in confusione induuntur purpura, & bysso, & subinde conscientia pannosa jacet, fulgent monilibus, & moribus sordent. Idem in apologia: Ex cordis thesauro sine dubio procedit, quidquid foris apparet vitiosum. Vanum enim cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, & interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta mollitiem animi indicant: non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Multa supra libro 1 de monialibus, & conjugatis.

Bern. epi. 113 ad Sop. Virg. circa med.

Idem in Apolog. ad Gui. Abb. post med.

Caput XXI.

De Ingratitudine.

Greg. regi. lib 2 ind. 11 ca. 103

Gregorius in registro, de Imperatore Mauritio: Valde mihi durum videtur, ut ab ejus servitio milites suos prohibeat, qui & ei omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Omne bonum quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Augustinus de viduitate: Multi habent multa dona, & Deum nesciendo, a quo habent, impia vanitate jactantur. Nemo autem est donis Dei beatus, qui donanti extiterit ingratus. Idem de pœnitentia: Ingratus extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Idem de spiritu, & littera: Erit anima ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuit, præcipueque justitiam. Bernardus super Qui habitat: Confitenti humiliter, & devote gratias agenti, non immerito ampliora beneficia pro- mittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituitur super multa. Sicut e contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Idem super Cantica: Ingratus reputabitur cum discussio venerit, qui non poterit dicere cum David: Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Idem: Numquid non perit, quod datur ingrato? Ingratitudo enim inimica est gratiæ, perditio animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Idem: Ingratitudo ventus est urens, fontem siccans pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta omnis gratiæ. Idem: Quid est cor durum? capite de obstinatione. Idem: B Absque confessione. Supra libro 1. de confessione. Idem in sermone: Ingratitudo vias obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, charissimi, dolor continuus est, multaque tristitia cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad verba otiosa & scurrilia video: ut pertimescam valde, ne forte plus quam expediat divinæ misericordiæ immemores, & ingrati: super tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur a gratia, quam non habent ut gratiam. Idem: Omnino nos sola a profectu conversationis impedit ingratitudo nostra: dum C quodammodo perditum reputans qui dedit, quod ingratus accepit: cavet sibi de cetero ne tanto plura amitteret, quanto plura ingrato conferret. Seneca in epistola: Quisquis de accipiendo semper cogitat, oblitus accepti est: nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est.

August. de viduit. bo. ca. 16 to. 4

Idem de vera & fal. pœnit. ca. 14 to. eodem.

Idem de spir. & lit. ca. 11 to. 3

Bern. ser. 4 in ps. Qui habitat, in princ.

Idem ser. 1 in Cant. post med.

Ibid. ser. 51 post med.

Ibidem conseq.

Idem ser. 2 de septem misericordiis, circa princ.

Idem ser. cont. ingratitud. prope fin.

Sen. ep. 73 statim a princ.

Caput XXII.

De Discordia.

Greg. reg. li. 6 ind. 15 cap. 166

Gregorius in registro: Dubium non est, bonos pravorum odia sustinere, divinisque intentos operibus, perversorum adversitatibus lacerari. Idem: Quoties res aliqua pluribus agenda committitur, dum quisque dissentit ab altero, dispendiis potius

Ibid. lib. 1 ind. 9 c. 72

tius quam utilitatibus aditus reseratur. Idem: Mihi inimicitiam facio, si fratrum meorum jura perturbo. Idem: Discordia consuevit scandala generare: Idem in Moralibus: Solet inter fratres major substantia, discordiæ fieri gravioris causa. Idem: Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum ejus gloria sine invidiæ culpa nos contristet: dum & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficient eo plerosque injuste opprimi formidamus. Idem in pastorali: Discordes, etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non ex unitate charitats oriuntur. Idem: Sæpe dum quosdam major scientia erigit, a cæterorum societate disiungit: & quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiunt. Idem in dialogis: Pravis moribus semper gravis est vita bonorum. Idem in homiliis: Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercuit. Hieronymus in epistola: Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem velle lædere, vel odisse: Nihil tam probabile, quam omnes amare. Idem in homiliis: Quo modo concordia parvæ res crescunt, sic discordia maximæ collabuntur. Simile in Glossa. Eccl. 1. Idem in originali super Michæam: Ubique insidiæ, ubique fraudulentia, innoxius sanguis effunditur præ avaritia, & libidine germanitas ignoratur. Augustinus de Verbis Domini: Non poterit habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Idem: Quid tibi commune cum discordia Christiane? quid simultates amas, quæ Deo tuo non placent? In initio namque inimicitias in protoplastum, dum serpens exerit, interficitur: dum homini invidet, ipse prosternitur: dum Adam cupit decipere, ipse primitus jugulatur. Idem in epistola: Facile est atque proclive malos odisse, quia mali sunt, rarum autem & pium, eosdem diligere, quia homines, ut in uno eodemque simul & culpam

Ibid. lib. 2 ind. 10 c. 37 circa fin. Ibid. ca. 3 circa fin. Idem lib. 1 Mor. ca. 4 circa fin. Ibid. li. 22 ca. 6 non longe a princ. Idem past. cu. p. 3 c. 1. admon. 24 non longe a princ. Ibid. ad. mon. 23 non multum a princ. Idem lib. 2 Dial. ca. 3. ante med. Idem ho. 38 in Evang. ante med. Hieron. ep. 14 ad Mau. fil. post med. to. 9. Idem in Mat. c. 12 ante med. tom. 6 Idem in Mich. li. 2. ca. 7 to. 5 August. de ver. Dom. ser. 56 prope fin. tom. 10. Ibidem. Idem ep. 53 ad Maced. aliquantulum a prin. to. 2

A improbes, & naturam probes. Idem de confessione: Sicut amici adulantes pervertunt, sic & inimici litigantes plerumque corrigunt. Ambrosius de virginitate: Quot homines, tot sententiæ. Isidorus in synonimis; Odium a regno Dei separat, a cælo subtrahit, a paradiso eiicit: nec passione adimitur, nec martyrio expiatur. Idem de summo bono: Amicitia in rebus tantum bonis habenda est. Nam qui ea in malo utuntur, non sibi amici, sed inimici existunt. Joannes Chrysostomus in sermone: Zelantur mansuetum invidi, modestum superbi, probum improbi, mitem tumidi, inimica æmulatione lacessunt. Idem super Matthæum: B Malos qui monet, offendit; incurrit odium, qui arguit criminosos. Idem: Inimicus manifestus. Infra de simulatione. Idem: Si inimicitiæ semel. Infra de crudelitate. Bernardus in epistola: Veritas nonnumquam odium & discordiam parit. Idem super Cantica: Oratio peccatoris execrabilis erit, frustra quoque offert munus suum ad altare, qui conscius est sibi, quod frater suus habet aliquid adversum se. Denique non respexit Dominus ad Cain munera, eo quod non recte ambularet cum fratre suo. Glossa: In perpetuum cum Cain damnabitur, qui hoc genere homicidii tenetur, ut discordet a fratribus. Ibidem; Omnis homicida est, qui vel C ferro percutit, vel odio insequitur. Boetius de consolatione: Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. Quæ vero pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus? Multa supra libro 2. de ira.

Idem conf. lib. 2 ca. 1 tom. 1 Amb. de virgin. l. 2. vers. fin. Isidor. in synon. c. 8 in fin. Idem de sum. bon. lib. 3 c. 31 sent. 1 Chrys. ex variis locis in Mat. homil. 16 circa med. tom. 2 Ber. ep. 78 ad Suger. post med. Idem ser. 71 in Cant. post med. Gloss. 1 Joan. 3. Boet. de cons. phil. li. 3 prosa. 5 in fin.

Caput XXIII.

De Malitia.

GRegorius in dialogis: Sunt nonnulli, qui idcirco bona facere student, ut gratiam alienæ operationis obnubilent, nec pascuntur bono, quod faciunt, sed laude boni, qua ceteros premunt. Idem: Malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur, &

Greg. li. 1. Mal. c. 10 circa med. Ibid. lib. 4 cap. 37 circa fin.

& cum mundi finis appropinquat, A electi tolluntur, ne deteriora videant. Idem in Moralibus: Iniquorum hominum mentes cum quædam a proximis bene gesta conspiciunt, in extenso livoris sui equuleo torquentur, & gravem malitiæ suæ pœnam sustinent, cum bona in aliis tabescendo vident. Idem: Ab omnipotenti munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Idem: Habet hoc pravorum malitia, ut cum vera in se flere mala renuit, fingat aliena. Nam quasi solatio facinoris utitur, si falsis vocibus, & vita corripientis inquinetur. Idem: Mens prava semper in laboribus est: quia aut molitur prava quæ inferat, aut metuit, ne sibi ab aliis inferantur. B Idem in pastorali: Frustra indignatio, clamor, & blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et incassum foras nequitiæ ramus inciditur, si surrectura multiplicius intus in radice reservatur. Ambrosius de fuga sæculi: Ubi inimicitiæ sunt, ibi discordia est, nocendique studium; ubi nocendi studium, ibi ponitur malitia. Augustinus in sermone: Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur: quia a Domino Deo sibi dari vult omnia, & non vult de his, quæ possidere videtur, offerre. Hieronymus in originali super Oseam: Prudentia absque bonitate malitia C est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Bernardus de amore Dei: Malitia est sapor mali. Idem in sermonibus Alius supra se ambulat in magnis, & mirabilibus: alius extra se inutili curiositate vagatur: alius sub se in carne ambulat, & non potest placere Deo: alius contra se diligens iniquitatem, & odio habens animam suam. Omnis enim qui sævit in proximum, magis lædit seipsum, eo quod longe pejus sit inferre violentiam, quam sufferre.

Idem lib. 6 Mor. ca. 3 circa med. — *Ibid. li. 22 cap. 8* — *Ibid. li. 10 cap. 3* — *Ibid. li. 12 cap. 21 prope prin.* — *Idem Past. cu. p. 3 c. 1 admon. 10. post med.* — *Ambr. de fuga sæcu. cap. 7 post med to. 1* — *Aug. ser. 319 de temp. post med. to. 10* — *Hieron. in Ose. lib. 2 ca. 7 to. 5* — *Bern. in Cant. ser. 85 post me.*

Caput XXIV.

De Crudelitate.

Gregorius in registro: Valde iniquum est, ut qui te plus amaverunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant. Idem in Moralibus: Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo, ac pietas reputatur, & dum plus quam decet delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservantur. Augustinus in epistola: Molestus est, & crudelis videtur medicus furenti frenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando, ille cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo, vera crudelitas est. Idem: Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu remaneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Joannes Chrysostomus super Joannem: Sicut oleum non utique parit lapis, ita nec crudelitas misericordiam: cum enim talem habuit radicem, non ultra eleemosyna est, quod tale est. Idem: Cum nos ignoremus esurientem Christum, ignorabit nos & ipse misericordia indigentes: & juste, quia crudeles fuimus in idipsum. Bernardus super, Qui habitat: Quantum ego compatiar, & si quid solatii possem impendere, quam libenter id facerem, novit ille quem nihil latet. Verumtamen si de pœnarum diminutione solatium præbere voluero, crudelis, & immisericors ero: quantum enim subtraham de pœna, tantum de corona furabor: tantum defraudabo fructus, quantum de semente subtraxero: siquidem modica seminis detractio, non modicum est messis detrimentum. Seneca in epistola: Quid opponitur clementiæ, nonne crudelitas? quæ nihil aliud est, quam atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles enim vocantur, qui puniendi causam habent, modum non habent.

Greg. regist. li. 11 ind. 7 cap. 26 — *Idem li. 31 Mor. c. 17 longe post med.* — *Aug. ep. 50 ad Bonif. longissime ante med. tom. 2* — *Ibid. post med.* — *Chrysost. hom. 22 in Joan. prope fin.* — *Ultima verba hujus auctoritatis Bernardi reperiuntur in præfatione super: Qui habitat.* — *Sen. de Clemen. tia, lib. 2 cap. 4*

CA-

CAPUT XXV.

De Simulatione.

Greg. lib. 5 Mor. ca. 16 GRegorius de Moralibus: Omnis hypocrita, quia vitam justitiæ simulans justorum sibi laudem arripit, alienum est profecto, quod tollit. *Ibid. li. 31 cap. 5 paululum a princ.* Idem: Omnes hypocritæ dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. *Idem Past. cu. 2 ca. 6 post med.* Idem in pastorali; Inter hypocritas jure deputatur, qui simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis Hieronymus. *Hieron. ep. 1 ad Demet. tom. 9* in epistola: Fictam humilitatem fugiens, illam sectare, quæ vera est, quam Christus docuit humilitatem, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim hujus virtutis umbram, veritatem pauci sequuntur. Perfacile est aliquem vestem habere contemptam, salutare submissius, manus, & genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis humilitatem, ac mansuetudinem polliceri, lenta voce, tenuique sermones infringere, suspirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem, ac miserum se clamare. Sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilium, levare cervicem, & delicatum illum oris sonum, insano clamore repente mutare. *Idem ep. 14 ad Maur. fil. post med. tom. eod.* Idem: Sancta magis esse, quam videri stude: quia nihil prodest æstimari quod non sis, & duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, & quod non habeas simulare. Idem in originali super Matthæum: Nunc rara fides est, aliud in labiis, aliud in corde versatur, venenum animæ linguæ mella contegunt. *Chrysost. oper. imp. hom. 45 circa prin. tom. 2* Joannes Chrysostomus super Matthæum: Dic hypocrita si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere, quod es? Si autem melius est bonum esse, ut quid non vis esse quod vis apparere? *Ibid. ho 42 ante med.* Idem: Inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur, facile vitatur; iste dum non cognoscitur, prævalet. Idem: Osculum pacis. Supra libro 2. de ira. *Isid. de sum. bon. lib. 3 c. 29 sent. 2* Isidorus de Summo bono: Sæpe per A simulationem amicitia colitur, ut qui non potuit aperte decipere, decipiat fraudulenter. *Ibid. sen. 5* Idem: Per adversa magis, quam per prospera comprobatur, si Deus & proximus vere diligatur: quia dum adversa provenerint, tunc amicus fraudulentus detegitur. Idem: Qui crucem portat. Infra libro 4 de cruce spirituali. *August. de virg. san. c. 43 to. 6* Augustinus de virginitate: Simulatio humilitatis major superbia est. Idem: Simulatio dicit. Supra libro 2. de conflictu. Idem super Matthæum: Malus spiritus, spiritus stultitiæ: alter pejor simulatio sapientiæ. Spiritus malus, spiritus erroris: alter pejor simulatio veritatis. Spiritus malus, spiritus temeritatis: alter pejor simulatio consilii. Spiritus malus, spiritus ignaviæ: alter pejor B simulatio fortitudinis. Spiritus malus, spiritus ignorantiæ; alter pejor simulatio scientiæ. Spiritus malus, spiritus impietatis: alter pejor simulatio pietatis. Spiritus malus, spiritus elationis: alter pejor simulatio timoris. Idem: Cautus sit pœnitens. Supra libro 2. de confessione. *Bern. in Cant. ser. 40 circa med.* Bernardus super Cantica: Intendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocrytæ plane animæ est: cujus, etsi una facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omne in ea decorum exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. *Idem ser. 66 non longe a prin.* Idem: Minus semper malitia palam nocuit, C nec umquam bonus, nisi simulatione boni deceptus est. *Idem ep. 42 ad Hier. Senon. Archi. post med.* Idem in epistola: Nemo magis iram meretur, quam amicum simulans inimicus. Idem: Non dicit hypocryta, gloria mea testimonium conscientiæ meæ: quia etsi judicantium secundum faciem, verbo, vultu, & habitu simulatorio, eludat opinioni, sed non ejus, qui scrutatur renes, & corda, fallit vel evadit judicium. Glossa: Ira justa est. Infra libro 4. de zelo bono. *Sen. ep. 57 post med.* Seneca in epistola: Omnia vitia in aperto leviora sunt. Morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, atque vim suam proferunt. Avaritiam itaque & ambitionem, &c. Mala mentis humanæ, tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanctitate subsistunt.

CA-

Caput XXVI.

De Familiaritate.

Greg. l. 3 Dial. c. 9 non longe a prin. Gregorius in dialogis: Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant: ne ruina menti tanto repentina subrepat, quanto ad hoc, quod male concupiscitur, etiam præsentiæ concupitæ formæ famulatur: Idem *Idem reg. l. 7 ind. c. 39* in registro: Legitur, quod Beatus Augustinus, nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela, magna debet nobis esse instructio: nam vitium præsumptionis est, quod fortis pavet, B minus validum non timere. Idem *Idem ho. 8 in Ezech. post med.* super Ezechielem? Sicut perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia & eos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad perversitatem numquam trahuntur: ita infirmi quisque societatem debent declinare malorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectenter imitari. Ambrosius *Amb. in Luc. l. 4 c. 4 tom. 3* super Lucam: Quam religiosum videtur, ut commemorationem Christianæ fœminæ non recuses? Sed crebra inde tentatio: si attentos Deo viderit Diabolus, suggerit, ut decipiat. Sed tu quamvis de proposito præsumas, cave tentationem. sciens *Idem de Virg. l. 3 c. 4 ante med.* naturam, Idem de virginibus: Teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur: dum *Isi. in syn. c. 5 post med.* affectatur urbanitas. Isidorus in synymis: Sæpe familiaritas implicat, *Ibid. c. 9 post med.* sæpe occasio peccandi voluntatem facit. Idem: Melius est habere malorum odium, quam consortium. Idem: Sicut multa bona habet communis vita sanctorum, sic plurimum *Est apud. Byp. defin. cleric c. 12 post med. tom. 3* mali societas affert malorum. Augustinus de singularitate clericorum: Diabolus sicut de simplici charitate amorem conflat illicitum: sic per societatem clerico, & mulieri inducit interitum: dum autem contentus est cedere, sic valet fortius occupare: & dum submissius patitur semetipsum præbere devictum, sic plenius devincere gloriatur. Idem; De clericis fa- *Ibid. c. 18 ante med.* A miliaribus erga mulieres Apostolus ait: Gloria in turpitudine eorum. Sed dilectio est, inquiunt. O dilectio, quæ invadet sibi! O charitas, quæ cupit se in vituperatione laudari! Grande miraculum, ut virginum charitas virgines faciat velut conjuges credi, & conjugium charitas conjuges faciat velut virgines æstimari. Idem: Conversatio parilitatis non nisi corruptionem seminat, vitia pul- *Ibid. c. 11* lulat, lasciviam pascit, cupidinem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, furiam porrigit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat. Idem: Semel dixerim, om- *Ibid. v. 7* nis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, & viscus toxicatus, quo diabolus homines aucupatur. Hieronymus in Epistola: *Hier. de vita cler. ad Ocean. tom. 9.* Si pudicitiam servare quæris, fœminam quam bene videris conversantem mente dilige, non corporali frequentia. Idem: Germinant fœminæ *Ibid. post med.* spinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Idem: Nec David sanctior, *Ibid. ep. 2 ad Nep. ante med. tom. 1* nec Salomone potest esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Idem: Janua diaboli; Supra de muliere lib. 1. Bernardus super Cantica; Cum fœmina semper esse, *Bern. in Can. ser. 65 ante med.* & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes, & quod C majus est vis credam tibi? Quotidie latus, tuum, ad latus juvenculæ in mensa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculus tuus ad oculos ejus in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto ut sis, sed ego suspicione non careo.

Caput XXVII.

De Propinquitate.

Gregorius in Moralibus: Sæpe ad *Greg. l. 1 Mor. c. 4 in prin.* avaritiam cor parentis illicit fœcunditas prolis: Eo enim ad ambitum congregandæ hæreditatis accenditur, quo multis hæredibus fœcundatur. Idem: Ille scire Deum *Ibid. l. 7 c. 14 ante med.* familiarius appetit, qui præ amore pie-

Ib. conseq. pietatis, nescire desiderat, quos carnaliter scivit. Idem: Gravi damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi. *Hier. ep. 1 ad Hell. tom. 1* Hieronymus in epistola: Licet sparso crine & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater jaceat, percalcato patre perge, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam. *Idem in Matt. c. 10 tom. 6* Idem in homiliis: Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, ut amor B parentum ac filiorum, Dei amori comparetur, & non possit uterque servari, odium in suos, pietas in Deum est. *Chrys. ho. 38 ex variis locis in Matt. tom. 2* Joannes Chrysostomus in homiliis: Dico tibi monache, quid quæris matrem? aut Christiana est mater, aut non est Christiana, aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est, gaudet, quia servis Domino: si peccatrix, dimitte illam, quia mortua est. *Ibid. paulo ante.* Idem: Qui habet Jesum, habet & patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem. Quid quæris mortuos? sequere vivum, & dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos? *Isid. de sum. bo. l. 3 c. 11 sent. 3 & 4* Isidorus de Summo bono: Multi dum propinquorum utilitates procurant, a Dei C amore se separant. Vir autem spiritualis, ita prodesse debet suæ propinquitati, ut dum illis gratiam carnis præstare studet, ipse a spirituali proposito nequaquam declinat. Idem; Multi Monachorum. Supra lib. 1. *Ib. sent. 5* de monachis malis. Idem; Noveris non prohiberi pietatis officium, sed negari carnalitatis affectum: proximis enim carnaliter præstatur, quod extraneis pie impenditur. *Aug. ep. 38 ad Letum post med. tom. 2* Augustinus in Epistola: Carnalem affectum, & in nobis, & in nostris militia Christiana ut perimamus hortatur: nec tamen ita ut ingratus sit quisque parentibus, & eadem ipsa beneficia, quibus in hanc vitam editus, susceptus, atque nutritus est, enumeratà derideat, servet potius ubique pietatem. Habent hæc locum, ubi majora non vocant. Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. *Idem de vid. bono c. 14 t. 4* Idem de viduitate; Nec ideo laudanda es, quia filios habes; sed quia eos pie nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur fœcunditatis: ut vivant, felicitatis est: ut & instituantur sic, voluntatis est atque potestatis. *Bern. ep. 107 in fin.* Bernardus in epistola: Ecclesia jubetur, ut concupiscat rex, decorem ejus. Oblivisci populum suum & domum patris sui. Puer Jesus inter cognatos & notos quæritur, nec invenitur. Fuge fratres tuos & tu, si tuam vis invenire salutem. Fuge, inquam, de medio Babylonis, fuge facie a gladii aquilonis. *Idem ep. 112 ante med.* Idem: O dirum patrem, o sævam matrem, o parentes crudeles & impios, immo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est, qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. *Ibid. ep. 2 ad Fulc. cir. med.* Idem; Configat carnes tuas divinitus timor, ne decipiat carnalis amor. Blanditur sed sub lingua ejus labor & dolor: lacrymatur, sed insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum. *Ibid. ep. 105 ad Mag. Galt.* Idem: Fidelis sermo & omni acceptione dignus: & si impium est contemnere matrem, contemnere propter Christum piissimum est. Nam qui dixit: Honora patrem, & matrem, ipse etiam dixit; Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus. *Glossa in Mat. c. 4.* Glossa; Perfecta est conversio, ubi cum cupiditate rerum, carnalis quoque rumpitur dilectio.

Caput XXVIII.

De Oblivione.

Greg. hom. 14 in Ev. cir. fin. Gregorius in homiliis: Nulla nos prosperitas blandiens seducat: quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliviscitur ire, quo debet. *Idem l. 11 Mor. c. 13 cir. med.* Idem in Moralibus: Stulti cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis esse omnia reprehensibilia videntur: quia suæ imperitiæ, & infirmitatis obliti, tanto intensius de alienis judicant, quanto

Ibid. l. 2 c. 71 cir. med. to sua profundius ignorant. Idem: In istis visibilibus, quæ intuetur cor nostrum, extra se spargitur, & quid de se intrinsecus agatur obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. *Idem reg. l. 9 ind. 4 cap. 62* Idem in registro: Sincera in dilectione, nec vires absentia, nec locum habet oblivio. *Idem Past. cu. p. 2 c. 7 paulo post a prin.* Idem in pastorali: Sæpe nonnulli velut obliti, quod fratribus, animarum causa prælati sunt: toto cordis annisu sæcularibus causis inserviunt. *Ibid. c. 10 ante med.* Idem: Ex se debet unusquisque colligere, qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapiatur, oblitus sui esse videatur. Idem: Sæpe nonnulli. Supra lib. 1 de religiosis malis. *Aug. de l. arb. l. 3 c. 25 t. 1* Augustinus de libero arbitrio: Melior est animus cum obliviscitur sui, præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum penitus in illius comparatione contemnit. *Id. conf. l. 1 c. 5 t. eod.* Idem de confessionibus: Quis dabit Domine mihi, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectare te? Idem in sermone. Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. Idem: Væ qui derelinquunt te ducem. Infra capite de sapientia mala. Ambrosius in Apologia: Sentire vitalis vigoris ac muneris est: unde & ille qui errorem suum non cognoscit, insanit, furit, desipit. *Ber. ho. 4 sup. Missus est post. med.* Bernardus super Missus est: Videas plerosque in Ecclesia Dei de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere. *Idem in cant. ser. 77 ante med.* Idem super Cantica: Parum est nostris vigilibus, quod non servant nos, nisi & perdant: alto quippe demersi oblivionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, ut suum ipsorum periculum expavescant. Inde est, ut non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter, & pereuntes. *Idem ser. cont. in. grat. cir. med.* Idem in sermone: Quantos videmus quasi oblitos sui, & peccatorum suorum: Dei quoque, & beneficiorum ejus immemores, sic non redimere sed amittere tempus, ut de moribus, & affectionibus suis ultima apud ipsos vix mentio fiat.

Caput XXIX.

De Ignorantia.

Greg. l. 2 Mor. c. 11 cir. med. Gregorius in Moralibus: Nescire, ignorantia est, sed scire noluisse, superbia. *Ibid. c. 14 cir. fin.* Idem: Quo nosipsos minus agnoscimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Communia hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur. *Ibid. l. 27 c. 1 in fin.* Idem: Nemo bene judicat, qui ignorat. *Ibid. l. 9 c. 7 in prin.* Idem: Sæpe committunt. Supra de recidivatione. Idem: Seclusum ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa mentis oculos perdidit: & quo meritorum passibus gradiatur, nescit. Sæpe enim est donum gratiæ, quod iram deputat: & sæpe divinæ districtionis ira est, quod gratiam putat. *Idem reg. l. 2 ind. 11 cap. 91* Idem in registro: Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit? *Ibid. l. 12 ind. 7 c. 31 post med.* Idem quotiescumque tam de baptismo aliquorum, vel de confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubium habetur; & nec scriptis nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint: baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicæ dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. *Chr. op. imp. hom. 44 ante med. t. 2.* Joannes Chrysostomus super Matthæum: Non potest eis esse excusatio condemnationis, ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas: Nam si veritas salus est, & vita cognoscentium se, magis debet quæri, quam quærere. *Isi. in syn. cap. 14* Isidorus in synonymis: Ignorantia mater errorum est, ignorantia vitiorum nutrix. *Aug. de verb. Ap. ser. 22 an. med. t. 10* Augustinus super Matthæum: Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Idem: Cum ubique sit præsens. Supra de negligentia. *Idem de gra. & lib. arb. c. 2 t. 7* Idem de gratia, & libero arbitrio: Ideo divina præcepta data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non ha-

beret. Idem de Trinitate: Error est pro alio, alterius approbatio. Idem: Rem prorsus ignotam amare, omnino nullus potest. Idem de vita beata; Recte dicimus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, jejunos atque famelicos esse. Idem de conjugiis adulterinis: Sunt peccata ignorantium, quamvis minora peccatis scientium. Idem: Certe nullius crimen maculat nescientem. Et est interlinearis. Gen. 21 Nescivi. Bernardus de contemptu: Quando excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, & doctorem insipientium profitetur. Ignorans utique ignorabitur, & multos ignorare faciet, & ignorari. Idem super Cantica: Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad eum: neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia gravem, & severum imaginantur, qui pius est; durum & implacabilem, qui misericors est: ferum & terribilem, qui amabilis est. Et mentitur iniquitas sibi. Idem de duodecim gradibus: Frustra sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qu- ut liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Idem in Epistola: Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi: & quidem hujusmodi ignorantia, non habet excusationem. Idem: Multi multa sciunt: Supra de curiositate Idem de consideratione: Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento ruinam, non structuram. Boetius de consolatione: Humanæ naturæ ista conditio est, ut si se nosse desierit, infra bestias redigatur: Si vero cum cæteris rebus semetipsum agnoscat, excellat easdem. Nam ceteris animantibus sese ignorare, natura est hominibus vitio venit. Seneca in Epistola: Non est extrinsecus malum nostrum, sed intra nos est, in visceribus sedet, & ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus.

Idem de Trin. l. 10 c. 1 s. 3
Id. de vi. bea. disp. 1 divi ante med. t. 1
Idem ep. 48 ad Vinc. ante med. tom. 2
In declam. super illud: Ecce nos reliq. omn. ante med.
Idem in can. ser. 38 ante med.
Idem tr. de 12 grad. hum. post med.
Idem ep. 77 ad Hugon. de S. Vict. ante med.
Idem de consid. l. 2 ante med.
Boet. de cons. l. 2 prosa 5 cir. fin.
Sen. ep. 50 ante med.

A

Caput XXX.

De Stultitia.

Gregorius in Moralibus: Incautis sæpe ad peccati finem vertitur, etiam hoc, quod pro solo studio mercedis inchoatur. Idem: Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est velle docere meliorem. Idem: Sæpe reprobi, per hoc quod unum vel minimum bonum suum incaute conspiciunt, mala multa & gravia, in quibus demersi sunt, non agnoscunt. Idem: Quia testante Paulo, sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Idem in registro: Ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bonis imitari paratus sum. Stultus enim est, qui in eo se primum æstimat, ut bona, quæ viderit, discere contemnat. Augustinus de libero arbitrio: Stultitia est, rerum appetendarum, & vitandarum non quælibet, sed vitiosa ignorantia. Idem: Si prudentes dicuntur. qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, & vivant paucos dies: quam stulti sic vivunt, ut perdant æternam vitam? Idem de octoginta tribus quæstionibus: Quidquid casu fit, temere fit. Idem de vita beata: Major & miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia: & qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. Est ergo animi egestas, nihil aliud, quam stultitia. Idem de ordine disciplinæ: Quisquis ea sola novit, quæ corporis sensibus attingit, non solum cum Deo non esse mihi videtur, sed nec secum quidem. Isidorus; Neminem stultorum: Supra lib. 1 de judicibus. Bernardus de consideratione In his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. Idem super Cantica: Stultus quod vivit, mortem potius quam vitam esse censuerim: Quo modo vita cum sterilitate? Seneca in epistola: Inter cetera mala hoc quoque habet stultitia proprium, semper incipit vivere.

Greg. l. 7 Mor. c. 10 post med.
Ibid. l. 6 c. 18 cir. fi.
Ibid. l. 34 c. 17 post med.
Ibid. l. 18 c. 25 fere in prin.
Idem reg. l. 7 ind. 1 c. 63 in fi.
Aug. de l. arb. l. 3 c. 24 ante med. tom. 1.
Idem de 83 quæst. q. 24 tom. 4
Idem de vita bea. disp. 3 diei ante med. tom. 1.
Bern. de consid. l. 2 ante med.
Idem ser. 63 in cant. ante med.
Sen. ep. 1 & cir. fin.

B

C

re. Quid est autem turpius, quam senex vivere incipiens? Idem: Omnis stultitia laborat fastidio sui. Idem: Nihil stultitia pacati habet: tam superne illi metus est, quam infra. Utrumque trepidat latus, sequuntur pericula & occurrunt, ad omnia pavet, imparata est, & ipsis terretur auxiliis.

Idem ep. 59 an. med.

Caput XXXI.

De Credulitate.

GRegorius in Moralibus: Error cum virtus creditur, difficilius emendatur. Idem: Sicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere se æstimant ex humilitate: ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Idem: Majora crimina. Infra lib. 4. de æquitate. Idem: Arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringunt. Tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se poterunt multiplicitate loquacitatis aperire. Idem in registro: Nos ignotis hominibus passim credere non debemus. Idem: Ex te aliorum causas æstima, & in quorumdam adversitates falsis suspicionibus non ducaris. Isidorus de Summo bono: Erit ille apud Deum condemnatus, qui adversus innocentem, falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solum reus est, qui falsum de aliquo profert, sed is qui cito aurem criminibus præbet. Joannes Chrysostomus de compunctione: Si inimicitiæ semel occupaverint homines, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur ita accipiuntur, & intelliguntur, ut ad maiores & longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur: si quid autem mali, hoc solum creditur, hoc confirmatur. Augustinus de baptismo parvulorum: Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione de-

Greg. li. 32 Mor. ca. 17 longe post med. — *Ibid. li. 34 cap. 18 circa med.* — *Ibid. li. 26 cap. 18* — *Idem regi. lib. 7 ind. 2 cap. 64 circa fin.* — *Ibid. lib. 8 ind. 3 c. 12 post med.* — *Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 59 sent. 6* — *Chrysost. de comp. cord. lib. 1 ante med.* — *August. de unico Bap. cont. Petil. ca. 16 ante med. to. 7*

A monstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. Bernardus in epistola: Error est humanæ mentis, non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falsum, & e converso, sed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Idem de consideratione: Facilitatis credulitas est, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cavisse versutias: inde ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens abdicatio, inde præjudicia in absentes. Idem: Arrogans de omni alia. Supra libro 2. de Superbia. Seneca in epistola: Utrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, B alterum tutius.

Bernar. ep. 85 ad Vitill. abb. circa prin. — *Idem de consid. li. 2 in fine.* — *Sen. epi. 3 post med.*

Caput XXXII.

De Sapientia.

GRegorius in Moralibus: Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur. Idem: Valde difficile est, ut is, qui se sapientem æstimat, mentem ad humilitatem reducat. Idem: Quia testante. Supra de stultitia. Idem: Sapientia hujus mundi infidelis est: quia mansura post mortem non est. Idem in pastorali: Quo quisque melius sapit, eo deterius delinquit: & idcirco inex- C cusabiliter meretur supplicium, quia prudenter, si voluisset, potuit vitare peccatum. Idem: Sæpe dum. Supra de discordia. Idem in registro de quodam monacho: Sunt bona, quæ in eo placent, sed hoc est in illo vehemens vitium: quia valde sibi sapiens esse videtur. Augustinus de libero arbitrio: Væ qui derelinquunt te ducem, & oberrant in vestigiis tuis: qui nutus tuos pro te amant, & obliviscuntur quid innuas. O suavissima lux purgatæ mentis sapientia! non enim cessas innuere nobis, quæ & quanta sis, & nutus tui sunt omne creaturarum decus. Idem de quantitate animæ: Odore ac sapore mire dijudicare pulmenta, & quo lacu piscis captus sit, vel quod te-

Greg. l. 19 Mor. ca. 14 — *Ibid. li. 26 cap. 17 in fin.* — *Ibid. li. 31 cap. 20 circa med.* — *Idem Past. cu. p. 3 c. 1 admon. 23 ante med.* — *Idem regi. lib. 7 ind. 2 cap. 91* — *August. de lib. arb. li. 2 ca. 16 tom. 1* — *Idem de quant. ani. ca. 19 to. 1*

nue vinum sit, nosse dicere, quædam est miseranda peritia; & his artibus, cum quasi crevisse anima videtur, quæ nec lata mente defluxit in sensus, nihil aliud, quam tumuisse, vel etiam contabuisse judicanda est. Idem de civitate Dei; Philosophiam si vero ac fideliter amasses, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam cognovisses, nec ab ejus saluberrima humilitate, tumore inflatus vanæ scientiæ resilisses.

Idem de civ. Dei, li. 10 ca. 28 tom. 5

Idem: Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad Philosophorum attinet doctrinas impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhethorica inflatos, piscatores cum retibus fidei, ad mare hujus sæculi paucissimos, misit, atque ita & ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit. Idem de ordine disciplinæ; Astrologia est magnum religiosis argumentum, tormentumque curiosis.

Ibid. li. 22 cap. 5

Ambrosius de virginitate; Nemo potest vestitus amictu Philosophiæ habitu scilicet sapientiæ sæcularis, Christum videre.

Ambr. de vir. lib. 3 post med. tom. 4

Hieronymus in originali super Isaiam; Omnis pompa structuraque verborum, & argumenta Dialectica redigentur ad nihilum. Idem in epistola; Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, sæcularis sapientiæ vanitas, rhetoricorum pompa verborum; hæc sua omnes vanitate delectant, & dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & peccatoris interna devincunt.

Hieron. ep. 146 ad Dam. ante med. to. 3

Bernardus de duodecim gradibus; Sapere malum, sapere non est, sed desipere. Idem de contemptu mundi: Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat vehementer Dominus accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligenter intuere. Magnum est quod proponis, & opus egens multa deliberatione; experire quid possis, amico consule, ne post factum pœnitere contingat.

Ber. de 12 gra. humil. gra. 1 ante med.
Idem de ciam. sup. Ecce nos, circa med.

Idem: Sapientia mundi, terrena, animalis, diabolica est, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ Deo solet vomitum provocare.

Ibidem conseq.

Idem super Cantica: Philosophorum ventosa loquacitas non bonus est imber, qui sterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem.

Idem ser. 58 in Can. post med.

Idem: Vinum sæcularis scientiæ inebriat quidem, sed curiositate non charitate, implens non nutriens, inflans non ædificans, ingurgitans non confortans.

Ibid. ser. 9 post med.

Seneca in epistola: Liberalium artium ostentatio, molestos, intempestivos, verbosos, sibi placentes facit.

Sen. ep. 88 post med.

Caput XXXIII.

De Doctrina.

B Gregorius in Moralibus: Sæpe viri ferventes ingenio dum congrua inveniunt, arroganter intumescunt, & quod per elationis vitium plerumque contingit, eisdem acutis sensibus, quibus hostem feriunt, prosternuntur: dum in his quæ recte de Deo sentiunt, non Dei, sed suam gloriam quærunt.

Greg. li. 23 Mor. ca. 3 circa med.

Idem: Perversi cum vera sapiunt, recta quidem & rectis rationibus loquuntur: non ut alios audientes doceant, sed ut ipsi quanta doctrina polleant, innotescant.

Ibid. li. 10 cap. 3 circa fin.

Idem: Quantalibet doctrina. Supra de stultitia. Idem super Ezechielem: De prædicationis labore laudem transitoriam quærere, quid est aliud quam rem magnam vili pretio venundare?

Idem in Ezech. hom. 11 post med.

C Idem: Necesse est, ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari: ne aut verecundis aspera, aut impudentibus levia loquatur.

Ibid. ho. 11 post. med.

Ambrosius super Lucam: Vita verbum exigit, & acquirit: sermo autem sine vita non dicitur sermo.

Ambr. in Luc. lib. 5 ca. 6 to. 3

Augustinus de vera religione: Quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, & in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur, si quando ad disputationem venitur, Platonico nomine ora crepitantia, quam pectus vero Deo plenum, magis habere gestimus?

August. de ver. relig. ca. 3 to. 1

Bernardus super Cantica: Væ, bene de Deo, & sentire, & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum: si alta sapientes humilibus

Bern. in Cant. ser. 41 vers. fin.

bus non consentiant, paveant, quod in Propheta legitur, dicente Domino: Dedi enim aurum meum, &c.

Caput XXXIV.

De Honore.

Greg. lib. 5 Mor. ca. 1 GRegorius in Moralibus: Plus in hoc mundo honor, quam despectio occupat: magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. *Ibid. lib. 6 cap. 4* Idem: Transit quod extollitur, permanet quod punitur, & qui honoratur in via, in perventione damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera, ad interitum tendit. *Ibid. lib. 9 cap. 10 in princ.* Idem: Tantorum pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis hoc mundo principatur. *Ibid. li. 26 cap. 19 in fin.* Idem: Tumoris elatio, non ordo potestatis in crimine est. Potentiam enim Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis invenit. *Ibid. li. 24 cap. 16* Idem: Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. *Idem Past. cu. p. 1 cap. 9* Idem: In pastorali: Penset quisque quid subiectus egerit, & repente cognoscet, si Prælatus bona agere, quæ proposuerit, possit: quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. *Ibid. ca. 4 in princ.* Idem: Sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa intuendo diverberat: & impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Idem: Cum rerum necessitas. Infra libro 4. de dignitate. Idem in registro: In alto loco positis, sæpe dum exterius ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus gravatur. *Idem regi. lib. 2 ind. 10 cap 39 circa fin.* Idem: Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur, impartior: nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante denegabo: sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dum non sit, quod alteri jure ab altero possit apponi. *Ibid. lib. 7 ind. 1 c. 30 circa fin.* Idem: Nec honorem reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Idem: Minorem major præcedit, sicut honore, ita & crimine. *Isidor. de* Isidorus de Summo bono: Sæpe per honores quorumdam mutantur & mores, & quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris venerint, amicos habere despiciunt. *Sum. bon. li. 3 ca. 28 sent. 6* Idem: Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subditos tramite vitæ melioris præire. *Ibid. ca. 34 sent. 2* Neque enim quisque ad hoc præficitur, ut subditorum culpas corrigat, & ipse vitiis serviat. Idem: Qui regimen. Supra de ambitiosis libro 1. Idem ibidem: Qui ad conversionem. Augustin. in epistola: Non cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere, sed cogito me principi pastorum omnium, rationem de commissis ovibus redditurus. *Aug. epist. 203 ad Max. ep. Don. post med. to. 2* Idem de pastoribus: Quisquis ita præpositus est, ut in eo quod præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat: se pascit, non oves. *Idem de Past. ca. 1 prope fin. tom. 9* Bernardus in epistola: Potestate accepta malle in malo quam in bono uti, abuti est. *Ber. epist. 245 ad Eugе. PP. prope fin.* Idem: Non dignum est, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. *Idem ep. 87 ad Oge. post med.* Idem super Cantica: Fratres, revereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. *Idem in Cant. ser. 12 post med.* Idem: O perversitas. Supra libro 1. de ambitiosis. Glossa: Quanto gradus altior, tanto casus gravior. *Gloss. in Psal. 36*

Caput XXXV.

De Zelo.

GRegorius in Moralibus: Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. *Greg. li. 10 Mor. ca. 5* Idem in pastorali: Exasperatus rector, cum subditorum mentem plus se quam debuit percussisse considerat apud se, ad pœnitentiam semper recurrat, ut per lamenta, veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli ejus studium peccat. *Idem Past. cur. p. 2 cap. 10 post med.* Isidorus de Summo bono: Nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit, & zeli studium dum plus est, quam oportet, in iracundiæ vitium transit. *Isidor. de sum. bon. li 2 ca. 34 sent. 4* Bernardus super Cantica: Zelus minus absque scientia efficax, minusque utili invenitur, plerumque *Bern. in Cant. ser. 49 cir. me.*

que autem, & perniciosus valde sentitur, quo zelus fervidior vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Idem de consideratione: Vides omnem ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda, honoribus totum datur, sanctitati nihil. Idem: Alii tam vehementer. Supra libro 2. de beatitudine.

Idem de consid. li. 4 ante med.

Caput XXXVI.

De Arguitione.

Gregorius in pastorali: Correpti mens ad odium repente proruit, si hanc immoderata increpatio plusquam debuit, addicit. Idem: Plerumque contingit, ut dum culpa subditorum cum magna invectione corripitur, magistri lingua usque ad excessus verba pertrahatur: cumque increpatio immoderate accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. Idem in Moralibus: Furentem, qui per invectionem corripit, quasi ei, qui non sentiat ebrio, plagas imponit. Idem: Justo timendum non est. Infra libro 4. de timore. Idem Sæpe qui in potestate. Supra de stultiloquio, in convitiatione. Idem: Qui semper increpare appetunt, & numquam fovere, multa plerumque increpando mentiuntur. Isidorus de Summo bono: Non debet vita aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus inservit: improbum est enim arguere quidquam in alio, quod adhuc reprehendit in semetipso. Augus. in epistola: Obsecro te per mansuetudinem Christi, ut si læsi te, dimittas mihi, nec me vicissim lædendo malum pro malo reddas: lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis. Nam si ea in me reprehendis, quæ reprehendenda non sunt, te lædis magis, quam me. Idem in regula: Quanto necessitas disciplinæ in moribus corrigendis, dicere vos dura verba compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos quos plus justo corripitis, quanta benevolentia diligatis. Idem super illa verba: Si peccaverit in te frater tuus, &c. Quare illum corripis, quia doles quod peccaverit in te? absit, si amore tuo id facis, nihil facis: si amore illius facis, optime facis. Bernardus super Cantica: Inhumane eorum redarguis opera, quorum onera refugis: temerarie obiurgat virum de prælio revertentem mulier nens in domo.

Greg. Past. cu. p. 2 ca. 10 circa fin. & li. 10 Mor. ca. 5
Idem Past. cu. p. 2 cap. 10 post med.
Idem li. 30 Mor. ca. 7
Ibid. li. 23 cap. 10 post med.
Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 32 sent. 1
Aug. ep. 15 ad Hier. ante med. tom. 2
Idem reg. 3 ca. 40 to. 1
Idem ser. 16 de ver. Domini; ante med. tom. 10
Ber. ser. 12 in Cant. post med.

Caput XXXVII.

De Remissione.

Gregorius in registro: Cum in subiecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. Idem: Qui emendare potest, & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Idem. Satis grave est, si illic contingat habere pravam actionem refugium, unde disciplinæ decet prodire censuram. Idem: Consentire videtur erranti, qui corrigenda ut resecari debeant non occurrit. Idem in Moralibus: Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit. Nam dum lassum se quisque in otio remittit, dissolutam mentem corruptori prostituit. Idem: Zeli iram, quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Idem: Plerumque dissoluta. Supra de crudelitate. Idem: Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: & dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur. Idem in pastorali: Si inchoata bona fortis operantis manus, ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Idem super Ezechielem: Super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mor.

Greg. reg. li. 2 ind. 12 cap. 23
Ibid. lib. 9 ind. 4 c. 64
Ibid. lib. 4 ind. 13 cap. 62
Idem lib. 2 Mor. ca. 17 circa med.
Ibid. lib. 5 cap. 31 post med.
Ibid. li. 10 cap. 9
Idem Past. cu. p. 2 c. 1 admon. 35 post med.
Idem in Eze. ho. 12 ante med.

mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Isidorus de Summo bono: Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit. Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne cum timorem Dei a tepore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris. Augustinus in sermone: Qui errantem non corripuerit, de negligentia judicabitur: qui autem clam pro eo non oraverit, de pernicie condemnabitur. Idem in regula: Magis innocentes non estis, si fratres vestros, quos judicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Idem: Tu vulnus fratris contemnis, tu eum vides perire & negligis, pejor es tacendo, quam ille convitiando. Idem in epistola: Sicut non est beneficentiæ adiuvando efficere, ut bonum quod majus est amittatur, ita non est innocentiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. Idem: Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Idem de civitate Dei: Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter vivunt, & a malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut obiurgare deberent. Ambrosius super Beati immaculati: Remissas excubias callidus insidiator irrumpit. Bernardus de consideratione: Mira res, satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & cui suas committant facultates non inveniunt: optimi videlicet æstimatores, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram. Idem de pretio escarum & numerum panum cum ministris quotidiana discussio est, rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui sublevet eam: perit anima, & nemo qui reputet: nec mirum, cum nec nostros assiduos sentiamus defectus. Idem: Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum est nutrix: Et beatus si omni satagas cura, malorum omnium primam parentem cavere incuriam. Idem: Impunitas ausum parit, ausus excessum.

Isidor. de sum. bon. li. 2 ca. 10 sent. 1 — *Aug. reg. 3 ca. 23 to. 1* — *Idem ser. 16 de ver. Domini, ante med. tom. 1* — *Ibid. ep. 5 ad Marcel. post med.* — *Idem de civ. Dei, li. 1 ca. 9 ante med.* — *Bern. de consid. li. 4 post med.* — *Ibidem post pauca.* — *Ibid. li. 3 circa fin.* — *Ibid. lib. 4 prope fin.*

Caput XXXVIII.

De Acceptione personæ.

Gregorius in homiliis: Judicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Idem in Moralibus: Quia ab internis atque invisibilibus oculos claudimus, & visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur: cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum, non ex personis, sed ex rebus adiacentibus ducimur. Isidorus de Summo bono: Judices iniqui errant a veritate sententiæ, dum intendunt in qualitate personæ, & exulcerant sæpe justos, dum improbe defendunt iniquos. Idem: Dives muneribus cito corrumpit judicem: pauper autem dum non habet quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. Idem: Quatuor modis supra libro 1. de judicibus. Hieronymus in Glossa Malach. Inter omnia peccata Sacerdotum, quasi maximum notatur, quod non causas sed personas considerant, & despecto justo paupere injustos divites honorant. Idem in Glossa Isaiæ super illud: Quare attereritis. Nostri principes, cum pauperes delinquentes publice arguant, & confundant, divitibus pejora peccantibus nec tutum faciunt, in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & eas in delicias abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopias suas vel suorum divitias faciunt. Idem in homilia super Amos: Quicumque aut consanguinitate aut amicitia, & econtrario, vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia. Ambrosius de officiis: Gratia absit, causæ merita discernantur: nihil sic opinionem, imo fidem gra-

Greg. ho. 16 in Evan. ante med. — *Idem li. 28 Mor. ca. 1* — *Isid. de sum. bon. lib. 3 ca. 59 sent. 2* — *Ibid. ca. 58 sent. 4* — *Hieron. in Mal. ca. 2 tom. 5* — *Idem in Isa. lib. 2 ca. 3 to. 4* — *Idem in Amos, li. 3 ca. 6 to. 5* — *Amb. off. lib. 2 ca. 24 tom. 4*

gravat, quam si in judicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas & divitem excuses reum culpæ. Idem: Pronum genus hominum favere honoratoribus. Bernardus de consideratione: Non parvi te reum peccati æstimes, si facies peccatorum sumis, & non potius causa judicas meritorum. Seneca in epistola; Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quod neminem æstimamus eo quo est, sed etiam adiicimus illi & ea, quibus adornatus est. Atqui cum voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice: ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis, quantusque sit alieno, an suo magnus.

Ibidem conseq. — *Bern. de cons. lib. 2 circa fin.* — *Sen. ep. 76 post med.*

Caput XXXIX.

De Scandalo.

Gregorius super Ezechielem: In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum, debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Idem in pastorali: Scire Prælati debent, qui si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Idem: Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perversa agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Isidorus de Summo bono: Deteriores sunt, qui sive doctrina, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt: his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Augustinus de pastoribus: Parum est malis pastoribus. Supra libro 1. de prælatis malis, Idem: Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. Idem de singularitate clericorum: Eleazarus maluit vitam suam tormentis obiicere, quam cuiquam magister perditionis existere: & nos ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis nolumus anteponere fratres salvandos, nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse, quam cæteris. Idem: Christus agnus. Supra lib. 1 de clericis. Idem: Sicut quod ait Apostolus. Supra de libro 1. de continentia gustus. Joannes Chrysostomus super Joannem: Omnia agamus ne scandalizetur proximus, vita etenim etsi valde recta fuerit, scandalum aliis præbens, omne perdit. Bernardus in epistola: Constat ubi veritas deest, & ubi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quod a quolibet posse committi, nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. Idem: Cum carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille, qui arguit. Idem: Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri, nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi proculdubio charitatis est detrimentum; ubi autem diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritualis exercitii sperari lucrum. Idem in sermonibus: Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas, quas redemit: quam ab illo qui sanguinem suum fudit? Idem: Is qui exemplo suo ad remissius agendum ceteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua, & murmuratione molestat, aut quocumque modo contristat spiritum Dei, qui est in eis, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum, nonne & hic manifeste persequitur Christum?

Gregor. in Ezec. ho. 7 ante med. — *Idem Past. cu. p. 3 cap. 1 admon. 5 non longe a princ.* — *Ibid. p. 1 cap. 2* — *Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 38 sent. 5* — *August. de Past. ca. 4 tom. 9* — *Est apud Cyp. de sing. cler. ca. 5 circa med. to. 3* — *Bern. ep. 7 ad Adam Monac. ante med.* — *Ibid. ep. 78 ad Gui. abb. post med.* — *Ibid. ep. 81 ante med.* — *Idem ser. 1 in conver. S. Pau. ante med.* — *Ibid. post multa.*

Caput XL.

De Infamia.

Gregorius in registro: Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum per-

Greg. regi. lib. 2 ind. 10 cap. 23 in princ.

perpetratione, Deo sibi resistente, superare, non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando, dilaceret. *Idem li. 14 Mor. ca. 26 circa med.* Idem in Moralibus: Sicut bonus odor ex virtute est, sic fœtor ex vitio. *Ibid. li. 12 cap. 25 post med.* Idem: Gravis est iniquitas, quando is qui perversus est, ostendere & alios perversos molitur: ut inde & ipse quasi sanctus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. *Ibid. li. 22 ca. 5 circa med.* Idem: Ne immoderatis laudibus elevemur, plerumque miro redemptoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittitur, ut cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahenti humiliet. *August. de vit. cleric. ser. 53 ad frat. in eremo, post med. to. 10* Augustin. de vita communi clericorum: Quærentis licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium, & multos infamant, ut socios invenisse videantur. *Ibidem in princ.* Idem: Quia ut ait Apostolus, spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus, qui nos amant, quærunt quid laudent in nobis, qui autem nos oderunt; detrahunt nobis. Nos autem in medio constituti, adiuvante Domino Deo nostro, & vitam nostram & famam sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus laudatores. *Apud Cyprian. de sing. cler. ca. 5 ante med. to. 3* Idem de singularitate clericorum: Pejus est quam mœchia, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam, blasphemiam, ingerit religioni. *Ambr. in Luc. li. 1 ca. 1 to. 3* Ambrosius super Lucam: Judicia hominum sæpe falluntur, ut & injustis justitiæ gratiam frequenter ascribant, & justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. *Idem ep. li. 6 ep. 46 tom. 5* Idem in epistola: Quid est quod magis publicum sit, quam offensa pudoris, & defloratio virginitatis? nihil profecto, quod magis se prodat, quam castitatis dispendium.

Caput XLI.

De quatuor affectionibus

Greg. li. 8 Mor. ca. 20 circa med.

Gregorius in Moralibus: Mens nostra a secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo deficiendo dolore deiicitur, modo falsa hilaritate relevatur. *Ibid. li. 10 cap. 9 circa med.* Idem: Quamvis Trinitatis imaginem in natura servemus, vanis tamen delectationis motibus perturbati in conversatione nostra delinquimus: ut modis nos semper alternantibus cupido concutiat, metus frangat, lætitia mulceat, dolor affligat. Augustin. de libero arbitrio: Voluntas mala sive cupiditate rapiatur, sive timore revocetur, sive lætitia diffundatur, sive tristitia contrahatur, atque in his omnibus perturbationibus animi quæcumque sunt, aliis vel eo tempore graviora contemnat & perferat, potest etiam sine alterius spiritus instinctu se ipsa decipere. *Ambros. tract. in psal. 104 ad Simp. ante med. tom. 2* Ambrosius in epistola: Sapiens non metu frangitur, nec potestate mutatur: non attollitur prosperis, nec tristibus mergitur. Ubi enim [B] sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, ibi fortitudo. *Idem de Virgin. li. 3 post med. tom. 4* Idem de virginitate: Sunt animæ velut quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, timor: quibus furentibus cum cœperit agi, nequaquam se ipsa cognoscit. *Hieron. in Joel. ca. 1 tom. 5* Hieronymus in originali super Joelem: Cavendum est, ne ægritudo quasi eruca nos comedat: ne locusta vastet, gaudio huc illuque volitans, & gestiente lætitia per diversa se jactans: ne brucus, id est pavor & futurorum metus, radices sapientiæ devoret: ne rubigo, scilicet desiderium futurorum, res inutiles concupiscat, & nos perferat ad ruinam. *Boet. de consol. phil. li. 1 metro 7* Boetius de consolatione: Vivere si vis tramite recto, gaudia pelle, [C] pelle timorem, spemque fugato, nec dolor adsit.

Caput XLII.

De Timore.

Gregorius in Moralibus: Sæpe nonnulli dum temporalia adversa pertimescunt, districtionis æternæ animadversionem abiiciunt. *Greg. Mor. li. 10 ca. 12 post med.* Idem: Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit, qui semper ad lucra inhiat, semper videlicet damna formidat. *Ibid. li. 22 cap. 10 circa med.* Idem: Magna est securitas cordis nil concupiscientiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest: quia aut non habita concupi-

cupiscit, ut habeat: aut habita metuit, ne amittat. Idem: Multos sæpe vidimus vitam quidem sanctæ conversationis appetere: sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti conspiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Idem in pastorali: Plerumque utilius apud pusillanimes proficimus, si eorum bene gesta memoramus. Idem: Ignorat mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. Augustinus de libero arbitrio: Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. Joannes Chrysostomus de compunctione: Multa inhonesta & indigna committere, non paupertas, sed pusillanimitas facit. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed hominem formidat. Huic peccandi differt facultatem, sed non aufert voluntatem. Isidorus de Summo bono: Multi cupiunt convolare ad gratiamDei, sed timent carere oblectamentis mundi: provocat quidem eos amor Christi, sed revocat eos cupiditas sæculi. Idem: Qui metu potestatis veritatem occultat, ejusdem veritatis iracundiam sibi cœlitus provocat: quia plus pertimescit hominem, quam divinam metuat indignationem. Idem: Multi sacerdotes. Supra libro 1. de sacerdotibus malis. Cassiodorus super illud Psalmi: Illic trepidaverunt timore: Sicut cautela est opportune timere, ita ignavia est inepte trepidare. Bernardus in epistola: Quæso te quod memoriale virtutis, quæ laus disciplinæ, quis scientiæ profectus, vel artis fructus, trepidare timore, ubi non est timor, & timorem Domini derelinquere? Quam salubrius disceres Dominum Jesum Christum, & hunc crucifixum: quam utique scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus est, apprehendit. Idem: Sicut sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit; sic damnandis & reprobis tribulatio parit e contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit. Idem de contemptu: Vocat magni consilii angelus, quid opus est, ut aliena consilia præstoleris; quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me Domine & deducar, fortior esto & invalesce. Idem: O si cognovissetis miseri & vos, mutatis non effugitis pœnitentiam: nam malum impunitum esse non potest, quod non punitur hic propria voluntate, punietur alibi sine fine. Misera sane & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. Idem: Videmus pauperes aliquos. Supra libro 2. de beatitudine. Seneca in epistola: Plura sunt quæ nos terrent, quam quæ premunt: & sæpius opinione, quam re laboramus. Idem: Expavescimus dubia pro certis, non servamus modum rerum, statim in timore venit scrupulus. Idem: Delicati timent mortem; cui vitam suam facere similem. Idem: Quemcumque ex illis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum comiti, onerique timentem.

Vid. li. 30 cap. 12 ante med. — *Idem Past. cu. p. 3 cap. 1 admo. 9 circa med.* — *Ibid. admon. 14 non procul a princ.* — *August. de lib. arb. li. 2 ca. 14 in princ. tom. 1* — *Chrys. ex variis loc. in Matth. ho. 16 circa med. to. 2* — *Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 22 sent. 3* — *Ibidem. c. 29 sen. 7* — *Cassiod. in psal. 13 post med.* — *Ber. ep. 108 ante med.* — *Idem ep. 32 ante med.* — *Idem declam. sup. Ecce nos, circa med.* — *Ibidem ante med.* — *Sen. ep. 13 ante med.* — *Ibidem post med.* — *Ibid. ep. 82 ante med.* — *Idem ep. 57 vers. fin.*

CAPUT XLIII.

De Dolore.

GRegorius in Moralibus: Sæpe gravitatem cordis, quasi subiuncta ex latere tristitia sequitur, atque omne opus, quod mens bona intentione inchoat hæc velamine mœroris obumbrat. Idem: Fructum non habent lamenta, quæ student cum gemitu desiderare peritura. Idem: Unde ille lucet, qui potestatem suscipit: inde perversus quisque, qui corrigi metuit, in tristitia tenebrescit. Joannes Chrisostomus super Matthæum: Animal invidia vulneratum non solum causa idonea, sed etiam levis occasio excitat in dolorem. Bernardus in epistola: Non plane bonus color, si sanctorum quispiam anxie ferre abiectionem suam videatur, de qua etiam non gaudere, & non gloriari minus est

Greg. li. 8 Mor. ca. 19 ante med. — *Ibid. li. 18 ca. 5 in fi.* — *Ibid. li. 16 cap. 25 post med.* — *Ber. ep. 249 ante med.*

est a perfecto. Idem in sermone: A Omnino quantum in se est, inhonorat eum, a quo vocatus est: quisquis in ejus servitio in tristitia permanet, & rancore: ea dico tristitiæ quæ secundum sæculum est, & mortem operatur. Seneca in epistola: Quædam nos magis torquent, quam debent: quædam ante torquent, quam debent: quædam torquent cum omnino non debent: sic aut augemus dolorem, aut præoccupamus, aut fingimus.

Sen. ep. 13 ante med.

Caput XLIV.

De Confidentia.

Greg. l. 11 Mor. c. 2 non longe a prin.

Gregorius in Moralibus: Quasi B in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. August. de singularitate clericorum: Adversa est confidentia, quæ in periculis vitam suam quasi pro certo commendat: & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Isidorus de Summo bono: Qui male agere non desistunt, vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam quidem recte requirerent, si ab actione prava cessarent. Idem: Qui hic de bono laudem appetit, spem perdit, & gloriam mercedis in futuro non recipit. Bernardus super, Qui habitat: Sunt qui sperant in Domino, sed frustra: quia C sic de misericordia ejus sibiipsis blandiuntur, ut a peccatis non emenderetur. Vana est omnino spes ista, & hæc confundit, eo quod charitas desit. Idem in sermonibus: Est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. Seneca in epistola: Vitate, quæ vulgo placent, quæ casus tribuit, ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite: nam fera & piscis, spe aliqua oblectante, decipitur.

Est apud Cyp. de sin. gul. cler. c. 2 tom. 3

Isi. de sum. bo. l. 2 c. 4 sent. 3

Ber. ser. 1 in ps. Qui habitat ci. med.

Idem ser. 2 in Annun. Dom. ante med.

Sen. ep. 8 ante med.

Caput XLV.

De Lætitia.

Greg. l. 9 Mor. c. 7 non longe a prin.

Gregorius in Moralibus: A veritatis pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Idem: Quisquis in se gaudere appetit, eo ipso jam in luctu est, quo a vera lætitia recessit. Idem: Sæpe se bono operi lætitia immoderata subjungit: cumque plus mentem, quam decet, hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. Idem: Prænuntia tribulationis, est lætitia satietatis. Idem in homiliis: Si qua est præsentis temporis ita est agenda lætitia, ut numquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. Idem: Nemo potest & hic gaudere cum sæculo, & illic regnare cum Domino. Augustinus de confessionibus: Volentes gaudere extrinsecus, facile evanescunt, & offenduntur in ea quæ videntur, & temporalia sunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt, & o si fatigentur inedia & dicant: Quis ostendet nobis bona? Idem: Quare ambularemus. Supra de continentia auditus, lib. 2. Idem in sermonibus: Frequenter ridens æger, ploratur a sanis. Idem: Ut quid animi. Supra lib. 2 de conflictu. Idem super Lucam: Sæculi lætitia est impunita nequitia. Joannes Chrysost. super Matthæum: Non dat Dominus ludere, sed diabolus. Idem: En agon instat nobis difficiliis, & ad invisibiles nobis virtutes colluctatio instat, ad spiritualia nequitiæ est prælium, ad principatus & potestates est bellum, & admirabile est, studentes, & vigilantes, & erectos posse silvestrem illum exercitum sustinere. Si ergo riserimus, & luserimus, & desides fuerimus ante certamen, a propria cademus pigritia. Basilius in regula: Jocus remissam efficit animam, & negligentem erga Dei præcepta, nec delicta sua potest ad memoriam revocare, sed obliviscens ea non se instigat ad pœnitentiam, & ita paulatim omnibus bonis privatur. Bernardus de duodecim gradibus: Inepte

Ibid. l. 1 c. 19 ante med.

Ibid. l. 2 c. 9 non longe a pr.

Idem ho. 39 in Evang. ante med.

Ibid. ho. 11 in Evang. cir. fin.

Aug. conf. l. 9 c. 4 post med. tom. 1

Idem ser. 37 de verb. Dom. post med. t. 10

Chr. ho. 6 in Matt. post med. tom. 2

Ibid. paulo post.

Bern. tr. de 12 gradum. gra. 3 cir. med.

te lætum aut raro aut numquam gementem audies, lacrymantem videbis, putes si attendas aut sui oblitum, aut ablutum a culpis. In signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu, pronus ad jocum, facilis ac promptus in risu. Idem in epistola: Eia lætare juvenis in adolescentia tua, ut decedente pariter cum ætate temporali lætitia, succedat, quæ te absorbeat æterna tristitia. Idem: Patriæ est non exilii frequentia gaudiorum, & numerositas festituitatum cives decet, non exules. Seneca in epistola: Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac prosusoriam voluptatem, & quodcumque inventitium gaudium est, fundamento caret.

Idem ep. 2 ad Fulc. non longe a fin.

Idem ep. 174 post med.

Sen. ep. 33. ante med.

Caput XLVI.

De Vita.

Gregorius in Moralibus: Hoc ipsum nostrum vivere quotidie a vita transire est, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur. Idem: Carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt: Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent. Idem, Hi vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt: dumque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant. Idem in registro: Vita nostra naviganti similis est: is namque qui navigat, stet, sedeat, jaceat, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo & nos sumus, quia sive vigilantes, sive dormientes, sive jacentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes, per momenta temporum, quotidie ad finem ducimur. August. de verbis Domini: Scio ergo. Supra capite de dilatione. Idem super Psalmos: Omnis malus, aut ideo vivit

Greg. l. 11 Mor. c. ult. cir. med.

Ibid. li. 9 c. 6 cir. fi.

Ibid. c. 8 in prin.

Idem reg. lib. 6 ind. 10 c. 190.

Aug. enar. in Ps. 54 ante med. tom. 8

A ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Idem de verbis Domini: Non sunt mali dies, quos agimus in corruptela hujus carnis, inter tantas difficultates, ubi falsa voluptas, nulla gaudii securitas, timor torquens, cupiditatis avida, tristitia arida? Ecce quam mali dies, & tamen rogant Deum homines, ut diu vivant. Quid est autem diu vivere nisi diu torqueri? Idem: Dicimus panem. Supra lib. 2 de oratione accepta. Seneca in epistola: Nemo quam bene vivat, sed quamdiu curat: cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu nulli. Idem: Non vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit B quantum debet, non quantum potest, videbit ubi victurus sit, &c. Infra lib. 4 cap. de sapientia.

Idem ser. 17 de ver. Dom. cir. med. t. 10.

Sen. ep. 22. in fin.

Idem ep. 70 ante med.

Caput XLVII.

De Miseria.

Gregorius in homiliis: Fastidio nostro tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur: & quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foras miseri famem nostram. Idem in Moralibus: O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum, cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. C Idem: Quod hoc nisi humanæ vitæ miseria est, quod amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exilio, gravatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quam grave sit, quia multa cogitantur? Idem super Ezechielem: Necesse est, ut peccantes tunc quoque consideremus amplius miseros, quando eos inspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. August. de libero arbitrio: Quid tam opus habens misericordia quam miser? & quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? Idem de Trinitate: Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. Idem de civitate Dei: Qui perverse amat cujuslibet naturæ bonum, etiam si adipiscatur, ipse fit in bono malus, & miser meliore

Greg. ho. 36 in Ev. non multum a prin.

Idem l. 8 Mor. c. 30 ante med.

Ibid. l. 11 c. 6 ante med.

Idem in Ezech. ho. 12 cir. med.

Aug. de l. arb. l. 3 c. 10 t. 1

liore privatus. Isidorus: Mundi amatores. Supra de occupatione. Hieron. Miseriæ deliciis. Supra de voluptate. Ambrosius de fide resurrectionis: Quid nobis miserius, qui tamquam spoliati & nudi proiicimur in hanc vitam corpore fragiles, corde lubrico, imbecillo animo, anxii ad solicitudines, desidiosi ad labores, proni ad voluptates? Auctor de spiritu & anima: Jugi meditatione animum nostrum exerceamus, & consideremus miserias & necessitates nostras, labores & dolores: Lugentes enim in hanc vitam intravimus, cum labore vivimus, cum dolore & timore exituri sumus. Bernard. de libero arbitrio: Nulla verior miseria, quam falsa lætitia. Idem: Quotquot degimus. Supra lib. 1 de homine. Idem: Oramus ut Dei. Supra lib. 2 de tentatione. Seneca in epistola: Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi Dominus sit, tamen miser est. Idem: Quid eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? Joannes Chrysost. super Matthæum: O miserrimus mundus, & miserrimi qui eum sequuntur. Semper homines mundi alia opera excluserunt a vita. Multa in cap. de renunciatione libr. 4.

Amb. de fide Resur. ante med. tom. 4

Aug. de sp. & ani. c. 49 apud Aug. t. 3

Ber. tr. de lib. arb. ante med.

Sen. ep. 9 vers. fin.

Ibid. ep. 81 post med.

Chr. oper. imp. ho. 41 post med. tom. 2

Caput XLVIII.

De Morte,

GRegorius in homiliis: Horam ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Idem in Moralibus: Nil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset. Idem: Malitia remanentium. Supra de malitia. Idem super Ezechielem: Esse nobis conditor noster diem mortis nostræ incognitum voluit, ut dum semper ignoratur, semper esse proximus credatur: & tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto & incertus est de vocatione. Ambrosius de fide

Greg. ho. 13 in Ev. post med.

Idem l. 16 Mor. c. ult.

Idem in Ezech. ho. 17 ante med.

Amb. de fide Resur. ante med. tom. 4

A resurrectionis: Una est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Augustinus de verbis Domini. Agnoscat se homo mortalem, ut frangat elationem, cetera nostra & bona, & mala incerta sunt, sola mors certa est. Idem super Joannem: inter spem & desperationem fluctuat anima. Quid ergo egit Deus cum periclitantibus utroque morbo: propter illos, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos, qui spe periclitantur, fecit diem mortis incertum. Bernardus in meditationibus: Certum est quod morieris, & incertum est quando, aut quomodo aut ubi. Quoniam ubique te mors expectat, tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis.
B Idem in epistola: O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes a spiritu, ut requiescant jam a laboribus suis, non hoc solum autem, sed succedit jucunditas de novitate, de æternitate securitas. Idem: Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Contra, mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima, mala si quidem in amissione mundi, pejor in separatione carnis, pessima in vermis, ignisque duplici contritione. Idem; In hac vita quamdiu durat compara tibi illam, quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem
C carnis, Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur. Idem in sermonibus: Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius invenitur? non miseratur inopiam, non reveretur divitias, non generi cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati, ubique senibus est in ianuis, iuvenibus in insidiis. Interlinearis: Non debet extolli in his quæ agit, qui nescit quo modo huc venit, vel quando, & quo modo exibit. Seneca in epistola: Junior es, non refert, non dinumerantur anni, incertum est, quo te loco mors expectat: itaque tu illam omni loco expecta. Idem; Percepit sa-

Aug. de verb. Do. ser. 21 circ. med. t. 10

Idem in Jo. tr. 33 prope fin. tom. 9

Bern. in medit. c. 3 post med.

Idem ep. 105 ad Roman. Subdiac.

Ib. conseq.

Ibid. paulo ante.

Idem ser. de convers. ad cler. c. 14

Interlin. Iob 38

Sen. ep. 26 post med.

Idem ep. 22 ver. fin.

sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur: nunc vero trepidamus, cum periculum accesserit, non animus nobis, non color constat, lacrymæ nihil profuturæ cadunt. Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse solicitum? causa autem hæc est, quod inanes in omnium bonorum sumus.

Caput XLIX.

De Judicio.

Greg. reg. l. 2 ind 11 c. 100 cir. fin. Gregorius in registro: Ecce mora non erit, & ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus, cum principatibus & potestatibus tremendus judex apparebit. *Idem in Ezec. ho. 2 post med.* Idem super Ezechielem, Quæ mens erit hominis, æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc simul cuncta peccata ante oculos redeunt: ibi omnia, quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur. *Ibid. ho. 7 longe post med.* Idem: Redemptor humani generis cum judex apparuerit, & speciosus justis, & terribilis erit injustis. Quem enim mansuetum aspicient electi hunc eumdem pavendum, atque terribilem conspicient reprobi. *Idem l. 11 Mor. c. 13 non longe a prin.* Idem in Moralibus. Ille postmodum cum Deo judex veniet, qui hic ei modo in prece familiaris extiterit. *Ibid. l. 10 c. ult. cir. med.* Idem: Quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, in judicio proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. *Ibid.* Idem: Tunc cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. *Aug. ep. 6 ad Ital. vid. ante med. t. 2* Augustinus in epistola: Cum venerit Dominus, & illuminaverit abscondita tenebrarum & manifestaverit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximum in proximo, nec erit quod suis quisque aperiat, & abscondat alienis. *Idem de civ. Dei, l. 20 c. 30 prope fi. t. 5* Idem de civitate Dei: In illo judicio, vel circa illud judicium, has res didicimus esse venturas, Heliam Tesbitem, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque discretionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem. *Idem de catechizand. c. 10 cir. med. tom. 4* Idem de catechizandis rudibus: Jubentur servi Christiani & boni fideles, dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire. quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum Deum conversi fuerint. *Hier. in Ioel. c. 3 t. 5* Hieronymus in originali super Joelem: Mœrorem diei judicii, & tormenta pereuntium, ne Sol quidem & Luna, astraque cetera poterunt intueri, sed retrahunt fulgorem suum, & severitatem judicantis, reddentis unicuique secundum opus suum, in caput suum aspicere non audebunt. Non quo clementiora sunt Dei judicia, sed quo omnis creatura in tormentis aliorum, de suo judicio pertimescat. Idem: Etiam qui sancti sunt, præsentiam Dei absque formidine non videbunt. *Chrys. op. imp. ho 19 post med. tom. 2* Joannes Chrysostomus super Matthæum: In illo die nihil est quod respondeamus, ubi cœlum & terra, aqua, Sol & Luna dies & noctes, & totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum, & si omnia taceant, tamen ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum dicente Apostolo: Cogitationibus invicem accusantibus &c. *Amb. in Luc. l. 2 c. 3 tom. 3* Ambrosius super Lucam: Væ mihi est, si non peccata mea deflevero: væ mihi est, si non media nocte surrexero ad confitendum tibi Domine: væ mihi, si dolum proximo meo fecero: væ mihi, si non locutus fuero veritatem. Ad radicem securis posita est, faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ, adest Dominus, qui fructum requirat, fœcundos vivificet, steriles deprehendat. *Isi. de sum. bo. l. 1 c. 30 sent. 10* Isidorus de Summo bono: Duæ sunt differentiæ, vel ordines hominum in judicio, hoc est, electorum & reproborum, qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Domino judicat, & alius, qui judicatur, utrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum qui intra Ecclesiam sunt mali, judicandi sunt, & damnan-

nandi: qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi, sed tantum damnandi. Bernardus de contemptu. Non unius civitatis, aut populi, aut regionis unius, sed universitatis judices; habent præsidere cum Christo non solum homines, sed etiam ipsos angelos iudicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignantes, & exsufflantes improperium Christi, universis præposuerunt titulis dignitatum. Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri, dare vobis regnum. Idem in epistola: Veniet, veniet dies judicii, ubi & plus valebunt pura corda, quam astuta verba, & conscientia bona, quam marsupia plena, quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Idem super Cantica: Quid in Babylone tutum, si Hierusalem manet scrutinium? Idem de duodecim gradibus: Cognoscetur recte Dominus justitiam faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Idem in sermonibus: Nudi stabunt ante tribunal Christi, ut audiant vocem judicii, qui ad vocem consilii obduraverunt aures suas. Quid enim loquitur Deus; Agite pœnitentiam, inquit. Multi tamen dissimulant, multi continent aures suas, & dicunt: Durus est hic sermo. Non sic impii non sic, cum intonuerit sermo durus, & verbum asperum. Ite maledicti in ignem æternum. Anselmus in libro meditationum: O lignum aridum & inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur a te usque ad ictum oculi, omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit a te expensum? Tunc quippe condemnabitur quidquid fuerit inventum in te, operis vel otii, sermonis & silentii, usque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad voluntatem Dei directum. Idem: O angustia, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris ardens mundus, etsi justus vix salvabitur, peccator sic depressus, in quam partem se premet constrictus? Ubi latebo? ubi apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Idem: Dies iræ dies illa, &c. Quid dormitas anima tepida & digna evomi? Qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est.

Bern. de clam. sup. Ecce nos post med. — *Idem ep. 1 ad Rober. cir. med.* — *Idem in Cant. ser. 55 ante med.* — *Idem de 12 grad. hum. post med.* — *Idem in ser. de ver. Abac. ante med.*

Caput L.

De Damnatione.

Gregorius in Moralibus: Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit: mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. Idem: In inferno ignis non lucet ad consolationem, & tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amarunt, ipsorum quoque interitus eos in augmentum suæ damnationis affligat. Idem: Sicut in domo patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparilitas criminis. Idem in homiliis: Ut peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amaverunt. Hieronymus in originali super Isaiam: In consummatione mundi, præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum. Augustinus in sermonibus: Quare in inferno mors quæritur, & non invenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. Idem in Enchiridione: Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: & in ceteris, qui addiderunt, tanto ibi quisque tolerabiliorem habebit damna-

Greg. l. 9 Mor. c. 39 cir. med. — *Ibid.* — *Ibid. ante med.* — *Idem hom. 40 in Ev. post med.* — *Aug. ser. 252 de temp. cir. med. t. 10* — *Idem in Ench. c. 93 tom. 3*

tionem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. *Idem de cath. rud. c.22 in fin. tom. 4* Idem de cathechizandis rudibus: Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. *Idem de na.bo. cont Manich. c. 7 tom. 6* Idem de natura boni: Peccantes in suppliciis ordinantur, quia ordinatio eorum naturæ non competit, ideo pœna est: sed quia culpæ competit, ideo justitia est. *Ibid. c.9* Idem: Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Excludi a bonis æternis, & alienum effici ab his, quæ præparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, ut etsi nulla extrinsecus pœna torquere, hæc sola sufficeret. Idem; Non putemus, quia suppliciorum nimietas ipsa dabit finem dolorum, sed peccata quidem pœnas accendent, incorruptio vero animæ, & corporis, nullum suppliciis terminum dabit. *Isi. in syn. c. 1 ante med.* Isidorus in synonymis; Intende animo quascumque sæculi pœnas, quoscumque tormentorum dolores, quascumque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leve est omne, quod pateris. Fulgentius in epistola: Principalia sunt duo tormenta in inferno, ibi frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Unde in Evangelio legitur: Illic erit fletus & stridor dentium: fletus namque in liquefactione oculorum de calore nascitur, stridor vero dentium de frigore oritur. *Bern. Ep. 253 ad Gar. abb. cir. med.* Bernardus in Epistola: Ob hoc proculdubio inflexibilis, & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Idem in serm. Singulis excessibus, singulis & membris, quæ arma fuerant iniquitatis, sua debetur pœna pro qualitate, vel quantitate commissi. In quo autem membro creator amplius offenditur, peccator gravius torquebitur. *Ans. de sim. c. 49* Anselmus de similitudinibus: Partes miseriæ sunt turpitudo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, vitæ brevitas, insipientia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. *Auct. de spir. & an. apud Aug. tom. 3* Auctor de spiritu & anima; Quædam animæ in eisdem locis, in quibus culpam commiserunt, puniuntur, quædam vero abditis receptaculis, usque ad ultimam resurrectionem continentur, sicut unaquæque digna est requie & miseria.

CAPITA QUARTI LIBRI PHARETRÆ.

PHARETRÆ LIBER QUARTIUS

IN QUO DE GRATIOSIS AGITUR.

CAPUT I.

De Voluntate.

Greg. ho. 5 in Ev. cir. med. GRegorius in homiliis. Ante Dei oculos numquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. *Hier. ad Exuper. ep 35 tom. 1* Hieronymus in Epistola: Certe Christus pro animi voluntate, omnia in acceptum refert. Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit. *Aug. de ver. rel. c. 14 tom. 1* August. de vera religione: Tales servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent. *Idem de sp. & lit. c. 34 tom. 3* Idem de spiritu & littera: Nemo habet in in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est. *Idem ora. do 5. hær. c. 1 in pr. tom. 6* Idem contra quinque hæreses: Ad compellendum non potest esse molestus exactor, cum ad reddendum devotus est debitor. Idem: Nemo aliquid. Supra lib. 2 de charitate. *Idem de Ecc. dogm. c. 86 t. 3* Idem de Ecclesiasticis dogmatibus: Nullus sanctus & justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *Idem de bo. vid. c. 17 tom. 4* Idem de viduitate: Nostrum est velle: sed voluntas ipsa, & admonetur, ut surgat, & sanatur, ut valeat, & dilatatur, ut capiat, & impletur, ut habeat. *Idem solil. l. 1 c. 10 tom. 1* Idem de soliloquiis: Quanto augetur spes videndæ illius, cui vehementer æstuo, pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluntasque convertitur. *Idem de agone Chr. c. 7 t. 3* Idem de agone Christiano: Omnis creatura velit nolit, uni Deo & Domino suo subjecta est: sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro. Quoniam justus liberaliter servit, injustus autem compeditus servi. *Chr. oper. imp. ho. 39 ante med. tom. 2* Joannes Chrysostomus super Matthæum. Voluntates bonæ sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum apud homines odoriferi flores. *Ibid. ho. 52 post med.* Idem: Sicut peccatum opus sine voluntate non facit, ita & justitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit. Idem Illa est gloriosa. Supra l. 2 de continentia tactus. Idem: Debet voluntas. Supra lib. 2 de gratia. *Sern. trac. de l. arb. ante med.* Bernardus de libero arbitrio: Ordinatio est omnimoda conversio voluntatis ad Deum, & ex tota se, voluntaria devotaque subjectio. Idem in Epist. Regnum Dei intra nos est. Quid est B hoc regnum? sana & libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit quod sciat ei displicere, nihil nolit quod sciat ei placere. *Ans. de simi. c. 158* Anselm. de similitudinibus: Voluntas bona est quæ Dei voluntati subjecta est, quando id vult, quod Deus vult illam velle debere, & justa sive recta dicitur, quando id quod Deus vult illam velle debere amplectitur. *Ibid. c. 159.* Idem: Non semper velle debemus, quod Deus vult, sed hoc velle debemus, quod Deus vult nos velle debere.

CAPUT II.

C

De Tranquilitate.

Greg. reg. l. 6 ind. 1. c. 178 GRegorius in registro, Nullius vos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, & inter accusatores liber est, & liber, vel sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius audit conscientia accusat. *Idem l. 26 Mor. c. 2 cir. med.* Idem in Moralibus: Piorum conscientiæ grande sibi conferri præmium credunt: cum de quibusdam modo suis illicitis actionibus arguuntur. Præponunt enim ante oculos cordis, quia districtum Dei judicium tanto verius tunc super eos mi-

A mitigabitur, quanto nunc acrius homine arguente prævenitur. Augustinus de cathechizandis rudibus: Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ huius molestias suavem gustabis, si ejus, qui eam promisit præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse fructus justitiæ, quam iniquitatis, & verius atque jucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias.

Aug. de Cath. rud. c. 16 t. 4

Idem super Genesim ad litteram: Etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Unde & Ecclesia in sanctis temperanter, & pie & juste viventibus paradisus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum castisque deliciis. Ambrosius: Bene sibi conscius. Supra lib. 2 de constantia. Isidorus de Summo bono: Semper conscientia servi Dei, humilis esse debet & tristis: ut scil. per humilitatem non superbiat, & per humilem mœrorem cor ad lasciviam non dissolvat. Bernardus super Cantica: Sufficit adversum os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Idem; Omnis gloria sanctorum intus non foris est, hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino. Idem de consideratione: Perfecta cuique, & absoluta excusatio est, testimonium conscientiæ suæ. Mihi enim pro minimo est, ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Idem: Magnæ divitiæ bona conscientia. Et re vera quid ditius in rebus, aut quid dulcius, quid in terra quietius, atque securius? Bona conscientia damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quippe quæ & morte ipsa magis erigitur quam deiicitur. Idem: Bona bonæ conscientiæ revirescunt in laboribus, non arescunt, nec in morte evanescunt, sed reflorescunt, lætificant viventem, morientem consolantur, reficiunt mortuum, nec deficiunt in æternum. Seneca in Epistola: Sapiens numquam sine gaudio est, gaudium autem hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia.

Idem de gen. ad lit. l. 12 c. 34 tom. 3

Isid. de sum. bo. l. 3 c. 20 sent. 3

Bern. ser. 24 in Cant. ante med.

Ibid. ser. 25 post me.

Idem de consid. l. 2 ante med.

Sen. ep. 59 prope fi.

Caput III.

De Taciturnitate.

Gregorius in Moralibus: Discrete vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cum restringi debet lingua, per verba se inutiliter solvat: aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigra restringat. Idem: Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus: non jam lucra Dei quærimus, sed nostra. Idem: Proximorum mala. Supra lib. 2 de consensu. Idem: Quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudando cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnia taceamus: ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, & illorum culpa, quæ erat, esse non desinat, & nostra, quæ non erat, fiat. Idem in homiliis: Imitatione Dei, gloriosius est tacendo injuriam fugere, quam respondendo superare. Idem super Ezechielem: Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentii: Et recte per excrescentem quoque gratiam sermonem accipit, qui ordinate antea per humilitatem tacet. Idem: Sicut mali ideo Deum exasperant, quia loquuntur, & faciunt mala: ita nonnumquam boni exasperant, quia reticent bona. Idem in pastorali: Qui C proximi mala respiciunt, & tamen silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, & eo mortis auctores fiunt, quo minus, quem poterant, curare nolunt. Hieronym. in Epistola: Numquam de mulierum formis disputes: nec quid in cujusquam domo agitur, alia domus per te noverit. Augustinus de mendacio: Licet vel disertori ac disputatori, ac prædicatori rerum æternarum, vel narratori atque pronunciatori rerum temporalium ad ædificandam religionem, atque pietatem pertinentium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur, mentiri autem numquam. Idem de baptismo parvulorum. Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scri-

Greg. l. 7 Mor. c. 17 cir. fin.

Ibid. l. 20 c. 17 cir. fi.

Ibid. l. 22 c. 12 paulo post prin. (B)

Idem hb. 18 in Ev. post med.

Idem ho. 11 in Ezec. ante med.

Ibid. ho. 9 longe post med.

Idem past. cu. p. 3 c. 1 adm. 15

Hier. Ep. 2 ad Nep. post med. tom. 1

Aug. de mend. ad Consent. c. 10 tom. 4

Idem de pecc. mer. & rem. & de Bap. par. l. 2 c. 36 tom. 7

scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio: nihil faciens in partem alteram declinando. Idem: Magis innocentis. Supra lib. 3 de remissione. Idem ibidem; Tu vulnus. Isidorus in synonymis: Tempore congruo loquere, tempore congruo tace, non loquaris nisi interrogatus fueris, non dicas priusquam audias. Idem: Ab otioso sermone compesce linguam, cave fabulas ineptas, aniles fabulas non requiras, inania verba non garrias. Idem: Vis virtutes tuas augere, prodere noli. Idem: Fuge videri, quod esse meruisti: quod manifestando potes amittere, tacendo custodi. Ambrosius super lucam: Rarior tacendi virtus, quam loquendi. Idem: de officiis: Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo, ideoque tacere nosse, quam loqui difficilius est. Idem: Quando nobis aliquis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Bern. de consideratione: Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frænanda lingua præceps, maxime autem in convivio. Idem: Nemo fratres. Infra de correptione. Glossa in Leviticum: Quod gula peccavit, jejunium corrigat: quod garrulitas admisit silentium deleat, & similiter contrariis curentur contraria.

Isid. in syn. c. 9

Ibid. paulo ante.

Ibid. c. 10 Ibid. post pauca.

Amb. in Luc. l. 9 c. 19 tom. 3 Idem offi. l. 1 cap. 2 tom. 4

Ibid. c. 5. Bern. de consid. l. 4 vers. fin.

Glos. Lev. 25

Caput IV.

De Exercitio.

GRegorius in registro: Apud Dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Idem: Qui ecclesiasticis famulantur obsequiis, ecclesiastica, ut possibilitas exigit, debent adipisci subsidia. Idem: Justitiam, quam mente geritis, oportet coram hominibus luce operum demonstretis. Idem in Moralibus. Cum opus crescit, præmii fiducia proficit, cum vero opus torpuerit, spes a remuneratione lassescit. Idem: Iste in hac vita justorum

Greg. l. 4 ind. 3 c. 70 in prin.

Ibid. li. 1 ind. 9 c. 46 in prin. Idem l. 8 Mor. c. 3 cir. fin.

Ibid. l. 11 cap. 21

A labor est, ut semetipsos inveniant; invenientes flendo atque corrigendo ad meliora perducant. Idem: Sicut malis securitas præsens labor est, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. Idem: Sancti viri minime exultant, cum cognoscunt, quæ faciant, sed cum faciunt, quæ cognoverunt, etsi intelligendo congaudent muneri largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis. Idem super Ezechielem: Activa vita est panem esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, & commissi nobis qualiter subsistere valeant, dispensare. Idem: Considerandum nobis est opus nostrum quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione. Idem: Quid jam de scriptura sacra didiceris, & quantum proximum tacitus ames, in latitudine boni operis ostendes. Idem in Dialogis: Opus ex dono est, non donum ex opere. Omne quippe opus dona præveniunt, quamvis ex subsequenti opere, ipsa etiam dona succrescunt. Isidorus in synon. Præcave otium, non diligas otium, non ducas vitam in otio: fatiga corpus laboribus, exerce operis cujuslibet studium. Idem: Gravius libido urit, quem otiosum invenerit. Cedit autem libido rebus, cedit operi, cedit industriæ & labori. Idem de Summo bono: Nihil juvat, quod inter bonum & malum sensu prudentiore discernimus, nisi opere, aut male cogitata caveamus, aut bona inchoata faciamus. Idem: Dei servum sine intermissione legere, orare, & operari oportet: ne forte mentem otio deditam, spiritus fornicationis surripiat. Cedit enim labori voluptas, animum autem vacantem cito præoccupat. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Qui habent spiritum Dei, non sunt contenti sedere otiosi: sed ipse spiritus, qui est in eis, urget eos aliquod bonum apprehendere. Idem de compunctione: Merces major tibi augetur, quando non spe mercedis, operaris, sed studio placendi. Augustinus in sermone: Noli esse

Ibid. l. 10 c. 12 post med.

Ibid. l. 22 c. 3 post med.

Idem in Ezech. ho. 14 cir. med.

B Ibid. ho. 20 longe post med.

Ibid. ho. 17 ante med.

Idem l. 1 Dial. c. 4 ante med.

Isi. in syn. cap. 5

Ibid. paulo ante.

C Idem de sum. bo. l. 2 c. 25 sent. 10

Ibid. l. 3 c. 20 sen. 5

Chr. op. imp. ho. 5 ante med. tom. 2 Idem de comp. l. 1 post med. tom. 5 Aug. ser. 245 de tem. ante med. tom. 10

esse piger in opere, cujus mercedem desideras, si quem & tu ipse mercenarium conduxisses, non ante mercedem numerares, quam in opere exerceres. Idem de baptismo parvurum: Propter hoc de paradiso emissus Adam contra Eden habitavit, id est contra sedem deliciarum, ut significaret, quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarii, erudienda est caro peccati. Idem de opere monachorum: Nullo modo decet, ut in ea vita ubi Senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; & quo veniunt relictis deliciis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. Idem in glossa super 1 Tim. 5. Qui ad pedes fratrum inclinatur, in corde, vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Idem: Vis desideriorum. Infra in c. de desiderio. Bernardus de consideratione: Si labor terret, merces invitet: unusquisque enim secundum suum laborem mercedem accipiet. Idem in Epistola; Non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona, malave cognoscitur: denique a fructibus eorum cognoscetis eos: opera ergo, & non verba discernunt inter filios Dei, & filios diffidentiæ. Idem de amore Dei: Quamvis adhuc non videat oculus, non cesset operari manus: ut qui proficere vult in magno, fidelis sit in minimo: & in eo, quod ex conditoris largitate jam prærogatum habet, vis potestatis officium exhibeat bonæ voluntatis. Idem: Miserere animæ. Supra lib. 2 de contritione. Seneca in Epistola: Satis multum temporis sparsimus, incipiamus vasa in senectute colligere: in freto viximus, moriamur in portu.

Idem de pec. merit. & remiss. & de bap. parv. l. 2 cap. 34 tom. 7

Idem de op. mon. c. 25 in fin. tom. 3

Ber. li. 2 de consid. ante med.

Idem Ep. 107 circ. prin.

Sen. ep. 19 cir. prin.

Caput V.

De Innocentia.

GRegorius in Moralibus: Plerumque res quælibet innocenti mente conspicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim David riæ conjugem ideo studiose respexit, quia concupiverat: sed ideo potius concupivit, quia incaute respexit. Idem: Nil simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Idem: Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum. Idem: Si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt quandoque roborantur. Idem in registro: Sicut multorum jam experimento didicimus, in damno expenditur, quidquid cum peccato congregatur. Si igitur vultis nihil injuste perdere, summopere studete de injustitia nihil habere. In terrenis enim rebus, semper causa damni est origo peccati. Idem: Vosmetipsos ita ante conspectum omnipotentis Domini, in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in vestra actione nequeat, quod ab eodem Deo judice percuti, vel homine insidiante valeat accusari. Idem in pastorali: Fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. Ambrosius de officiis: Hoc est innocentem esse, ignorare quod noceat, etsi circumscribitur ab aliquo de omnibus, tamen bene judicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Idem: Beatam vitam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Idem de pœnitentia: Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. Hieronymus in epistola: Malitiam, odium, atque invidiam, quæ vel maxima, vel sola semina sunt nocendi, Christiana a se anima propellat: neque manu tantum aut lingua, sed corde quoque custodiat innocentiam. Idem: Tum demum lætare de innocentiæ conscientia; si cum potest adjuvare, non desistas. Joannes Chrysostomus in sermone: Gaude innocentia & exulta; gaude inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Augustinus super Psalmos. Duobus modis nocet homo, si facit miserum, vel si deserit miserum. Innocens vero est, qui nec sibi, nec aliis nocet.

Greg. l. 21 Mor. c. 6

Ibid. l. 11 c. 21 in pr.

Ibid. l. 10 c. 15 in fi.

Ibid. l. 5 c. 31 post med.

Idem reg. l. 9 ind. 4 cap. 57

Ibid. l. 11 ind. 6 c. 20

Amb. off. l. 2 c. 1 t. 4.

Idem de pænit. li. 2 c. 10 t. 4

Hier. ep. 14 ad Celant. ante med. t. 1.

Ibid. post pauca.

Aug. enar. in Ps. 100 ante med. tom. 8

Idem de civ. Dei, l. 8 c. 25 t. 5 Idem de civitate Dei: Absit a mente Christiana, quæ in Deo suo spe posita, cujus adjutorio innititur, ut mens talis cujuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentia, vel inobedientia, quæ in membris habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi sua lege movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? *Ibid. l. 19 cap. 16* Idem: Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum: ut aut ipse, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Idem: Sicut non est beneficentiæ. Supra de remissione. Idem ibidem: Magis innocentes. *Idem de vita Chr. c. 10 post med. tom. 9* Idem de vita Christiana: Nihil Deo dignius, nihil charius esse potest, quam ut innocentia tota observatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus devotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur. *Cassiod. de ani. c. 18 circ. prin.* Cassiodorus in libro de anima: Vir fixus, purus, innocuus omnes laudat, se semper accusat: ut complaceat universis, sibi soli displicet. *Bern. de consid. l. 2 post med.* Bernardus de consideratione: Non eris innocens, si aut punias eum, cui fortasse parcendum esset: aut parcas ei, qui fuerat puniendus. *Ans. de sim. c. 190* Anselmus de similitudinibus. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni eorum haberem immergi, prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus a peccato, & innocens, gehennam intrare, quam sorde pollutus cœlorum regna tenere: cum constet, solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœlesti beatitudine foveri.

Caput VI.

De Excusatione.

Greg. l. 17 Mor. c. 17 Gregorius in Moralibus; Justus etsi quid umquam delinquendo loquitur, tamen dignum non est, ut ab injustis, & prave viventibus judicetur. Idem; Cum quoslibet. Supra lib. 1 de pauperibus. *Aug. Ep. 48 ad Vinc. longissime ante med. tom. 2* Augustinus in Epistola: Discamus in similitudine operum discernere animos operantium, ne clausis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accusemus. *Idem de ser. Do. in mon. l. 2 c. 28 tom. 4* Idem in sermone Domini in monte; Ea facta, quæ, dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur. *Ibid.* Idem: Non reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant, neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. *Bern. in cant. ser. 40 prope fin.* Bernardus super Cantica; Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum; magis autem excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud teipsum: Vehemens fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? *Ibid. ser. 12 post med.* Idem; Si is qui de claustro est, eum qui versatur in populo interdum minus discrete sese agere deprehendat, verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in judicio non ad judicandum confestim prosiliat, sed mimimerit scriptum: Melior est iniquitas viri, quam *benefaciens* mulier. Nam tu quidem in tua custodia vigilans benefacis, sed qui juvat multos, & melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inæqualitate vitæ & conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. *Sen. ep. 81 post med.* Seneca in Epistola: Sapiens non vertit omnia in pejus, sed nec quærit, cui imputet casum: & peccata ad fortunam potius refert; non calumniatur, nec verba, nec vultus: quidquid accidit, benigne interpretando levat. *Ibid. post pauca.* Idem: Semper quidquid dubium est, humanitas inclinet in melius.

CA-

Caput VII.

De Discussione.

Greg. li. 11 Moral. cap. 18

GRegorius in Moralibus: Justi viri, cum districtionem venturi judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt: deflent, quæ commiserunt: districte se judicant, ne judicentur. Idem: Dominum tanto quis securius expectat, quanto quotidie viam suam suspectus examinat. Idem: Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid se impugnat enumerant: ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant: ibi quidquid per iram districti judicis discerni possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent, nec deest in hoc judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Idem: Qui semetipsum prius non judicat, quid in alio recte judicet, ignorat. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Augustinus de vera religione: Spiritualis homo omnia judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est; cum illo est autem, quando purissime intelligit, & tota charitate, quod intelligit, diligit. Idem: Non facile. Supra libro 1. de judicibus. Idem de verbis Domini: Nihil est, quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat, se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat, & se inveniat: quod displicet, necet, & quod placet, optet & plantet. Bernardus super Cantica: Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse a nemine judicatur: judicabo proinde mala, judicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis, ceterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me sentiam humiliter, & juxta præceptum Domini, servum me inutilem reputabo. Idem: Babyloniorum manifesta sunt peccata præcedentia judicium, & non egent scrutinio sed supplicio: mea autem, qui videor monachus & hierosolymita peccata certe occulta sunt, nomine & habitu monachali obumbrata & idcirco necesse erit, subtili ea investigari discussione. Multa supra libro 2. de prudentia, de intelligentia. Seneca in Epistola. Quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima. Assuesce & dicere verum, & audire. Idem: Clamo mecum ipse: Numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueras puer. Hoc denique tibi citra mortis diem præsta: moriantur ante te vitia.

Ibid. li. 25 cap. 5 — *Ibid. ca. 6* — *Ibid. li. 14 cap. 13 circa med.* — *Chrys. ho. 2 in Psal. 50 ante med. tom. 1* — *August. de ver. relig. cap. 31 post med. tom. 1* — *Bernar. in Can. ser. 55 post med.* — *Ibid. paulo ante.* — *Sen. ep. 68 ante med.* — *Idem ep. 27 ante med.*

Caput VIII.

De Mortificatione.

GRegorius in Moralibus: Tanto mens melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. Idem in homiliis: Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehendere, quod supra ipsum est, qui nescit mactare, quod est. Augustinus in regula; Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Idem de viduitate; Facilius concupiscentia refrenatur, quæ nulla expectatione succenditur. Idem de singularitate clericorum: Amputanda sunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis, sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat; ne vel tenuis quidem scintilla servata, majora conflet incendia. Isidorus de Summo bono: Mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Christo. Nam tunc quisque vivere dicitur, si secundum sæculum moriens, in solo Deo vivere delectetur. Cassiodorus de anima; Væ carni quæ

Greg. li. 31 Mor. c. 15 ante med. — *Idem ho. 32 in Evang. ante med.* — *Aug. reg. 3 cap. 11 & 12 tom. 1* — *Idem de bon. vid. cap. 20 in fin. tom. 4* — *Apud Cyp. de sing. cler. ca. 21 post med. tom. 3* — *Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 69 sent. 6.* — *Cassiod. de anim. c. 18*

quæ hic superata non fuerit. Nam quæ in hac conversatione vincitur, illic sine dubio coronabitur. Bernardus in Epistola: Durius tractandum quidem est corpus ne rebellet, ne insolescat; sic tamen ut servire sufficiat, quia ad serviendum spiritui datum est: nec sic habendum est, tamquam propter illud vivamus, sed tamquam sine quo vivere non possumus. Seneca in epistola: Vetas me cœlo interesse, id est, jubes me vivere capite demisso? Major sum & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis: quod quidem non aliter aspicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Idem: Contemptus sui corporis, certa libertas est. Idem: Honestum ei vile est, cui corpus nimis clarum est, agatur ejus diligentissime cura, ita tamen ut cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum sit in ignes. Idem: Hanc sanam & salubrem formam vitæ tenere, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est; durius etiam tractandum est, ne animo male pareat.

Ber. Ep. de vita solit. ante med.

Sen. ep. 65 post med.

Ibid. post pauca. Idem ep. 14.

Caput IX.

De Disciplina.

GRegorius in registro: Cum sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, & excessus culparum salubriter resecare, studiose ejus servanda censura est. Nam si negligitur, cuncta in confusionem deveniunt, dum unus destruit, quidquid eam custodiendo alter ædificat. Idem: Sic ut nos. Supra libro 1. de prælatis bonis. Idem in Moralibus: Sancti viri cum hujus mundi potestate fulciuntur, tanto sub majorem mentis disciplinam se redigunt, quanto sibi per impatientiam potestatis suaderi illicita, quasi licentius sciunt. Idem: Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & a licitis caute restringit. Idem: Intentioni animæ si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per pro- A fectum potest, quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. Idem: Mens mutabilitatis suæ pondere, ad aliud semper impellitur, quam est, & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Idem: Sancti viri. Supra libro 2. de continentia visus. Idem: Tanto apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. Disciplina autem nostra, subditos divino judicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sua vindicta non deserit. Idem: Peccata quæ feriri. Supra libro 2. de donis. Ambrosius in Epistola; Non natura servum facit, sed insipientia; B nec manumissio liberum, sed disciplina. Idem: Si quæris vitam sapientiæ & disciplinæ, colere Deum, atque ei subditum esse sapientia est; abstinere autem a peccato, disciplina est. Idem de viduitate: Prima institutionis est disciplina, culpam avertere; & secunda, virtutem infundere. Cyprianus de duodecim abusionibus; Disciplina est ordinata morum correctio, & majorum præcedentium regularis observatio. Bernardus in epistola; O quam compositum reddit omnem puellaris corporis statum, nec non mentis habitum disciplina! cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur lin- C guam, frenat gulam, sedat iram, format incessum. Talibus decet pudicitiæ vestem distingui margaritis. Idem: Non oportet. Supra de providentia libro 2.

Greg. reg. li. 7 ind. 2 cap. 36. in princ.

Idem lib. 5 Mor. ca. 8 non longe a princ.

Ibidem.

Ibid. li. 30 cap. 9 post med.

Ibid. li. 11 cap. 26 post med.

Ibid. li. 26 cap. 19 post med.

Ambr. tr. in Ps. 104 ad Simp. ante med. Idem Epi. li. 3 Ep. 20 circa med. tom. 5

Idem li. de viduis, multo ante med. to. 4

Cyp. de 12 abus. c. 11 tom. 3

Bern. epi. 107 ad Sophi. Virg. post med.

Caput X.

De Cruce spirituali.

GRegorius in homiliis; Crux a cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Idem in Moralibus: Quia Paulus nec mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, & se mundo, & mundum sibi, crucifixum esse

Greg. ho. 37 in Evang. ante med.

Idem lib. 5 Mor. ca. 2 circa fin.

Ibid. lib. 8 cap. 26 post med.

esse gloriabatur. Idem: Cum vitiis & concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat: crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit. Augustinus in glossa. Gal. 5: super illud: Qui Christi sunt. Congruit nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus. Idem in sermonibus: Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux atque martyrium est. Hieronymus: Licet sparso crine. Supra libro 3. de propinquitate. Ambrosius super Lucam: Non amanti divitias, non amanti honores, non amanti quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur, non cupido vitæ, sed ei, qui festinat dissolvi, & cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, & sequi Christum, ut & nos commoriamur, & sepeliamur cum eo. Isidorus de Summo bono: Qui crucem portat, debet & mundo mori, nam ferre crucem, mortificare seipsum est: ferre & non mori, simulatio hypocritarum est. Bernardus de floribus: Mira res, nihil formidolosius homini, quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt. Si latrones non essent, crucem non timerent. Idem: Circumire possum, Domine, cælum & terram, & mare, & aridam, & nusquam te inveniam nisi tantum in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit, quicumque te invenit. In hac cruce anima suspenditur a terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit. Idem in apologia: Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyreneus alienam. Væ citharœdis citharizantibus, non ut illi de Apocal. in citharis suis, sed vere ut hypocritæ in alienis. Idem: Væ semel & væ iterum pauperibus, væ, inquam, semel, & væ iterum portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum: quia nimirum cujus passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conterentur, qui hujusmodi sunt, cum & hic pro temporali gloria se affligant, & in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahentur. Idem in sermonibus: Neminem audiamus, fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum a cruce suadentem: persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra levitate.

Amb. in Luc. li. 6 ca. 8 to. 3

Ber. Apol. ad Gul. abb. non longe a princ.

Ibidem conseq.

Idem ser. 3 in sancto die Paschæ, ante med.

Caput XI.

De Certamine.

Gregorius in dialogis: Sine laboris certamine, non est palma victoriæ. Idem: Nonnumquam Dominus eis etiam, quibus magna dona tribuit, parva quædam reprehensibilia relinquit, ut semper habeant, contra quod bella gerant: & devictis magnis hostibus, mentem non erigant, quando eos adhuc adversarii etiam minimi fatigant. Idem: Vos qui viam. Infra de religione. Idem in Moralibus: Semper est ad certamen adversarii erigendus animus, semper contra occultas insidias cautela providenda. Idem: Scio quia per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis, commissa peccata prodere, quam non admissa vitare, & unumquodque malum, quamvis robustus videtur, tamen humilius proditur. Idem: Labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. Idem: Minor est. Supra libro 2. de clementia. Idem: In iniquitate concepti, & in delicto editi, per insitæ corruptionis molestias, pugnam nobiscum huc deferimus, quam cum labore vincamus. Idem: Excitatur hostis in provocationem certaminis, cum jus amiserit perversæ damnationis. Augustinus in Epist. Non debet cum præliatur infringi, qui vult post prælium coronari, vires illo subministrante certantibus, qui

Greg. lib. 3 Dial. c. 19

Ibid. ca. 14 post med.

Idem li. 20 Mor. ca. 5 non longe a princ.

Ibid. li. 22 cap. 10 circa med.

Ibid. li. 26 cap. 15

Ibid. li. 18 ca. 9 longe post med.

Aug. epi. 133 ad Italic. circa fin. to. 2

qui præparat ineffabilia dona victoribus. **A** Idem: Contra istam genitalium. Supra libro 3. de consuetudine. Idem de verbis Domini: Ecce baptizati sunt, omnes justificati sunt a peccatis: restat tamen lucta, cum carne, cum mundo, & cum Diabolo. Qui autem luctatur aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando perimitur. *Chryſ. de comp. cord. lib. 2 ante med. to. 5* Joannes Chrysostomus de compunctione: Nostri agonis tempus, in quo adscripti videmur, pro risu pœnam habet, laudem vero pro luctu, & pro tribulationibus salutem confert. Idem super Matth. Incipe resistere desideriis tuis, & tunc intelliges, quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Hæc est pugna periculosa, & hæc est gloriosa victoria: qui potuerit odisse quod amat, & amare quod odit. *Amb. in Luc. lib. 4 ca. 4 to. 3* Ambrosius super Lucam: Corona proposita est, subeunda certamina sunt. Nemo potest nisi vicerit coronari: nemo potest vincere nisi ante certaverit, ipsius quoque coronæ major est fructus, ubi major est labor. Leo Papa in sermone: Vim sibi factura est anima, ut palmam laborum, quam sibi subtrahi multis inimicis adversantibus sentit, viribus contendat eripere. *Iſidor. de ſum. bon. lib. 2 ca. 39 ſent. 25* Isidorus de Summo bono: Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt: eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt laboriosa certamina. *Hieron. Ep. 22 ad Euſt. to. 1* Hieronymus in Epistola: Quis sanctorum, sine certamine coronatus est? Solus in deliciis Salomon fuit, & ideo forsitan corruit. *Bern. in Cant. ſer. 58 poſt med.* Bernardus super Cantica: Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis intra fines tuos habitat Jebusæus, subiugari potest, non exterminari. Idem: Solet inter primordia, Supra libro 1. de incipientibus.

Caput XII.

De Humilitate.

Gregorius in Moralibus: Magna, quæ agimus, quasi minima ducimus, cum fortiorum exempla pensamus. *Greg. li 30 Mor. ca. 9 ante med.* Sed tunc apud Deum crescunt per meritum, cum apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt. Idem: Quia prima stultitia Angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis. *Ibid. li. 28 cap. 8* Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo seipsum nescit. Idem: Electi ne invite curventur in morte, sponte curvantur in humilitate. *Ibid. li. 25 ca. 2 circa med.* Idem super Ezech. **B** Ad hoc nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus, humilitatem. *Idem ho. 12 in Ezech. ante med.* Idem in homiliis: Miranda actio cum elatione non elevat, sed gravat. *Idem ho. 7 in Evang. circa fin.* Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in vento pulverem portat, & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. Idem in dialogis: Mens, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissime signa sua, virtutes scilicet & humilitatem quæ si utraque in una mente perfecte conveniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt. *Idem lib. 1 Dial. ca. 1* Idem: Qualis quisque. Infra de lætitia. Idem in registro: Non grande est, *his non esse humiles*, **C** a quibus honoramur, quia & hoc sæculares quilibet faciunt; sed his maxime esse humiles debemus, a quibus aliqua patimur. *Idem reg. li. 2 indic. 10 cap. 24* Nam Psalmista dicit: Vide humilitatem meam de inimicis meis. Idem: Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum, & solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti judicis, meæ maculas mentis tergo. *Ibid. ca. 37 circa med.* Idem: Nolo, dum in hac carne sum, si qua me dixisse contigerit, ea facile hominibus innotesci. *Ibid. li. 10 ind. 5 c. 22 ultra med.* Idem: Omnes fratres sumus, Imperatoris potestate conditi, & sanguine redempti, & idcirco fratres nostros quoslibet pauperes, & abiectos in nullo despicere debemus. *Ibid. lib. 9 ind. 4 c. 39 ante med.* Hier. in originali super Isaiam: Non statim multitudini acquiescamus judi-

di-

dicio, sed electi in principatum, noverimus mensuram nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus superbis resistit, humilibus dat gratiam. *[August. de Virg. sanc. ca. 52 to. 6]* Augustin. de virginitate: Humiliter ad humilem venite si amatis, & ne discedatis ab illo ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat & dicit: Non veniat mihi pes superbiæ. *[Ibidem conseq.]* Idem: Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis: ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes. *[Ibid. post pauca.]* Idem: Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. *[Idem de civ. Dei, lib. 5 ca. 20 tom. 5]* Idem de civitate Dei: Qui vera pietate in Deum, quem diligit, credit, & sperat plus intendit in ea, in quibus sibi displicet, quam in ea, si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi, quam veritati placent. Neque id tribuit, unde jam placere potest, nisi ejus misericordiæ, cui metuit displicere, de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens. *[Idem de confl. vitio. & virt. ca. 2 in fin. to. 9]* Idem de conflictu: Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si ergo tanta humilitate se deprimit divina majestas, superbire in aliquo audet aut debet humana infirmitas? Idem in Epist. Absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero te docente instructus, aut emendante correctus. *[Idem de Tri. lib. 2 non longe a prin. to. 3]* Idem de Trinitate: Magis optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari. Isidorus de Summo bono: Superflua est humilitas eorum, qui se gessisse accusant, quod non admiserunt: qui vero sine arrogantia bona facta sua pronuntiant, proculdubio nequaquam peccant. *[Isidor. in syn. ca. 6 ante med.]* Idem in synonym. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim extollitur, humiliatur: qui exaltatur, deiicitur: qui elevatur, prosternitur: qui inflatur, alliditur. *[Ibidem post pauca.]* Idem: Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior: quanto fueris ante oculos tuos despectior. *[Chrys. ep. 6 ad Theod. monach. ante med. tom. 5]* Joannes Chrysostomus in epist. Humilitas non tantum illa laudatur, quæ de conscientia peccatorum evenit: sed & illa, quæ ex virtute descendit, Deo chara est. Et quia in ea requiescit Dominus, ideo omnibus dominatur. *[Idem in Mat. ho. 66 post med. tom. 2]* Idem super Matth. Humilis a nulla capitur passione: non ira hunc molestare potest, non gloriæ cupido, non æmulatio, non zelotypia. *[Idem de comp. li. 2 circa med. tom. 5]* Idem de compunctione: Hoc vere magnum & mirabile est, quia is, qui vere magnus est, nihil de se magni sentit, aut loquitur, sed omnium se ultimum judicat, & saltem de sola misericordia Dei sperat. *[Cass. de ani. ca. 19 post med.]* Cassiodorus de anima: Ad te Domine sancte nemo se erigendo pervenit, sed potius humiliatus ascendit: cum altissimus sis: proximior redderis supplicatione curvatis. *[Bern. in Cant. ser. 34 ante med.]* Bernardus super Cantica: Oportet humiliter sentire de se, nitentem ad altiora: ne dum supra se attollitur, cadat. *[Ibid. ser. 37 vers. fin.]* Idem: In anima non est plane timenda quantalibet humiliatio: horrenda autem, nimiumque pavenda, vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. *[Ibid. ser. 16 post med.]* Idem: Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo plane superbus, quod laudes contemnit. *[Idem ep. 42 ad Her. Senon. Archiep. ante med.]* Idem in epist. Ut castitas sive charitas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam: servat acceptas, quia non requiescit spiritus, nisi super quietum & humilem: & servatas consummat, nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate, perficitur: & inimicam gratiæ, omnisque initium peccati debellat superbiam. *[Idem ep. 87 ad Oge. post med.]* Idem: Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientiæ ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam, si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. *[Ibid. ep. 42 cit. post med.]* Idem: Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet divinitas. Denique ipsa se induit, ut appareret hominibus, substantiam, formam, habitumque gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excel-

cellentiam, quam speciali sui voluit honorare præsentia. Idem: Sapientis est consilium: Quanto major es, humilia te in omnibus: Sapientiæ vero præceptum: Qui major est vestrum, fiet sicut minor. Idem de duodecim gradibus: Humilitatis talis potest esse diffinitio: Humilitas est virtus, quas homo vera cognitione sui ipse sibi vilescit. Idem: Humilitatis primus gradus est, corde, & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Secundus, ut pauca, & rationabilia verba loquatur, non clamosa voce. Tertius, ut non sit facilis, aut promptus in risu. Quartus taciturnitas usque ad interrogationem. Quintus, tenere quod communis habet monasterii regula. Sextus credere, & pronuntiare se omnibus viliorem. Septimus, ad omnia indignum, & inutilem se confiteri, & credere. Octavus confessio peccatorum. Nonus pro obedientia in duris, & asperis patientiam amplecti. Decimus ut omni obedientia subdat se majori. Undecimus, ut voluntatem propriam non delectetur implere. Duodecimus, ut eum timeat, & memor sit omnium, quæ præcepit. Anselmus de similitudinibus: Primus gradus humilitatis est, quandoque cognoscere contemptibilem se esse. Et quia sunt quidam, qui contemptibiles se esse cognoscunt, sed inde non dolent: secundus est dolere contemptibilem se esse. Quia vero sunt alii, qui se contemptibiles docent, sed confiteri nolunt: tertius est confiteri se contemptibilem esse. At vero, quia rursus sunt alii, qui se contemptibiles confitentur, sed nolunt, ut ita credatur: quartus est, persuadere contemptibilem se esse. Sed quia quidam contemptibiles quidem volunt credi, sed hoc sibi nolunt dici: quintus est patienter pati, ut contemptibilis dicatur. Sed quia quidam patiuntur, ut contemptibiles dicantur, sed tamen pati nolunt, ut contemptibiliter tractentur: sextus est pati, ut contemptibiliter tractetur. Sed quoniam & hoc quidam inviti patiuntur: septimus est amare, ut contemptibiliter tractetur, ubi postquam

Idem multo post. *Idem de 12 grad. hum. non longe a princ.* *Apud Bene. in reg. ca. 7.* *Ansel. de simil. c. 10. & seq.*

A quis ascenderit, clara est in luce, id est in perfecta sui cognitione. Idem: Alterius virtutem. Infra de ascensione. Glossa in Matth. Perfecta humilitas habet tres gradus. Primus est subdere se majori, & non præferre se æquali; hic vocatur sufficiens, quia sufficit aliquem sic humiliari, & iste gradus omni justo est necessarius. Secundus gradus est subdere se æquali, nec præferre se minori; hic dicitur abundans. Tertius est subesse minori, in quo est omnis justitia.

Gl. Ma. 3

CAPUT XIII.

De Simplicitate:

B GRegorius in homiliis: Si abjectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter de Joanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum. Augustin. in regula: Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Idem: In incessu. Supra libro 2. de modestia. Idem super Matth. Resistit Deus superbis, & calamistratis, & pannosis, humilibus dat gratiam. Idem in Epist. Verus ornatus maxime Christianorum, & Christianarum non tantum fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. Idem: Auri circumpositio, & intorsio crinium, & cet. hujusmodi, quæ vel C ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, merito reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salva religionis observantia convenire. *Et infra;* Quid enim est absurdius, quam mulierem de humili veste, viro prohibente, superbire? cui te potius expediret obtemperare, candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare: Idem de viduitate; Interiore pulchritudine Christo placete: hanc pulchritudinem studiosa cura & solicita cogitatione componite. Non amat ille fallaciarum fucos, veris veritas delectatur, & ille, si quod legisti, agnoscis, veritas vocatur. Ambrosius de

Greg. ho. 40. in Evang. ante med. *Aug. reg. 3 ca. 18 to. 1.* *Idem ep. 61 ad Possid. circa med. tom. 2* *Idem epist. 199 post med. to. 2.* *Idem de bon. vid. cap. 19 ante med. tom. 4* *Amb. off lib 1 ca. 19 tom. 4.*

de officiis: Non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, sed simplex, neglectus magis, quam expeditus, non pretiosis, & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus, ut honestati, vel utilitati nihil desit, nihil accedat nitori. Idem: Qui vult audiri, inclinare se debet amota pompa, ut misericordiam Domini provocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se credi facit. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Omne vestimentum ad tres pertinet causas, aut ad speciem visionis, seu ad vanam gloriam: aut ad delectationem corporis: aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum, servis Dei non convenit: similiter ad delectamentum corporis, Deo servientibus non est aptum: sed quod tantum ad tegumentum nuditatis. Hieronymus in Epistola: Sordes vestium candidæ mentis indicia sunt: vilis tunica contemptum sæculi probat, ita dumtaxat, ut animus non tumeat, nec habitus sermoque dissentiat. Bernardus in epistola: Pauperior cultus in aliis frænat concupiscentiam, in aliis circa amorem paupertatis afficit conscientiam. Idem: Si dederit, inquit Jacob, mihi Dominus panem ad manducandum, & vestimentum, quo operiar. Nota, quo operiar. Sic ergo & nos contenti simus, vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis similari, vel placere studeamus. Idem super Cantica: Simplicitas candor est. Probamus a contrario: Nam nævus duplicitas. Parum dixi, macula est.

Idem in epist. 1 ad Tit. ca. 2 post med. tom. 3

Chrys. ope. imp. ho. 3 ante med. tom. 2

Hier. ep. 4 ad Rust. monach. ante med. tom. 1

Bern. ep. de vi. solit. paulo post med.

Idem ep. 2 ad Ful. vers. fin.

Idem ser. 71 in Can. ante med.

Caput XIV.

De Verecundia.

Gregorius in Moralibus: Sæpe cum nos a sancti desiderii exercitatione torpescere, superna pietas cernit, exempla se sequentium nostris obtutibus obiicit, ut mens per otium remissa, quo in aliis vigilantiam profectus considerat, eo in se pigritudinem torporis erubescat. Idem: Nonnumquam quidam in Dei servitio ex ante acta acrius debilitate roborantur, eosque ad custodienda mandata, & futurorum trahit, desiderium & impellit memoria præteritorum: ut hinc ad ventura amor provocet, illinc de præteritis verecundia instiget. Idem: Boni eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suæ. Idem: Facile culpa corrigitur, qua erubescitur. Idem: Cunctos vitia ad ima pertrahunt: sed tamen quidam eo ab his facilius redeunt, quo se in eis corruisse altius erubescunt. Idem: Qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est, ut instruere spiritualiter proximorum mentes erubescat. Idem super Ezech. Erubescere malum, sapientiæ est: bonum vero erubescere, fatuitas. Idem: Qui erubescit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit. Ambrosius in sermonibus: Solet citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni ergo culpa ante flendum est, quam precandum. Idem: Pulchra virtus. Supra libro 1. de juvenibus. Idem de officiis: In ipso genere canendi, prima disciplina verecundia est, immo etiam in omni usu loquendi, ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum. Idem: Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia: habitus enim mentis in corporis statu decernitur. Isidorus: Peccati pudore. Supra libro 2. de continentia visus. Idem: Quisquis peccatorum. Supra libro 2. de memoria. Augustinus de vita & moribus clericorum: Fateor vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem. Idem: Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in spe veniæ, turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Hieronymus in Epistola: Ornet prudentiam verecundia, & quod præcipuum in fœminis semper fuit, cunctas in te virtutes pudor superet. Idem: Omnino pudor.

Greg. li. 9 Mor. ca. 34 in fin.

Ibid. lib. 28 cap. 15

Ibidem.

Ibid. li. 32 ca. 17 longe post med.

Ibid. li. 5 ca. 7 circa fin.

Ibid. li. 7 cap. 16

Idem in Ezech. homil. 10 ante med.

Ibidem.

Ambr. ser. 48 de tem. post med. tom 5

Idem. off. lib. 1 c. 18 circa prin. tom. 4

Ibid. post multa.

Aug. ser. 58 ad frat. in Eremo de com. vi. cler. post med. to. 10

Idem de ve. & fal. penit. c. 1. circa med. tom. 4

Hier. ep. 14 ad Celan. circa med. tom. 1

Ber. epist. 201 ad Balduin. abb. ante med. dor. Infra de connexione. Bernardus in epistola: Nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem laudabilis. Idem super Cantica: *Idem ser. 86 in Can. ante med.* Verecundia specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honestatis. *Ibid. ser. 3 post med.* Idem: Nolo repente fieri summus, paulatim proficere, volo, quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet, citius placas eum, si mensuram tuam servaveris, & altiora te non quæsieris. Idem: Quid amabilius. Supra libro 2. de satisfactione. Idem: Humilis, & verecunda. Supra libro 2. de satisfactione. *Idem ser. 6 in ps. qui habitat, ante med.* Idem in sermonibus: Credo considerantes, quanta sustinuit illa majestas pro inutilibus servis: erubescamus non sustinere, vel parva pro nobis. Glossa in Apocalypsim: Melius est hic erubescere coram paucis, quam in futuro coram omnibus. *Gloss. in Apocal. 3* Glossa: Est quædam. Supra libro 2. de satisfactione.

Caput XV.

De Amicitia.

Greg. li. 7 cap. 10 ante med. Gregorius in Moralibus: Cum quis in prosperitate diligitur incertum est valde, utrum prosperitas, an persona diligatur: amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. *Ibidem.* Idem: Qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur, quod hunc in prosperis non amavit. *Idem li. 3 Dial. ca. 37 paulo post princ.* Idem in Dialogis: Inter amantes se amicos, magnum charitatis familiaritas ausum præbet. *Idem. Past. cap. p. 3 ca. 3 admo. 23 post med.* Idem in pastorali: Ab illo, qui summe rectus est, eo ipso jam discrepat, quo perversorum amicitiis vita nostra concordat. *Idem regi. li. 1 ind. 9 cap. 11* Idem in registro: Amicorum amissio nos tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalis exposcit. *Ibid. lib. 1 ind. 9 ca. 3 post med.* Idem: Ut aliquid sæcularis auctoritatis loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. *Ibid. li. 7 ind. 1 ca. 23* Idem: Nemo potest diligere, quos non vult videre. *Isid. ety. li. 10 verbo Amicus.* Isidorus in etymologiis: Amicus quasi animi, vel amicitiæ custos per derivationem, dictus autem proprie amicus ab hamo, id est a catena charitatis. *Idem de sum. bon. lib. 3 ca 30 sent. 2* Idem de Summo bono: Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat: hi cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eo suspenso dissolvitur. Idem: Sæpe per honores. Supra libro 3. de honore. *Aug. ep. 52 ad Mace. circa prin. tom. 2* Augustin. in Epist. Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis: quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest. *Idem de cathech. rud cap. 4 non longe a prin. to. 4* Idem de cathechizandis rudibus: Nulla est major ad amorem invitatio, quam prævenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere. *Idem solil. 1 ca. 3 to. 1* Idem in soliloquiis: Illam amicitiæ legem justissimam esse arbitror, qua præscribitur, ut non minus, ita nec plus quis amicum, quam seipsum diligat. *Ibid. ca. 2 in fin.* Idem: Tanto magis amo amicos meos, quanto magis bene utuntur anima rationali, vel certe quantum desiderant ea bene uti. *Amb. lib. 3 off. ca. 16 tom. 4* Ambrosius de officiis: Pietatis custos amicitia est, & æqualitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat æqualem, & inferior superiori fidelem. *Ibidem.* Idem: Amicitia nescit superbiam: *Ibidem.* Idem: Virtus est amicitia, non quæstus, non pecunia paratur, sed gratia: non pollicitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. *Chrys. de compun. cor. lib. 1 ante med. tom. 5* Joannes Chrysostomus de compunctione: Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nil facile recipitur, quod dissidium possit operari. *Hier. ep. 33 ad Cast. prope prin. tom. 1* Hieronymus in epistola: In amicis non res quæritur, sed voluntas: quia alterum & ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola charitas tribuit. *Ibi. ep. 103 ad Paulin. in princ. tom. 3* Idem: Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familieris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & divinarum scripturarum studia conciliant. *Idem in Mich. li. 2 ca. 7 to. 5* Idem: In originali super Michæam: Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitatem & divitias sequitur. *Ber. ep. 243 ad Ro. post med.* Bernardus in epistola. Habet vera amicitia nonnumquam obiurgationem, adulationem numquam. *Glossa Eccl. 9* Glossa in Ecclesiasticum: Plena & perfecta amicitia, in-

inter perfectos viros, ejusdemque virtutis perseverare potest, & ad hanc quibusdam gradibus pervenitur. Primus est mundanorum contemptus. Secundus, ne quis se sapientem & consultum judicans, sibi quam amico credere malit. Tertius ut omnia, quæ utilia & necessaria æstimat, bono charitatis & pacis proponat. Quartus ut omnino desinat ab ira. Quintus, ut iram fratris etiam irrationabilem sedare cupiat: quia alterius tristitia perniciosa est, sicut propria, nisi eam quantum in te est, etiam de fratris mente depellas. Postremus gradus est omnium vitiorum peremptorius, ut de hoc mundo credas te quotidie migraturum. Seneca in epistola: Qui utilitatis causa assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis erit. Hac re florentes amicorum turba circumsidet, circa eversos solitudo est, & inde amici fugiunt ubi probantur. Idem: Amicum paro, ut habeam pro quo mori possim: ut habeam quem in exilium sequar: cujus me moriet opponam, & impendam. Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad bonos casus. Idem: Amicos optime res secundæ parant, adversæ certissime probant.

Sen. ep. 9 ante med.

Ibid. post pauca.

Caput XVI.

De Concordia.

Gregorius in registro: Quisquis patris heres esse desiderat, filius existere pacem custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profecto tanti se muneris exortem esse constituit. Idem: Pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas charitate & justitia simul insistente persequimur, cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus. Idem: Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in unius electione cunctorum convenire consensum. Idem: Laudabile & studio est religioso conveniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus transitoriis mansura charitatis semper, lucra mercari. Idem in Moral. Sicut noxium esse

Greg. reg. li. 7 ind. 1 cap. 5

Ibid. li. 4 ind. 13 cap. 80 in med.

Ibid. lib. 4 ind. 13 cap. 59 in princ.

Ibid. lib. 7 ind. ... cap. 27

Idem li. 33 Mor. ca. 23 post med.

A solet, si unitas desit bonis ita perniciosum est, si non desit malis. Perversos quippe unitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. Idem super Ezech. Ita bona facere opera debemus, ut per hæc quoque cum his, cum quibus vivimus, unanimitatem, inquantum recte possumus, conservemus. August. de verbis Domini: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Idem: Pax cunctis est placida, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quæ odisse non novit, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat, qui perdidit repetat, qui amisit, requirat: B quoniam qui in ea non fuerit inventus abdicatur a patre, exheredatur a filio, nihilominus a Spiritu sancto efficitur alienus. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum, nec poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum noluerit observare. Idem de ovibus: Testamentum Dei & hereditas pax est, ut a concordibus consortibus possideatur, non a litigantibus dividatur. Idem de quæstionibus veteris ac novi Testamenti: Qui pacem suscipit Salvatoris, inimicitiam contrahit mundi. Nisi enim discordaverit a Diabolo, pacem non habebit cum Christo. Idem De civitate Dei: Tantum est pacis bonum, C ut etiam in rebus terrenis atque mortalib. nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. Idem: Pacem constat belli esse optabilem finem. Joannes Chrysostomus de compunctione: Ubi pax est, ibi omnia prosperabuntur, ubi sobrietas lucet, ubi unanimitas abstinentia coronatur. Idem super Joannem: Est & mala concordia; est & bona dissonantia. Ambrosius super Lucam: Fuge contentiones, dissensiones, strepitus, tumultus discordiæ, ne per portas mortis ingressus intereas. Idem: Sed nisi prius tu. Supra libro 2. de beatitudine. Isidorus de Summo bono: Pax plebis sanitas, gloria sacerdotis, & patriæ lætitia, & terror hostium, sive visibilium, sive invisi-

Idem in Ezec. ho. 21 circa med.

August. de ver. Dom. ser. 57 to. 10

Ib. conseq.

Idem de ovi. ca. 13 ante med. tom. 9

Idem q. vet. & no. Test. q. 92 tom. 4

Idem de civ. Dei li. 18 c. 11 in fin. to. 5

Ibid. ca. 12 circa prin.

Chrysost. ho. 56 in Joan. post med. to. 3

Amb. in Luc. lib. 6 ca. 9 to. 3

visibilium. Idem: Pax cum bonis & bellum cum vitiis semper habendum est, mala siquidem hominum impiorum odio habenda. Bernardus super Cantica: Pacem habete, & vos nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque: ne quis forte exacerbatus, & præoccupatus a pusillanimitate spiritus, & tempestate Deum interpellare cogatur, adversus eos qui se læserint, & contristaverint, & prorumpere in verbum grave contingat: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Idem: in sermonibus: Nisi in unitate opus tuum feceris, Deo, qui unus est, acceptus esse non poteris. Scriptum quippe est: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Idem: Est homo pacatus, supra libro 2. de patientia. Idem: Sunt etiam alii qui si viderint. Supra libro 5. de beatitudine.

Bern. in Cant. ser. 29 ante med.

Idem ser. 5 in Assump. Beatæ Mar. post med.

Caput XVII.

De Renuntiatione.

Gregorius in dialogis: Despiciendus a nobis hic mundus foret, etiam si blandiretur, si rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? Idem in homiliis: Fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat, ad hoc germinat, ut quodcumque germinaverit, cladibus consumat. Idem: Si nihil in hoc mundo tam amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. Hieronymus: Licet sparso crine. Supra de propinquitate libro 3. Isidorus in synonymis: Semper interna quiete frueris, si te a strepitu terrenarum actionum subtraxeris. Idem: Nullus sapientiam. Infra de sapientia. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus suos usque ad maturitatem servare, sic difficile est virum fidelem juxta istum mundum viventem, in actibus ejus justitiam immaculatam usque ad finem tenere. Recede de via, & plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo. Idem super Joannem: Qui pecuniarum concupiscentiam deriserunt, hi maxime sunt qui Deum, ut oportet, diligunt. Augustinus in epistola: Vincula hujus mundi, habent asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Idem: Quid prodest acquirere in hoc sæculo quodlibet temporale, & transitorium, sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris & gutturis, sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus, & ventus? Nonne omnia transeunt, & currunt? Et væ his, qui hæserint transeuntibus; quoniam simul transeunt. Idem: Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur. Idem de pœnitentia: In omnibus dolens, aut sua relinquat, aut saltem illa, quæ sine admixtione mali non sunt administrata, ut mercatura, & militia, & alia quæ utentibus sunt nociva, ut administrationes sæcularium potestatum, nisi his utatur ex obedientiæ licentia. Idem Recedat amor. Infra de gloria. Bernardus in epistola: Voci Dei tu dulciori super mel & favum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito, & vacante interno sensu, dicas tu cum Samuele; Loquere Domine, quia audit servus tuus. Idem: Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum, desine jam, & ea sequi, quæ & consequi miserum est. Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Idem: Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa suppellex, insulæque dignitatum, adde & sapientiam mundi, de mundo sunt hæc, & mundus quod suum est, diligit. Sed quousque? Non solum enim non semper, ut qui non semper erit verum nec diu quidem. Diu siquidem ista in te mundus habere non poterit, & te quidem ipsum in brevi non habiturus.

Greg. li. 3 Dial. ca. 38

Idem ho. 1 in Evang. circa med.

Ibid. ho. 27 circa fin.

Isid. in synon. ca. 18 ante med.

Chrysost. op. imp. homil. 39 ante med. tom. 2

Aug. ep. 39 ad Licent. ante med. tom. 2

Idem in Joan. tra. 10 ante med. to. 9

Ibid. ep. 34 ad Paul. post med.

Idem de ve. & fal. pœn. c. 15 in princ.

Ber. ep. 107 vers. fin.

Ibid. epist. 103 post med.

Ibid. ep. 7 circa prin.

rus. Nam breves dies hominis sunt. Idem: Subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit. Sed cum ab his dissuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod difficile antea putavit. Idem: Falleris o fili. Supra libro 1. de Studentibus. Idem: Vigilias times. Infra de meditatione. Idem de contemptu: Ecce nos reliquimus omnia, bene, optime, & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quam ab eis relinqui. Idem: Sequuti sumus te nimirum: quia exultavit, ut Gigas ad currendam viam suam. Nec currentem sequi poteras oneratus, sed nec inutilis commutatio pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Idem in sermonibus: Convolate ad urbes refugii, ubi possitis, & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratia, & futuram gloriam fiducialiter præstolari: non vos retardet conscientia peccatorum, quia ubi illa abundaverit, superabundare gratia consuevit: non potentiæ austeritas ipsa deterreat, neque enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, non ad præsentem consolationem, quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Idem: Quid si periclitaretur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo: fugite de medio Babylonis, fugite, salvate animas vestras. Idem: Nil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum reperitur: quibus & gratia confert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium.

Ibid. ep. 1 ad Robert. Nepo. prope fin.

Idem declam. super: Ecce nos circa princ.

Ibidem conseq.

Idem ser. de conversa. ad cleric. c. 30

Ibidem.

Ibidem.

Caput XVIII.

De Solitudine.

Gregorius in Moralibus: Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exterius mundo lateat, & cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Idem: Prodest solitudo corporis, si solitudo est mentis. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullus sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Idem: Quælibet occulta. Supra libro 2. De gratia. Idem: Vos qui viam. Infra de religione. Hieronymus in epistola: Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus. Idem: Infinita eremi vastitas te terret? sed paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. Idem: Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Idem: Bonus honor in Ecclesia, si a consortio clericorum longe sint fœminæ. Monachum, vel clericum solitudo facit non publicum. Augustinus de singularitate clericorum: Strages pessimæ conversationis nemo prosternit, nemo calcat, nemo funestat, nisi singularis castitas sola, quæ munimen invictum est sanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & lasciviæ petulantis infirmitas, probitatis præsidium, & improbitatis excidium, animæ victoria, & corporis præda, ubertas gratiarum, & sterilitas criminum. Idem: Non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum concupiscentia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ pluralitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum & fœminam pariter in virginitate conservet, non habet claritatem, quoniam communitas ipsa, non potest nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurari. Bernardus in epistola: Cum quo Deus est, numquam minus est solus,

Greg. li. 5 Mor. ca. 5 post med.

Ibid. li. 30 cap. 12 ante med.

Hier. ep. 4 ad Rust. Monach. ante med. tom. 1

Ibid. ep. 1 ad Heliod. ultra med.

Ibid. ep. 2 ad Nep. ante med.

Idem epist. ad Ocean. de vi. cler. post med. tom. 9

Est apud Cypr. de singul. cleric. 22 ante med. tom. 3

Ibid. ca. 23 ante med.

Ber. epist. de vi. solit. longe ante med.

lus, quam cum solus est. Tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est, ibi ad frnendum Deo in se, & se in Deo: Tunc in luce veritatis, & in sereno mundi cordis ultro patet sibi pura conscientia, & libere se infundit de Deo memoria: & illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. Idem super Cantica: Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt, si fastidias, quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum, alioquin nec, si solus corpore es, solus es. Cassiodorus de anima: Nimia turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur. Seneca in epistola: Subducendus est a populo animus tener, & parum tenax recti, facile transitur ad plures. Socrati, & Platoni, & Lælio, excutere morem suum, dissimilis multitudo potuisset.

Idem ser. 40 in Cant. prope fin.

Cassiodor. de ani. c 18 post med.

Sen. ep. 7 circa med.

Caput XIX.

De Religione.

GRegorius in registro: Vos, qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse Magister tentationum accedit. Idem: Melius est de ovili Dominico morbosam ovem eiicere, quam unius vitio sanas amittere. Idem: Cura est solicitudinis adhibenda, ut quæ pro quiete religiosæ conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Idem: Multi sunt qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere: & plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Idem: Religiosam vitam eligentibus, congrua nos oportet consideratione prospicere: ne cujusdam necessitatis occasio, aut desides faciat, aut robur, quod absit, conversationis infringat. Idem. Sicut studii nostri esse condecet, a litigiis foralibus monachos submovere, ut divinis ministeriis pie, ac solerter invigilent: ita necesse est, nostra provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare: ne distenta mens per varias causarum curas effluat, & ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat. Isidorus in etymologiis: Religio appellata est, eo quod per eam uni Deo religemus animas nostras, ad cultum divinum vinculo serviendi. Augustinus de ecclesiasticis dogmatibus: Secreta satisfactione solvi crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & in jugi, immo perpetuo luctu, miserante Deo: ita dumtaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat. Idem de quantitate animæ: Omnibus subventum velle debemus, etiam qui nos læserunt lædere, aut omnino lædi volunt. Hæc est vera, hæc perfecta, hæc sola religio. Idem: Est religio vera, quia se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, conciliatione religat. Idem: Nullo modo decet. Supra de exercitio. Idem: Non debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiunt pauperes delicati. *Idem*: Melior est, qui quamvis. Supra libro 2. de ira. Ambrosius in epistola: Præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Fides numquam senescit, & religio fatigationem non sentit. Bernardus de Consideratione: Nos in monasteriis recipimus omnes spe meliorandi, at curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit. Idem in epistola: Ubi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero bona, si quæ facis, nemo prohibet: malum autem facere si vis, non licet. Mox enim a pluribus comperitur,

Greg. regi. lib. 7 ind. 2 cap. 53 ante med.

Ibid. lib. 9 ind. 4 c. 69 circa fin.

Ibid. lib. 7 ind. 2 ca. 115 fere in princ.

Ibid. lib. 2 ind. 11 cap. 100 ante med.

Ibid. ca. 56 in princ.

Ibid. lib. 1 ind. 7 c. 67 in princ.

Isidor. ety. lib. 7 ca. 2

August. de Eccle. dog. ca. 55 to. 3

Idem de quantit. ani. ca. 32 post med. tom. 1

Ibid. c. 36 ante med.

Idem reg. 3 cap. 15 tom. eod.

Amb. Exhort. in exord. ad Rom. to. 1

Bern. de consid. li. 4 circa med.

Idem epist. 115 circa med.

tur,

tur, arguitur, emendatur: sicut econ- A trario bonum cum omnes vident, mirantur, venerantur, imitantur. Idem: Ordo noster. Supra libro 1. de Monachis bonis. Idem: Moriens vix umquam aliquis a cella in infernum descendit, quia vix umquam nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit. Idem: Experto credite, quia hæc via quanto arctior, quanto molestior videtur in ingressu, tanto latior, tanto jucundior invenitur in progressu. Idem: Qui debitorem. Supra libro 1. de religiosis malis. Idem in sermonibus: Qui est in mundo, fugiat ad claustrum negotiaturus, & qui in claustro est non dormitet, nec torpescat per acediam, tamquam piger servus, & nequam. B Vita enim confert meritum, locus non facit beatum. Idem: Minus damnabile est in sæculo perire, quam in monasterio. Idem: Felix domus, & beata semper congregatio, ubi de Maria conqueritur Martha, nam Mariam Marthæ æmulari, indignum prorsus est. Idem: Regio australis, est claustrum vel eremus, in quo Christus suos abscondit a contradictione linguarum, postmodum admixturus consortio Angelorum. Idem: Claustralis paradisus, ad suavem spirantis austri clementiam quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. Idem: Sicut bonum noscere, sic & velle solum perfecta religio, vel religiosa perfectio est. Idem: Nihil sic horrendum, ut murmur, & C dissensio in congregatione.

Idem ep. de vi. solit. multo ante med.

Idem ser. 2 in festo S. Mich. ante med.

Idem ser. 3 in Assumption. Beat. Mar. ante med.

Idem ser. 3 in Ascen. Dom. ante med.

Idem in sermonibus par. ser. 63

Caput XX.

De Sufficientia.

GRegorius in registro: Non delectamur xeniis. Idem in Moralibus: Mira securitas est cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei sufficientia, contentum manere. Ex qua videlicet securitate, etiam perennis requies nascitur, quia a bona & tranquilla cogitatione, ad gaudia æterna transitur. Idem super Ezechielem: Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Idem: Ille pauper est, qui eget, eo quod non habet. Nam & qui non habens, habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Idem: Discamus esurire, ut nobis propter abundantiam sequentem, nostra hic inopia placeat: Nec nos ventris necessitas ad culpam trahat, nec peccatum menti indigentia suggerat. Augustinus de soliloquiis: Sive de cibo, sive de potu, sive de balneis, cæteraque corporis voluptate nihil interroges, tantum ab eo pete, quantum valetudini opem conferre potest. Idem de vita beata: Nullus perfectus aliquo eget, & quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit: si non affuerit, non eum istarum rerum franget inopia. Omnis namque sapiens fortis est. Idem: de vera religione: Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat: & quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo funditus adhæreat. Bernardus in epistola: Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo, & statim senties sola te appetere, quæ famen tollant, non fauces demulceant. Reddet quidem sapores cibis exercitium, quos tulit inertia multa, quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desiderio. Seneca in epistola: Magni animi est magna contemnere, ac mediocria mala, quam nimia. Illa enim vitalia utiliaque sunt, at hæc eo quod superfluunt, nocent: sic segetem nimia sternit ubertas, & rami onere franguntur. Glossa: Perfecta humilitas. Supra capite de humilitate.

Greg. in regist. lib. 1 indic. 9 cap. 64

Idem li. 15 Mor. ca. 13 post med.

Idem in Ezec. ho. 19 post med.

Ibid. ho. 18 post med.

Ibid. ho. 19 longe post med.

Aug. solil. lib. 1 ca. 10 tom. 1

Idem li. de vita beata disput. 3 paulo post princ. to. 1

Idem de ver. relig. ca. 48 to. 9

Bern. epi. ad Rober. Nept. post med.

Sen. ep. 39

Glossa Matt. 5

Caput XXI.

De Communitate.

GRegorius in registro: Nullus vestrum, neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat. Idem: Si me participem operatio non facit laboris vestri, me participem charitas facit: quia, sicut existimo bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de

Greg. reg. li. 2 indic. 11 ca. 68 circa med.

Ibid. lib. 6 ind. 15 cap. 281 post med.

de alterius actibus gaudere communiter scit. Idem: Melius est de ovili. Supra de religione. Idem: Summa militiæ. Supra lib. 1 de militibus. Idem in Moralibus: Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, & ad sua singulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte numquam recedat. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Omne quod nostrum est, tunc magis nostrum erit, si sit nobis commune cum fratribus. Idem super Joannem: Qualiter est imitatores fieri Christi, ad communem utilitatem, omnia negotiantes, & non quæ nostra sunt quærentes? Ambrosius de officiis: Sic Deus generari jussit omnia, ut partus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura ergo jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. Idem: Qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud, quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus. Idem: Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit: quomodo enim potest uni prodesse quod omnibus nocet? Mihi crede, non videtur, qui inutilis est omnibus sibi utilis esse posse Idem: Non sit affectatus. Supra de simplicitate. Idem super Lucam: Verum est causam inopiæ nostræ videri avaritiam, etenim volatilibus cœli idcirco sine labore pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communes ad escam datos, speciali quodam nesciunt vendicare dominatu. Idem: Qui justus est non negat, quod est ad usum omnibus communiter datum. Augustinus super actus Apostolorum: Melior est fraternitas Christi fraternitate sanguinis: fraternitas sanguinis interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est: illa inter se communia dividit cum æmulatione, hæc autem sua communicat cum gratulatione. Idem in regula: Omnia opera vestra in unum fiant, majori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singulis feceritis propria; charitas enim, de qua scriptum est:

Idem l. 30 Mor. c. 4 ante med.

Amb. off. l. 1 ca. 28 ante med. tom. 4

Ibid. l. 3 c. 2 post med.

Ibid. ante med. c. 4

Idem in Luc. li. 7 c. 12 t. 3

Ibid. l. 5 cap. 6

Aug. ser. 27 de verb. Apost. ante med. t. 10

Idem reg. 3 c. 27 t. 1

A Non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit; & ideo quanto amplius rem communem, quam propria vestra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis. Bernardus de consideratione; Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Idem de duodecim gradibus: Singularis ad omnia sua strenuus, ad communia piger, vigilat in lecto, dormit in choro. B Idem; Observandus est. Supra lib. 2 de continentia gustus. Idem in sermonibus: Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studiis delectatur. Usquequo miser diverticula captas, & consolationes propriæ voluntatis, tanto labore quæritas; tanto rubore mendicas? & quid faciam, inquis, ejice ancillam, & filium ejus. Beda in Glossa; Qui ita vivunt ut sint omnia communia in Domino, cœnobitæ vocantur, quæ vita tanto felicior est, quanto statum sæculi futuri imitatur, ubi omnia communia, quia Deus est omnia in omnibus, & quia ibi summa pax, & securitas, *civitas* in qua typus hujus *vitæ* præcessit, C *Hierusalem*, id est visio pacis dicta est. Seneca in epistola; Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit, alteri vivas oportet, si tibi vis vivere. Idem: In hoc gaudeo aliquid dicere, ut doceam, nec me ulla res delectabit, licet sit eximia, & salutaris, quod mihi uni sciturus sum. Idem in proverbiis. Quietissime viverent homines, si duo verba tollerentur, meum & tuum.

Bern. de consid. l. 3 post med.

Idem d. 12 gr. hum. gra. 5

Idem ser. 6 in Ascens. Dom. post med.

Sen. ep. 48 ante med.

CAPUT XXII.

De Societate.

GRegorius in Moralibus: Hoc uniuscujusque esse proprium solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi con-

Greg. l. 8 Mor. c. 39 post med.

conjungi & alios velit, ut diversitatem vitæ refugiat atque hoc imitandum imprimat, quod amat. Idem: Sicut gravioris culpæ est, inter bonos non esse bonum: ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. Idem: Cum in itinere comes jungitur, via quidem non detrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris leviatur. Idem super Ezech. Qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis: peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit. Idem in registro: Qui assistunt judicibus, & sinceris erga eos dilectionibus astringuntur, illa eis suadere debent, atque suggerere, quæ animam salvant, & opinioni non derogant. Aug. in Epist. Si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si ulla calamitas vexat, assint boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, verum etiam flere cum flentibus norunt, & salubriter alloqui, & colloqui sciunt. Per hos plurimum illa aspera leniuntur, revelantur gravia, superantur adversa. Isid. de Summo bono: Tenenda est cum sanctis viris unitas charitatis: & quantum se quisque subtrahit mundo, tanto opus est ut se associet bonorum consortio. Idem in synonym. Bonorum societatem require: si fueris socius conversationis, eris & virtutis eorum. Ambrosius de officiis: Ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam, & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probatis inserit. Bern. de consideratione: Interest gloriæ sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati sint, ita informati, quatenus totius honestatis, & ordinis ipsi sint speculum, ipsi sint forma. Idem: Ne te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Idem in Epist. Inter bonos bonum esse, salutem habet: inter malos vero & laudem. Illud tantæ facilitatis est, quantæ est securitatis: hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Quale nempe est illud tangere picem, & non inquinari ab ea, in igne sine læsione versari? Idem: Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorumcumque sed tantum bonorum. Bonos in consilio, bonos in obsequio, & bonos habeas contubernales, qui vitæ & honestatis tuæ custodes sint & testes. Idem: Omnes juxta Domini præceptum etiam inimici diligantur, si ad consilium soli eligantur, qui & prudenter esse videantur, & benevoli. Idem: Ubi non timetur. Supra de religione. Seneca in epistola: Nullius boni sine socio jucunda possessio est. Idem: Cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt. Illos tecum admitte, quos tu poteris meliores facere. Mutuo ista fiunt, & homines dum docent, discunt.

Ibid. l. 1 cap. 1
Ibid. li. 5 c. 15 ante med.
Idem in Ezec. ho. 5 ante med.
Idem reg. l. 4 ind. 3 c. 73 in pr.
Aug. Ep. 121 ad Prob. c. 2 to. 2
Isi. de sum. bon. l. 2 c. 3 sent. 6
Idem in synon. c. 9 post med.
Amb. de off. l. 1 c. 43 tom. 4
Bern. de consid. l. 4 non procul a prin.
Ibid. ante med.
Idem ep. 25 ante med.
Idem Ep. 28 post med.
Ibid. Ep. 44 non longe a prin.
Sen. Ep. 6 cir. med.

Caput XXIII.

De bonitate.

Gregorius super Ezechielem: Omne bonum quod agimus per intentionem semper ad cœlestia levemus. Idem: Hi veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere, etiam inter malos possunt. Idem in regist. Quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam de alienis sentitis. Idem: Bona Deo accepta non sunt, quæ ante oculos ejus malorum admixtione maculantur. Idem: Bona quæ hominibus innotescunt, sine periculo vix esse possunt. Idem in dialogis: Multa videntur bona, sed non sunt: quia bono animo non fiunt. Idem: Vitæ vera æstimatio in virtute est operum; non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui & signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt. Idem super Ezechielem. Bonum valde est, quod justus tribuit, quando male agentibus libera voce contradicit. Idem in registro: Bonarum mentium est, & ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. Idem: Vestrum sine dubio bonum facitis, si bona volentibus opem fertis. Augustinus de verbis Domini. Potes aurum perdere, & nolens

Greg. in Ezec. ho. 8 ante med.
Idem lib. 20 Mor. c. 29 post med.
Idem reg. l. 6 ind. 15 c. 188 non longe a pr.
Ibid. l. 1 c. 3 fere in prin.
Idem l. 1 Dial. c. 10 ante med.
Ibid. c. 12 cir. med.
Idem reg. l. 12 ind. 7 interrog. Aug. c. 10 ante med.
Ibid. l. 7 ind. 2 c. 119 post med.
Aug. de verb. Do. ser. 12 post med. t. 10

potes domum, potes honores, potes A ipsam casu salutem: bonum vero, quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. [*Idem ep. 54 ad Maced. ante med. tom. 2*] Idem in epist. Quis est in hac vita sine aliquo peccato? Sed eum dicimus bonum, cujus prævalent bona: illumque optimum, qui peccat minimum. [*Idem de nat. bon. ca. 19 to. 6*] Idem de natura boni: Et omne bonum a Deo est: omnis ergo natura a Deo est. [*Ibid. ca. 3*] Idem: Omnia quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis bona sunt: quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. [*Idem de Virg. San. ca. 46 to. eod.*] Idem de virginitate: Aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus, alter inferioribus sed pluribus. [*Idem de li. arb. li. 3 cap. 24 post med. tom. 1*] Idem de libero arbitrio: Bonum B est aliquid homo & melius quam pecus, ex eo quod præcepti capax, & hoc melius cum præceptum jam cepit, rursum hoc melius cum præcepto paruit: & his omnibus melius, cum æternæ lumine sapientiæ beatus est. [*Chrys. ho. de milit. Christiana ante med. tom. 5*] Joannes Chrysostomus de militia Christiana: Non agamus similem infidelibus vitam, sed a quibus fide discernimus, ab eorum studiis, etiam & moribus dividamur. [*Idem ho. de cru. & lat. ante med. tom. 3*] Idem in sermonibus; Pietati hoc proprium est, ut in tenebris fulgeat; impietas autem etsi in lumine fuerit, tenebrescit. [*Ber. ep. 91 post med.*] Bernardus in epistola; Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult; & ubi incipis nolle fieri melior, ibi definis etiam esse bonus. C [*Idem in Can. ser. 48 ante med.*] Idem super Cantica; Non mediocris titulus profecto virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem. [*Sen. ep. 75 ante med.*] Seneca in epistola; Tranquillitas animi, & expulsis erroribus absoluta libertas, quæris quæ sit ista? non homines timere, non turpia velle, nec nimia, in seipsum maximam habere potestatem, inæstimabile bonum est suum fieri. [*Idem ep. 73 vers. fin.*] Idem: Nulla sine Deo mens bona est. [*Idem ep. 34*] Idem: Pars magna bonitatis est velle fieri bonum. Idem: Animus numquam major est, quam ubi aliena seposuit, & fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi divitias nihil concupiscendo.

Caput XXIV.

De Desiderio.

[*Greg. li. 26 Mor. ca. 15 non longe a princ.*] Gregorius in Moralibus; Sæpe nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur, & quod impleri concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. [*Ibid. li. 22 cap. 13 ante med.*] Idem: Valentiores voces apud sacratissimas aures Dei, non faciunt verba nostra, sed desideria. [*Ibid. li. 20 ca. 22 circa fin.*] Idem: Differre solet omnipotens Deus, desideria petentium ut crescant, quatenus eo magis exaudiuntur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. [*Ibid. li. 10 cap. 12 post med.*] Idem: Quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur: dum nil habet in mundo, quod appetat, nil est de mundo, quod pertimescat. [*Idem in Ezec. ho. 13 longe ante med.*] Idem super Ezech. Vulnerata charitate ego sum. Mala salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare in cœlesti desiderio jam, & sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute. [*Idem ho. 25 in Evang. longe ante med.*] Idem in homiliis: Sancta desideria dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. [*Ibid. ho. 36 non longe a princ.*] Idem: Augent spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant; quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur. [*Ibid. ho. 40 ante med.*] Idem: Habere hic possunt & justi bona, nec tamen hæc in recompensatione recipere; quia dum meliora id est æterna appetunt, eorum judicio quælibet bona affuerint, cum sanctis desideriis æstuant, bona minime videntur. [*Aug. ep. 121 ad Prob. ca. 9 to. 2.*] Augustinus in epistola: Quod dicit Apostolus; Sine intermissione orate, quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui illam dare solus potest, sine intermissione desiderare? Semper hanc a Domino Deo desideremus, & semper oremus. [*Ibid. ca. 8 in fin.*] Idem: Tanto illius, quod valde magnum est: quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumus capaciores: quanto id, quod fidelius credimus,

mus, & speramus firmius, & desideramus ardentius. Idem: Diu orare cum vacat, id est, cum alia bonarum & necessariarum actionum non impediunt officia, quamvis & in eis desiderio semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim ut nonnulli putant, hoc est orare, in multiloquio si diutius oretur. Idem: Hierusalem futuram desideramus utique: & quanto impatientius desideramus ipsam, tanto patientius sustinemus omnia propter ipsam. Idem de patientia: Vis desideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum: & nemo nisi pro eo, quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Idem de pœnitentia. Nemo vitam æternam incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi eum hujus vitæ temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat. Idem in meditationibus: Quando venies consolator meus quem expecto? o si quando videbo gaudium meum, quod desidero! o si satiabor, cum apparuerit gloria ejus, quam esurio! o si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! Idem de verbis Domini: Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut & tu discas magna magne desiderare. Joannes Chrysostomus super Joannem. Sicut ex otio desidia gignitur, ita ex actione desiderium generatur. Bernardus super Cantica: Accepi fateor meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. Idem: Subtractio rei, quam amas, augmentatio desiderii est: & quod ardentius desideras, cares ægrius. Idem: Oportet ut sancti desiderii ardor, præveniat faciem Dei, ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quam juxta est Dominus, cum se senserit igne illo succensam. Idem super illud: Nolite me considerare, &c. Urentis solis instar. Supra lib. 3 de dilatione. Idem: Modicum, & non videbitis me. O modicum longum, pie Domine modicum dicis, quod non videmus te. Salvum sit verbum Domini mei, longum est & multum valde: verumtamen utrumque verum, & modicum meritis, & longum votis. Idem in epistola: Sicut fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem: Sic ut dicitur: Nisi credideritis non intelligetis: Sic dic æque non absurde potest: Si non desideraveritis, non perfecte amabitis. Auctor de spiritu & anima: Anima per odium mundi & sui proficit in amorem Dei & proximi: & per contemptum temporalium & inferiorum, crescit in desiderium æternorum & superiorum. Glossa: Desiderium est orare: nec umquam desinit orare, qui non desinit amare. Charitas enim clamor est.

Ibid. c. 20

Ibid. ep. 52 ad Paulin. non longe a prin.

Idem de patien. c. 4 tom. 4

Est apud eumd. ho. 50 c. 4 t. 10

Idem med. c. 41 in fi. tom. 9

Ber. ser. 9 in Can. cir. prin.

Ibid. ser. 51 prope prin.

Ibid. ser. 31 ante med.

Ibid. ser. 74 ante med.

Idem ep. 78 cir. med.

De spir. & an. c. 4 apud Aug. t. 3

Gl. ps. 37

CAPUT XXV.

De Fervore.

GRegorius in Moralibus: Sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam inchoando proponit: et si tepidus prima inchoat, ferventius extrema consummat, videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infatigabiliter in novitate perdurat. Idem: Hi quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Idem super Ezech. Mens in qua anima per amorem invisibili sponso injungitur, nullam præsentis sæculi consolationem recepit, sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur, vilis ei fit salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Idem: Nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam semper anima ad ima revocatur. Idem: Esse nobis. Supra lib. 3 de morte. Idem: Tanto hostis. Supra lib. 1 de dæmonibus. Augustinus: Tanto illius. Supra de desiderio. Idem: Absit ab oratione. Supra lib. 2 de oratione accepta. Bernardus super Cantica: Virtus discretionis absque charitatis fervore jacet: & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Idem: Fervorem novitiorum. Supra lib. 1 de novitiis. Idem in sermonibus: Si quis devotus, si quis solicitus est, si quis

Greg. l. 19 Mor. c. 16 ante med.

Ibid. l. 25 c. 8 circa med.

Ber. ser. 23 in Cant. cir. med.

Idem ser. 2 in annunt. Dom. prope fi.

quis spiritus fervens, caveat sibi, ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: alioquin nec hujusmodi animum intrat gratia, nimirum qui plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi. Idem: Opera nostra in fervore agenda sunt, & desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Idem de contemptu; Tu si videris hominem in bonis operibus strenuum, & fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem ne dubites, indubia tenens vitæ illius argumenta; sed nonnulli cum spiritu cœperint, heu carne consummantur. Idem: Ut vigoris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribulationi, sed pro justitia tribulationem sustinere: sic fervori videtur attribuendum, nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari.

Idem ser. 2 in purif. B. Mariæ cir. med.

Idem decl. super Ecce nos, ante med.

Caput XXVI.

De Meditatione.

GRegorius in Moralibus: Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit providus superet, & quid non accesserit lucrum putet. Idem: Vita nostra dum lacrymis lavatur, dum bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur. Idem in registro: Stude quæso, & quotidie creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens tua ad cælestia gaudia majoribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo non ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Idem in homiliis: Meditetur mens in proximo, quod exhibeat Deo, ut perfecte mereamur, in Deo, gaudere cum proximo. Isidorus de Summo bono. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit, quæ enim nescimus ex lectione discimus, meditationibus conservamus. Idem in etymologiis: Philosophia est meditatio mortis, quod magis convenit

Greg. l. 5 Mor. c. 31 post med.

Ibid. l. 19. c. 26 post med.

Idem reg. l. 4 ind. 13 cap. 84

Idem ho. 30. in Ev. cir. fin.

Isi. de sum. bo. l. 3 c. 8 sent. 2

Idem ety. l. 2 c. 25 cir. med.

A Christianis; qui sæculi ambitione calcata, conversatione disciplinabili similitudine futuræ vitæ vivunt. Augustinus de meditationibus: Quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat & gemit. Meditatio siquidem, parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio commendat orationem. Idem: Considera o homo, quid tibi erat, & quid tibi factum sit, & pensa qui tibi hoc fecit, quanto amore dignus sit. Idem de virginitate: Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic B omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Idem de conflictu; Avaritiæ morbus numquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione meditatur. Basilius in regula; Tunc aviditate cælesti anima flagrans Christi amori copulatur, cum in terris degens, de cælestibus & supernis jugiter meditatur. Bernardus super Cantica: Quid tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandum mentis aciem, quam vulnerum Christi sedula meditatio? Idem in epistola: Vigilias times, & jejunia, manuumque laborem: sed hæc levia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exterior facit C non horrere solicitudinem, si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium: flatus æternus, & stridor ille dentium ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet & mattam & culcitram. Idem: Juge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cælestia meditari. Glossa: Egredimini, &c. Non debemus in desideriis carnis mollescere, & segnes in bono esse, sed in meditatione legis & exercitio virtutum strenui. Auctor de spiritu & anima: Meditatio siquidem parit scientiam. Supra in eodem. Idem: Meditatio est occultæ veritatis studiosa investigatio, & contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Illam itaque divina revelatio illuminat, ut ve-

Aug. de spi. & an. c. 48 & 50 tom. 3

Idem de Virg. san c. 13 tom. 6

Idem de conf. virt. & vit. c. 16 post me. tom. 9

Ber. ser. 72 in Cant. post med.

Idem ep. 5 ad Rob. Nep. post med.

Ibid. ep. 78 ad Sugg. abb. ante med.

Gl. Hier. 5. B

Aut. de spir. & an. c. 32 apud Aug. t. 3

veritatem cognoscat: istam divina inspiratio inflammat, ut eam diligat. Seneca in Epistola: Nihil est tam difficile & arduum, quod humana mens non vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio. Idem: Hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere.

Caput XXVII.

De Ascensione spirituali.

Greg. ho. 8 in Evang. in fin. GRegorius in homiliis; In cunctis, quæ agitis, radicem boni operis humilitatem tenete, nec quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis aspicite; ut dum meliora vobis exempla proponitis, ad majora semper ascendere ex humilitate valeatis. *Idem reg. l. 7 ind. 2 c. 125 ante med.* Idem in registro: Tanto verius intus ascenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius jacerem: at nunc multum me deprimit honor onerosus. *Isi. de sum. bo. l. 3 c. 15 sent. 8* Isidorus de Summo bono: Qui prius in activa proficit, ad contemplationem bene ascendit, merito enim ista sustollitur, qui in illa utilis invenietur. *Ber. ep. 96* Bernardus in Epistola: Multo facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quam unumquempiam de religiosis transire ad melius: rarissima avis in terris est, qui de gradu quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. Idem: Qui ascensiones in corde suo disponunt, qui de virtute in virtutem eunt, videre Deum Deorum in Sion eo facilius merentur in retributione, quo summo bono familiarius adhærere studuerunt, puriori conversationis ordine. *Ibid. ep. 91 post med.* Idem: Aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Idem: Ab exterioribus Supra lib. 2 de intelligentia. *Idem de amore Dei c. 2 in pr.* Idem de amore Dei: Cogitationes, intentiones, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montem, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, ratio, scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, revertamur ad vos. Revertemur enim & heu revertemur quam cito. *Idem ser. 4 in Ascens. Dom. post med.* Idem in sermonibus. Scienti legem, & non facienti peccatum est illi: propterea sciens quia in oratione datur bona voluntas, cum videris, quæ agenda sunt, ut convalescas ad agendum quæ videris, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseveranter. *Ibid. paulo post.* Idem: Sub te sit appetitus tuus, & tu domineris illius. Nam ut in cœlum ascendas, prius necesse est levare te super te, carnalia calcando desideria, quæ in te militant adversum te. *Ibid. ser. 2 post med.* Idem: Perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis: quia hæc est via, & non est alia præter ipsam, qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit, quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. *Auct. de sp. & an. c. 14 cir. med. apud Aug. t. 3* Auctor de spiritu & anima: Quia bona exteriora diu stare non possunt, jussus est homo, ab exterioribus ad superiora ascendere: tantæ enim dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit. *Ibid. post med.* Idem; Qui interius intrans, & intrinsecus penetrans, seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. *Ans. de sim. c. 116* Anselmus de similitudinibus: Tria necessaria sunt ascendenti, innocentia, beneficium, prælatio. Innocentia talis esse debet, ut nulli noceat: beneficium, ut omnibus prosit: prælatio, ut se omnibus inferiorem judicet. Unde Apostolus: In humilitate superiores invicem arbitrantes. Hæc tria debet unusquisque aliis impendere, & nihil horum sibi fieri, ex debito exigere. *Ibid. c. 110* Idem: Alterius virtutem non vitium, suumque vitium non virtutem attendere debet, quisquis ad culmen humilitatis ascendere studet.

Caput XXVIII.

De Contemplatione.

Greg. in Ezech. ho. 14 cir. med. GRegorius super Ezechielem: Contemplativa vita est, charitatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere soli desiderio conditoris inhærere:

rere: ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis: Angelorum choris interesse admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. Idem: Primus contemplationis gradus est, ut mens se ad se colligat. Secundus, ut videat, qualis est collecta. Tertius ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subiiciat. Sed se ad se nullo modo colligit, nisi prius didicerit, terrenarum atque cœlestium imaginum phantasmata ab oculis mentis compescere, quidquid de visu quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu & gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere, atque calcare, & se talem quærat intus, qualis sine istis est. Isidorus: Sancti viri funditus. Supra de religiosis bonis, lib. 1 Bernardus de consideratione: Potest contemplatio diffiniri, verus intuitus animi de quacumque re, seu apprehensio veri non dubia. Idem: Contemplationis species quatuor sunt. Prima & maxima contemplatio, est admiratio divinæ majestatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitiis liberum, atque exoneratum peccatis facile ad superna levet, interdum quoque per aliquas morulas, stupore, & ecstasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic. Est enim intuens judicia Dei, quo sane pavido aspectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat sapientiam, humilitatem servat: Virtutum si quidem bonum quoddam, & stabile fundamentum, humilitas nempe, si nutet, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Tertia contemplatio, occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum: & ne dimittat ingratum, solicitat amantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit propheta: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Quarta, quæ retro sunt obliviscens in so-

Ibid. hom. 17 ante med.

Bern. de consid. ad Eug. l. 2 ante med.

Ibid. l. 5 prope fin.

A la requiescit expectatione promissorum, quæ cum sit meditatio æternitatis, siquidem, quæ promittuntur æterna sunt, longanimitatem animi, & perseverantiæ dat vigorem. Puto jam facile est, quatuor nostra hæc illis quatuor Apostoli assignare, dum longitudinem comprehendit meditatio promissorum: latitudinem, recordatio beneficiorum: sublimitatem, contemplatio majestatis: profundum, inspectio judiciorum. Idem in meditationibus: Viscus contemplationis est amor possessionum, affectus cognationis, cupiditas honoris, & voluptas carnis, quibus anima inviscatur, & irretitur, ut non pennis contemplationis per plateas supernæ Sion

B discurrere possit. Idem super Cantica: Excedente anima, etsi non vita certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis ergo dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis. Seneca in Epistola: Quantum potes propera, quod diutius frui emendato animo & composito possis: frueris quidem dum emendas etiam dum componas, alia tamen illa voluptas est, quæ percipitur a contemplatione mentis, ab omni labe puræ & splendidæ. Idem: Subsilire in cœlum ex angulo licet, exsurge modo, & te quoque dignum Deo finges,

C & non auro non argento: non potest ex hac materia, imago Deo exprimi similis.

Idem ser. 52 in Cant. cir. med.

Sen. Ep. 4 in prin.

Ibid. Ep. 31 prope fi.

Caput XXIX.

De Gustu.

Gregorius in Moralibus: Superiora amare jam sursum ire est: dumque magno desiderio, mens ad cœlestia inhiat, miro modo hoc ipsum, quod accipere quærit, degustat. Idem super Ezechielem: Dulce est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustavit: quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. Idem: Si quis jam cordis ore gustaverit, quæ sit illa dul-

Greg. l. 15 Mor. c. 27 in fin.

Idem in Ezec. hom. 10 longe post med.

Ibid.

dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici chori angelorum, quæ incomprehensibilis visio Trinitatis: huic quanto illud dulce sit, quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet.

Ibid. ho. 3 longe ante med.

Idem: Contemplativa, major est quam activa: quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Augustinus in sermone: Cetera creatura vilescat, ut creator in corde dulcescat. Idem de meditationibus: Fac precor me Domine gustare per amorem, quod gusto per agnitionem: sentiam, per affectum, quod sentio per intellectum: plus tibi debeo, quam meipsum totum. Sed nec plus habeo, sed nec hoc ipsum per me totum possum reddere: trahe Domine in amorem tuum vel hoc ipsum quod sum. Idem de vera religione: Quamdiu sumus in corpore, & peregrinamur a Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem, & desideremus ipsum vitæ fontem: ubi sobria ebrietate inundemur, & irrigemur, sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Idem: Tu qui veram. Supra de tranquillitate. Auctor de spiritu, & anima. Hæc est requies cordis nostri, cum in Dei amore, per desiderium figitur: hæc est vita cordis nostri, cum Deum suum contemplatur, & ipsa sua contemplatione suaviter reficitur.

Auct. de spir. & an. c. 10 cir. med. apud Aug. t. 3 Ibid. t. 11 ante med. Bern. de 15 grad. humi. ante med.

Idem: Anima prius sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur. Idem: Mentis visio est intelligentia, gustus sapientia: illa contemplatur, illa delectatur. Bernardus de duodecim gradibus: Primus cibus est humilitatis purgatorius cum amaritudine Secundus charitatis consolatorius cum dulcedidine. Tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. Idem de diligendo Deo: Ex occasione frequentium necessitatum, crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari, quoniam suavis est Dominus. Idem de amore Dei: Stans in domo solitudinis, quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritum. Et nonnumquam Domine, quasi clausis oculis, ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, ut si perficeretur in me, nihil ultra quærerem.

Idem trat. de dilig. Deo, post med.

Idem de amore Dei, t. 9 circa med.

Idem. ser. 23 in Cant. vers. fin.

Idem super Cantica: Si quem forte nostrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minime avocet, aut perturbet, aut sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certe ea quæ difficilius amoventur irruentia imaginationum corporearum phantasmata, B poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari & dicere: Introduxit me rex in cubiculum suum.

Ibid. ser. 40 ante med.

Idem: A mandatis tuis intellexi, inquit, ut scias, nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum, penitus non deberi. Non ergo putes, de proprio amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorum ve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum.

Idem. ep. 111 post med.

Idem in Epistola: Funes ciciderunt mihi in præclaris, cœlestisque hereditas præclara est mihi, & terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis: gustato spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti cœlestia, terrena non sapiunt: æternis inhianti, fastidio sunt transitoria.

Idem ser. 1 in festo omn. Sanct. post med.

Idem in C sermone: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quid aliud est hæc consolatio, quam procedens de spe veniæ gratia devotionis & suavissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam. At gustus ille nihil aliud est, quam irritamentum desiderii, & incentivum amoris, sicut scriptum est: Qui edunt me adhuc esurient, &c. Idem: Ubi sane in spirituali. Supra de proficientibus lib. 1

Sen. ep. 79 post med.

Seneca in epistola. Tunc animus noster habebit, quo gratuletur sibi, cum emissus his tenebris in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem amiserit, & redditus cœlo suo fuerit: cum re.

receperit locum, quem occupavit sorte nascendi sursum, illum vocant initia sua, erit autem illic etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia devicerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. Idem: Philosophia animum a terrenis admittit ad divina, hæc libertas ejus est, hæc evagatio subducit interim se custodiæ in qua tenetur, & cœlo reficitur.

Caput XXX.

De Consolatione.

Greg. reg. l. 8 ind. 3 c. 31 Gregorius in registro: In summa tribulatione positis, sola est consolatio misericordia creatoris. Idem: *Ibid. l. 11 ind. 7 c. 30 cir. med.* In Dei causis occupatus, consolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem; *Ibid. l. 7 ind. 2 c. 125 non longe a prin.* Est mihi bone vir hoc ex Dei munere in magna consolatione, quod opus sanctum, quod in me non habeo, diligo in te. Idem *Ibid. cir. fin.* Facilis erit consolatio, si inter flagella, quæque patimur, quæque fecimus, ad memoriam delicta revocemus, atque hæc non flagella, sed dona cognoscimus. Idem de quodam Episcopo: Valde contristabar, quod de illo quædam superba cognoveram, sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam, simul meipsum vincendo consolatus sum. *Idem l. 2 Mor. c. 12* Idem in Moralibus: Magna consolatio in rerum amissione est, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit, res, quas perdidimus, non habuisse. *Ibid. c. 13* Idem: Magna est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi justum placet. *Ibid. li. 5 c. 5 non longe a pr.* Idem: Laborantem consolari, est pariter in labore persistere: quia sublevatio laboris est visio collaborantis. *Ibid. l. 35 cap. 8* Idem: Minus tentat probatio, quam remuneratio consolatur. *Ibid. l. 21 c. 4 in pr.* Idem: Gravis mœror. Infra de dolore. Idem; Festina consolatio bonorum, est consideratio finis malorum: quia dum ex eorum interitu conspiciunt malum, quod evadunt, leve æstimant, quidquid in hac vita patiuntur adversum. *Idem Past. cu. p. 3 c. 1 admon. 28 ante med.* Idem in pastorali: Non flendo flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen

A mens noverit de æternæ spei consolatione gaudere. *Isi de sum. bo. l. 3 c. 61 sent. 5* Isidorus de Summo bono: Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præsentis æquanimiter portat, quoniam ex illius dulcedine, hujus amaritudinem temperat. *Idem in syn. c. 1 ante med.* Idem in synonymis: Intende miserias eorum, quibus acerbe aliquid accidit: dum aliena pericula memoras, mitius tua portas, aliorum enim exempla dolorem relevant alienis malis facilius consolatur homo. *Amb. de viduis, an. med. c. 4* Ambrosius de viduis: Paratus mœstitudini animi fletus oculorum miseriam conciliat, laborem minuit, dolorem alleviat, pudorem servat, nec jam miseria sibi videtur, quæ consolationem in

B lacrymis habet. *Ber. ser. 16 in psal. Qui habitat, post med.* Bernardus super Qui habitat: In quo bonorum omnium speras solatii aliquid, vel auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, & oblivioni datum te reperis tamquam mortuum a corde: si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam: si circa te, terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: Quære ergo supra te sed cautus esto, ventosa agmina transilire. *Idem de clam. super Ecce nos post med.* Idem de contemptu: Pretiosa divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. *Idem ser. de quadru. debito, ante med.* Idem in sermonibus: Mentior, quod ad consolationem vestram dico, si non ex manibus hujus peccatoris, monachorum novitiorum, & conversorum,

C animæ ad cœlorum gaudia volaverunt tam liberæ, quam liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. Idem: Beati, qui lugent. Supra de gustu.

Caput XXXI.

De Regratiatione.

Greg. reg. lib. 8 ind. 3 c. 31 Gregorius in registro: Rectæ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. *Ibid. l. 9 ind. 4 c. 48* Idem ad Episcopum exponentem grammaticam: In uno se ore, cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. *Aug. Enchirid. ad Lauren. c. 94 tom. 3* Augustinus in Enchiridione: Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine, quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, & nisi per

per indebitam misericordiam nemo liberatur, & nisi per debitum judicium nemo condemnatur. Idem de verbis Domini: Felix sit mundus, evertatur mundus: benedicam Dominum, qui fecit mundum: secundum carnem bene fit, secundum carnem male fit, benedicam Dominum in omni tempore. Idem: Hæc in unoquoque. Supra l. 2 de justitia. Idem in epistola: Qui est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit.

Idem ep. 108 ad Vital. Cart. vers fi. t. 2

Idem: Ex his quæ habes, gratias age Deo, tamquam fonti bonitatis, unde habes: atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi autem humilitatem.

Idem ep. ad Bonif. quæ est prima ex 21 in fin. t. 2 positis.

Idem de confessionibus: Tu Domine excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Idem conf. l. 1 c. 1 tom. 1

Idem de spiritu, & littera: Illa est sapientia quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum: a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum: colitur autem sacrificio laudis actionisque gratiarum, & cultor ejus non in semetipso, sed in illo glorietur.

Idem de spir. & lit. c. 14 t. 3

Idem de meditationibus: Gratias agamus de acceptis, & quod nondum accepimus, eo ipso quod de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse confidamus. Idem de cathechizandis rudibus: Quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum. Si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum: si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum.

Idem de cathechiz. rudib. c. 38 cir. med. tom. 4

Hieronymus in epistola: Cum psalmum dicis, cujus verba loqueris, agnosce: & in compunctione magis animi, quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare; lacrymas psallentis Deus magis, quam vocis gratia comprobat.

Hier. ep. 24 ad Maur. fil. non longe a fin. tom. 9

Joannes Chrysostomus super Joannem: Glorificemus Deum, & per fidem, & per opera: nulla enim utilitas nobis in salutem dogmatum sanorum, corrupta nobis vita. Idem; Rapuit ille, gratias egisti tu pro injustitia? & glorificasti Deum, & finitas per gra-

A tiarum actiones multas fructificasti mercedes. Bernardus super Cantica: Nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis, nec solas dico vitandas cogitationes vanas & otiosas, vitandæ sunt & illæ dumtaxat, illa hora, & illo loco, quas officiales fratres, pro communi necessitate, quasi necessario frequenter admittere compelluntur: sed ne illa quidem profecto recipere consuluerim, quæ forte paulo ante in codicibus legeratis.

Ber. ser. 47 in Cant. prope fin.

Idem: Moneo vos dilectissimi, pure, ac strenue divinis interesse laudibus, strenue quidem, ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis: non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non

Ibid. paulo ante.

B prædicentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, sonitu, & affectu voces sancti Spiritus depromentes. Idem: Disce in referendo gratias, non esse tardus, aut segnis: disce ad singula dona gratias agere: diligenter, inquit, considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla, denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant.

Ibid. ser. 52 post med.

Idem: Omnis de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis, referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem

Ibid. ser. 13 post med.

C universorum auctorem, & largitorem idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine, sicut a sæcularibus, sed nec necessitate quidem, ut jumenta ferendis oneribus applicantur. sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, devotione solicita, hilaritate grata, non tamen dissoluta. Idem: Immolantes hostias laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia jungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati, quo interim liberis purgatæ mentis passibus procedamus, & excedamus per insuetas quasdam affectiones, spirituales lætitias, invisibiles amœnitates in lumine Dei, in suavitate, in Spiritu

Ibid. conf

ritu sancto. Idem: in quotidianis exercitiis, & bellis, quæ nulla hora pie in Christo viventibus desunt a carne, a mundo, a diabolo, sicut militiam vitam hominis esse super terram, incessanter experimini in vobismetipsis, quotidiana necesse est cantica pro assequutis victoriis immolari. Idem in sermonibus: Non tantum verbo, & lingua, sed opere, & veritate, exhibeamus nos non ingratos: non enim gratiarum dictionem, sed gratiarum actionem exigit a nobis Dominus Deus noster. Idem: Oportet hominem gratiosum, & devotum esse: quia libenter dona multiplicantur, si priora bene salva videntur.

Idem ser. 2 de Ev. 7 parum ante med.

Caput XXXII.

De Lectione.

Greg. reg. l. 2 ind. 10 c. 37 cir. med.

Gregorius in registro: Si ad consolationem nostram sacra scriptura parata est, tanto magis debemus legere, quanto nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari. Idem: Idcirco pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo, legant, quæ legere in codicibus non valent. Idem: Stude quæso. Supra de meditatione. Idem in Moralibus: Scriptura sacra mentis oculis, quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus, ibi sentimus quantum proficimus: ibi docemur a profectu quam longe distamus. Idem: Scriptura narrat gesta sanctorum, & ad imitationem provocat corda infirmorum, dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat. Idem: Quasi quædam fit lectio mentis nostræ, species considerata creaturæ. Idem: Plerumque res, quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa. Ambrosius de officiis: Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? illum alloquimur cum oramus, illum au-

Ibid. l. 7 ind. 2c. 109

Idem l. 2 Mor. c. 1 in prin.

Ibid.

Ibid. l. 26 c. 8 post med.

Ibid. l. 3 c. 16 fere in prin.

Amb. de off. l. 1 c. 19 ver. fi. tom. 4

A diamus, cum divina legimus oracula. Idem in Hexaemeron: Scriptura divina salutem suggerit, vitæ odorem fragrat, ut suavitatem legens capias, non præcipitii crimen incurras. Idem: Non mediocre. Supra lib. 3 de Stultiloquio. Hieronymus in originali super Jonam: Difficile homines potentes, & nobiles, & divites, & multo his difficilius eloquentes credere Deo: obcæcatur enim mens eorum divitiis, & opibus atque luxuria, & circumdati divitiis non possunt videre virtutes simplicitatemque Scripturæ. Idem in Epist. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Idem: Orationi lectio, lectioni succedat oratio, & breve videbitur omne tempus, quod tantis dierum varietatibus occupatur. Isidorus de Summo bono: Sanctarum Scripturarum altitudo quasi montes pascuæ sunt, ad quos dum quisque justorum conscenderit, pascuæ indeficientis refectionem invenisse se gaudebit. Idem: Geminum confert bonum sanctarum lectio Scripturarum: sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. Isidorus in synonymis: Lectio docet quid caveas, lectio ostendit quo tendas, lectione sensus augetur, & intellectus. Augustinus in Epistola: Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Joannes Chrysostomus super Joannem: Non propterea datæ sunt scripturæ, ut in libris eas habeamus solum, sed ut in cordibus conglutinemus eas. Idem: Si turpiloquium sordidat, & dæmones vocat, manifestum est, quoniam spiritualis lectio sanctificat, & spiritus aufert gratiam, divinæ enim sunt incarnationes scripturæ. Bernardus super Cantica. Ante carnem disciplinæ studiis edomitam, & emancipatam spiritui, ante spretam, & abjectam sæculi pompam, & sarcinam, indigne ab impuris lectio sacræ scripturæ præsumitur, quomodo nempe lux incassum circumfun-

Hier. in Ionam, c. 3 tom. 5

Idem ad Rust. ep. 4 cir. med. tom 1

Ibid. ep. 7 ad latam, post med. tom. eod.

Isi. de sum. bo. l. 1 c. 18 sent 2

Ibid. l. 3 c. 8 sen. 4

Idem in syn. c. 5 prope fin.

Aug. ep. 3 ad Volusian. ante med. t. 2

Ber. ser. 1 in Cant. ante med.

fun-

fundit oculos cæcos, vel clausos, ita animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.

Caput XXXIII.

De Sapientia.

Greg. l. 1 Mor. c. 16 GRegorius in Moralibus: Neque hoc est sapere quod intelligere, quia multi æterna quidem sapiunt, sed hæc intelligere nequaquam possunt. Idem reg. l. 7 ind. 7 c. 39 Idem in registro: Sapienter illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. Aug. de l. arb. l. 2 c. 9 cir. med. tom. 1 Augustinus de libero arbitrio: Nemo sine sapientia beatus est: nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus cernitur, & tenetur. Idem: Væ, qui derelinquunt. Supra lib. 3 de sapientia. Idem de ordine disciplinæ: Quisquis omnem Philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare sapientiam. Idem: Duplex est via quam sequimur: cum rerum nos obscuritas movet, aut ratione, aut certe auctoritate, Philosophia rationem promittit. Idem: Tria sunt genera rerum, in quibus rationabile apparet, unum est in factis ad aliquem finem relatis, alterum in discendo, tertium in delectando. Primum nos admonet; nihil temere facere. Secundum recte docere. Ultimum beate contemplari. Idem de civ. Dei, l. 19 c. 20 tom. 5 Idem de civitate Dei: Non est vera sapientia, quæ intentionem suam, in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justeque distribuit, non ad illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus, æternitate certa, & pace perfecta. Isid. ety. l. 10 verbo, sapient. Isidorus in etymologiis: Sapiens dictus est a sapore, quia sicut aptus est gustus ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum, quo unumquodque dignoscat, atque sensu veritatis discernat. Idem de sum. bo. l. 2 c. 1 sent. 6 Idem de Summo bono: Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omnium abstrahere actionum cura contendit. Amb. ante not. in Lev. ad Simelic. ante med. tom. 1 Ambrosius in Epistola: Nihil peccare solius Dei est: sapientis est, & corrigere erratum, & pœ-

A nitentiam agere peccati. Idem: Sola est sapientia libera, quæ divitibus pauperes præfecit, & quæ servos propriis fœnerari Dominis facit. Idem trac. in Ps. 104 ad eund. ante med. tom. 2 Idem: Sapiens non metu. Supra lib. 3 de affectionibus. Idem: Ille vere sapit, cujus animus in Christo est, & cujus interior oculus erigitur ad superna. Ber. de consid. l. 2 ante med. Bernardus de consideratione: Quid prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens? etsi sapiens aliis sis, deest tibi sapientia, si tibi non fueris. Idem ser. 19 in Cant. prope fin. Idem super Cantica: Nescitis, quia angelus satanæ multoties transfigurat se in angelum lucis? Sapientia est Deus, & vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. Sen. Ep. 70 ante med. Seneca in Epi- B stola: Sapiens videbit ubi victurus rus sit, cum quibus, quo, quid acturus, cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Ibid. ep. 82 ante med. Idem: Sapiens omnia examinabit secum, quid acceperit, a quo, quantum, ubi, quemadmodum. Ibid. ep. 85 vers. fin. Idem: Sapiens bonorum rector, est malorum victor. Ibid. ep. 20 cir. prin. Idem: Facere docet Philosophia, non dicere, & hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat. Ibid. Idem: Rogo atque hortor, ut Philosophiam in præcordia imo demittas, & experimentum profectus tui capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate, cupiditatum diminutione, verba rebus proba. Ibid. ep. 65 post med. Idem: Affectator sapientiæ adhæret quidem C in corpore suo, sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit. Idem: Ad Philosophiam te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus, denique si vis esse, quod maximum est, liber. Ibid. ep. 16 ante med. Idem: Non est Philosophia populare artificium, nec ostentatione paratum, nec in verbis, sed in rebus est, nec ad hoc adhibetur, ut cum aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea: animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat.

Caput XXXIV.

De Doctrina.

Greg. in Ezech. ho. 10 ante med.

GRegorius super Ezechielem: Quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua & non Dei verba loquitur, si tamen placendi, vel seducendi studio mentiatur. Nam si in verbis Dominicis virtutem requirens, ipse aliter quam is, per quem prolata sunt, senserit, etiam si sub intellectu alio ædificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quæ narrat: quia ad hoc solum Deus per totam nobis sacram Scripturam loquitur, ut nos ad suum & proximi amorem trahat.

Ibid. ho. 11 ante med.

Idem: Pensare debet doctor, quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit.

Ibid. ho. 11 post med.

Idem: Loqui de Deo, quietæ valde & liberæ mentis est. Tunc namque bene dirigitur lingua in sermone, cum secure sensus quievit in tranquilitate.

Idem Past. cu. p. 2 c. 4 & reg. l. 1 ind. 9 c. 24 cir. med.

Idem in pastorali: Clavis apertionis est sermo correctionis: quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit, ipse etiam qui perpetravit.

Idem l. 33 Mor. c. 11 non longe a prin.

Idem in Moralibus: Qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelicta spe timorem subtrahat, nec spe subtracta, in solo eum timore derelinquat.

Ibid. l. 18 c. 14 non longe a pr.

Idem: Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, ut causarum origines a sacris paginis sumat: ut omne, quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet.

Idem ho. 18 in Ev. cir. med.

Idem in homiliis: Cum malorum perversitas crescit, non solum frangi prædicatio non debet, sed etiam augeri.

Ibid. ho. 6 prope fi.

Idem: Plus est verbi pabulo, victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem moriturae carnis terreno pane satiare.

Ibid. ho. 4 non longe a prin.

Idem; Subtili occultoque judicio, a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur: quia suscitari per gratiam non merentur.

Idem reg. l. 7 ind. 2 c. 111 cir. med.

Idem in registro; Lingua

A nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur: ut quia doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus.

Idem l. 3 Dial. c. 17 post med.

Idem in dialogis: Si invisibilia pensamus, nimirum constat, quia majus est miraculum, prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare.

Aug. de consen. Ev. l. 2 c. 28 tom. 4

August. de sensu Evangelistarum: Ex Evangeliorum universa varietate verborum, rerum autem, sententiarumque concordia satis apparet salubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis nisi lo-B quentium veritatem, cui demonstrandæ invigilare debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de Angelo, vel de Deo aliquid narrant.

Idem de oper. monach. c. 12 vers. fin. tom. 3

Idem de opere monachorum: Multo misericordius operatur erga animas infirmorum, qui famæ bonæ servorum Dei consulit, quam erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit.

Idem de Trin. l. 2 non longe a prin. t. 3

Idem de Trinitate: Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a perversis: Gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas, dentem autem caninum, *vel evitat* cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas.

Ibid. l. 4 c. 1 cir. med.

C Idem: Persuadendum erat homini, quantum nos dilexerit Deus, & quales: quantum, ne desperaremus: quales, ne superbiremus.

Idem de cathech. rudib. c. 4 in fi. t. 4

Idem de cathechizandis rudibus: Dilectione tibi tamquam fine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, & sperando amet.

Idem de bon. persev. l. 2 c. 16 ante med.

Idem de bono perseverantiæ; Facile est immo & utile, ut taceatur aliquod verum, propter incapaces.

Ibid. paulo post.

Idem: Cum res vera ita se habet, ut fiat pejor nobis eam dicentibus, illi, qui capere non potest, nobis autem tacentibus illi, qui potest, quid putamus esse faciendum? nonne dicendum est potentius verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum

ut

ut non solum id ambo non capiant, verumetiam qui est intelligentior ipse fiat pejor, quia si audiret & caperet per illum plures discerent : quo enim est capacior ut discat, eo magis est idoneus , ut alios doceat .

Ibid. c. 24 ante med.

Idem ; Non simus in disputationibus prompti , & in orationibus pigri ;

Idem Ep. 132 ad Florent. cir. med. t. 2

Idem in Epistola : Solicitissime cavendum est in docendo superbiæ vitium , quod in discendo non ita est .

Amb. de off. l. 1 c. 22 tom. 4

Ambrosius de officiis : Absit pertinax in familiari sermone contentio, quoties enim magis excitare inanes , quam utilitatis aliquid afferre solet discrepatio sive ira? suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Isidorus in synonymis : Communia omnibus secreta paucioribus loquere , aperta cunctis, opera paucis annuntia .

Isi. de sum. bo. l. 2 c. 29 sent. 16

Idem de Summo bono : Quadrimoda est dicendi ratio, quia aut bene sentiendo quid bene profertur , aut nihil sentiendo nihil dicitur, aut parum sentiendo loquacitas sola ostentatur , aut optime sentiendo non eleganter profertur quod dicitur.

Hier. Ep. 2 ad Nepot. ultra med. tom. 1

Hieronymus in Epistola: Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur : lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint.

Ibid.

Idem : Prædicator continentiæ, nuptias ne conciliet.

Bern. in Cant. ser. 18 prope fi.

Bernardus super Cantica : En quanta prius infundenda sunt , ut effundere audeamus, de plenitudine non de penuria largientes, primo quidem compunctio, deinde devotio , tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus , quinto orationis studium , sexto contemplationis otium , septimo plenitudo dilectionis . Idem : Doctrina spiritus non curiositatem acuit , sed charitatem accendit.

Caput XXXV.

De Dignitate.

Greg. reg. l. 7 ind. 1 cap. 5

Gregorius in registro ; Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, & judicia esse constituit , ut nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subditos , nec subjectis, iterum contra suos præpositos effrænata sit resultandi licentia.

Ibid. l. 4 ind. 13 c. 69 in prin.

Idem : Ad hoc divinæ dispensationis provisio , gradus & diversos constituit ordines esse distinctos , ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent , & potiores minoribus dilectionem impenderent , una concordiæ fieret ex diversitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Idem : Quia homo quod sibi tribuitur, quo judicio disponatur , ignorat , nec ad appetendum locum superiorem procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri.

Idem Past. cu. p. 1 c. 9

Idem in pastorali : Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat virtutibus vacuus, nec coactus accedat.

Ibid. prol. in Past. ad Io. Episc. Raven.

Idem : Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde B est, ad culmem quisquis regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat: & bene vivens, qualiter doceat; & recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat : ne aut humilitas accessum fugiat , aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat , aut doctrinam præsumptio extollat.

Idem l. 1 Dial. c. 1 post med.

Idem in dialogis: Usus rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit : nec obedientiam subjectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere.

Idem ho. 17 in Ev. prope fin.

Idem in homiliis : Illi debent curam pastoralem suscipere, qui in suo corde sciunt fluxa luxuriæ domare : ut cum aliis fortia C prædicant, ipsi desideriis mollibus enerviter non succumbant.

Idem Ep. ad Leand. in exposit. l. Iob. c. 1

Idem in Moralibus: Nolenti mihi atque renitenti, cum grave esset altaris ministerium, etiam pondus est curæ pastoralis injunctum.

Isid. de sum. bo. l. 3 cap. 33 sent. 1

Isidorus de Summo bono : Vir Ecclesiasticus, & crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, & dispensationem Ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, volens quidem sed humilis gubernandum suscipiat.

Ber. ser. 76 in Cant. post med.

Bernardus super Cantica : Non otiose toties repetitum est: Petre amas me, in commissione ovium. Ego quidem id significatum provide, puto , ac si dixisset illi Jesus , nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames & valde perfecte ames , hoc est plus quam tua , plus quam

Dd 2 tuos,

tuos, plus etiam quam te, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipies curam hanc ne intromittas de ovibus meis, pro quibus utique meus effusus est sanguis. Idem: In Prælatione opus est viro forti, spirituali, & fideli, forti ad propulsandas injurias, spirituali, ad deprehendendas insidias, fideli, qui non quæ sua sunt, quærat. Idem in Epistola: In alto positum, non alta sapere difficile est, & omnino insuetatum, & quanto insuetatius, tanto gloriosius.

Ibid. vers. fin.

Idem Ep. 42 post me.

CAPUT XXXVI.

De Zelo.

GRegorius super Ezechielem: Nullum omnipotenti Deo, tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Idem: Restat ut sive. Supra libro 2 de prudentia. Idem in Moralibus: Si nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Idem: Aliquando necesse est, ut pravis mentibus, quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, divina flagella optari benigne debeant. Idem: Evenire plerumque. Supra lib. 3 de discordia. Idem: Si sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur. Idem: Erga errata proximorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet. Augustinus in Epistola: Quid hic magis persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum? non cum cogit imitari, quod displicet, sed cum cogit dolere, quod videt? Quoniam coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem cruciat sentientem. Idem: Pia est. Infra de dolore. Bernardus super Cantica: Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia, sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus sit. Idem in Epistola; Habeat charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum, severitas numquam remissa, intermissa tamen plus proficit.

Greg. in Ezec. ho. 12 longe post med.

Idem l. 5 Mor. c. 31 post med.

Ibid. l. 13 c. 3 in pr.

Ibid. l. 5 c. 31 post med.

Ibid. l. 10 c. 4 cir. med.

Aug. Ep. 145 ad Sebast. to. 2.

Ber. ser. 20 in Cant. ante med.

Idem Ep. 25 prope fi.

A Idem: Hoc vera & casta contemplatio habet, ut mentem quanto divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat. Glossa: Ira justa est, qua irascitur quis suis, & alienis peccatis, videns homines confitentes Deum ore, & negantes moribus: renuntiantes sæculo verbis & non factis, & videns fratres fratribus detrahentes, oculum dantes, & fidem non servantes. Glossa: Bonus zelus est fervor animi, quo mens abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur, & eo magis commenmendabilis, quo quælibet prava, quæ B viderit, corrigere satagit, si nequit, tolerat, & gemit.

Ibid. ser. 57 post med.

Gloss. in Psal. 30

Ibid. Ps. 68

CAPUT XXXVII.

De Solicitudine.

GRegorius in Moralibus: Sancti viri quia brevitatem vitæ desinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & tanto se solicitius mansuris præparant, quanto & nulla esse transitoria ex fine semper pensant. Idem: Mens tanto altius inter tentationum fluctus attollitur, quanto solicitius ab hujus *sæculi cogitatione* vacuatur. *Idem: Magna* solicitudine C ad curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus. Idem: Dominum tanto. Supra de discussione. Idem in registro: Illa solicitudo præpositorum utilis est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nil vindicat. Idem: Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri solicitior atque timidior debes. Idem: Cum honoris augmento, cura quoque solicitudinis debet excrescere. Idem cum cuncta negotia solicitudine indagandæ veritatis indigeant, tamen quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum spectant, sunt districtius trutinanda. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Occupatio virium, solicitudinum, suggestionum voluptates plerumque excludit.

Greg. l. 7 Mor. c. 14 post med.

Ibid. l. 22 c. 17 ante med.

Ibid. l. 22 c. 6 post med.

Idem reg. l. 8 ind. 3 cap. 12

Ibid. l. 7 ind. 2 c. 4

Ibid. c. 112 post med.

Ibid. l. 2 ind. 11 c. 37 in pr.

Chrys. op. imp. ho. 40 in Matt. ante med. tom. 2

Hie-

Hieronymus: Grandis virtutis. Supra lib. 2 de continentia tactus. Bernardus super Cantica; Omnis cura sanctorum, spreto ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet, & occupat excolendo, atque decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei est, & renovatur de die in diem. Idem: Omnis de bonis. Supra de regratiatione. Idem in sermonibus: Dignum valde est, & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus a constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant. Augustinus de ordine disciplinæ: Opera danda est optimis moribus, Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit, bene autem viventes facillime exaudiet. Seneca in Epistola: Perseverandum est: & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit quod bona voluntas est.

Bern. ser. 25 in Cant. post med.

Idem ser. de verb. Job In sex tribulationibus, &c. in prin.

Sen. ep. 16 ante med.

Caput XXXVIII.

De Correptione.

Gregorius in Moralibus: Quisque perpendere solicite sciat, ne luctus tempore verba increpationis inferat. Idem: quos de aperta infirmitate reprehendimus, superest, ut de occultæ fortitudinis æstimatione veneremur. Idem: Ex se debet. Supra lib. 2 de oblivione. Idem in registro: Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Idem: Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Isidorus de Summo bono. Sicut peccatorem convenit argui injustum, sic conversum exulcerari. Idem: Qui veraciter fraternam vult corripere ac sanare infirmitatem, talem se præstare fraternæ utilitati studeat, ut eum quem corripere cupit, humili corde admoneat, hoc faciens ex compassione quasi communis periculi, ne forte & ipse subjiciatur tentationi. Augustinus in Enchiridione: Qui emendat verbere, in quem potestas datur, & coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus, aut offensus est, dimittit ex corde vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit, atque orat, verumetiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati. Idem si peccaverit. Supra lib. 3 de arguitione. Idem in Epistola. Quantum illi laudandi, atque prædicandi sunt, qui dignati non sunt cum mundo etiam florente, florere: tantum increpandi, & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. Idem de correptione & gratia: Corripiantur a præpositis suis subditi, correptionibus utique de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus: quia & ipsa, quæ damnatio nominatur, quam fecit Episcopale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, potest si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere, atque proficere. Idem de doctrina Christiana: Quid locis, & tempori, & personis eveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Omnis correptio similis est ceteris tentationibus. Sicut enim omnis tentatio fideles quidem magis ædificat, infideles autem amplius destruit: sic & omnis increpatio disciplinæ, religiosum hominem, & timentem meliorem facit, irreligiosum autem, & malum conturbat, & ad deterius ire compellit. Bernardus: Non contemnenda increpatio justi, quæ ruina peccati cordis sanitas est, nec non & Dei via ad animam. Idem in sermonibus: Nemo fratres vitia palpet, peccata nemo dissimulet, cum viderit ordinem deperire, vel minui disciplinam. Est enim consentire, silere cum arguere possis, & scimus quia similis pœna facientes maneat, & consentientes. Glossa: Raro, & non sine magna necessitate, objurgationes sunt adhibendæ, & non nisi Dei respectu re-

Greg. l. 23 Mor. c. 2

Ibid. l. 31 c. 8 non longe a fi.

Id. regist. l. 12 ind. 7 c. 31 post med.

Ibid. l. 7 ind. 2 c. 1

Isi. de sum. bo. l. 3 c. 32 sent. 2

Aug. Enchirid. ad Laur. c. 72 tom. 3

Idem ep. 48 non longe a prin. t. 2

Idem de corrép. & grat. c. 15 in prin. t. 7

Idem de doct. Chr. l. 3 c. 12 tom. 3

Chr. oper. imp. ho 406 in Matt. ante med. tom. 2

Bern. sup. Cant. ser. 57 cir. med.

Idem ser. in Nat. S. Io. Bap. post med.

Glos. super Matt. c. 7

remota ab oculo trabe, id est odio.

Caput XXXIX.

De Æquitate.

Greg. reg. l. 9 ind. 4 c. 63

Gregorius in registro: Ita vos in in ea, quæ Deum offendunt, & ad iracundiam provocant, districtos ac solicitos exhibete, ut ad aliorum emendationem & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falsa opinio non affligat. *Ibid. l. 12 ind. 7 c. 31 post med.* Idem: Manifesta peccata, non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi, qui palam nocent: ut dum aperta objurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. *Ibid. l. 1 ind. 7 c. 3* Idem: Cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio pastor occidit. Hac ergo consideratione conpulsus, velis nolis locuturus sum: quia omni virtute aut te cupio salvari, aut de tua morte me eripi. *Ibid. l. 7 ind. 2 c. 10 in fin.* Idem: Sicut obstinati esse humilibus non debemus, ita districti esse superbis debemus. *Ibid. l. 7 ind. 1 c. 12 in prin.* Idem: Sicut perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Idem: Summum in regibus. Supra lib. 1 de potentibus. *Ibid. l. 9 ind. 4 c. 8* Idem: Boni te dulcem, pravi sentiant correctorem: In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personam diligas, & vitia persequaris: ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare desideras. *Ibid. l. 5 ind. 14 c. 211 cir. fi.* Idem: Justitiæ & rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata servari, prædecessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat. *Ibid. l. 12 ind. 7 inter. Aug. cap. 7* Idem: Sicut in his, qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est: ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare. *Ibid. l. 11 ind. 6 c. 5 in prin.* Idem: Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem, & pietas adjuvat & veritas non relinquit. *Ibid. c. 58 in prin.* Idem: Sicut rationi contraria procul est abiicienda petitio, ita in his, quæ bene desiderantur, effectum non convenit negare. *Ibid. l. 7 ind. 2 c. 53 cir. med.* Idem; Minorem major præcedit, sicut honore, ita & crimine: & quem major sequitur culpa, majori plectatur vindicta, & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. *Ibid. l. 10 ind. 5 c. 36 in prin.* Idem: Sicut laudabile, discretumque est, reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere: ne totum, quod absit, incipiat corpus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. *Ibid. c. 33 non longe a prin.* Idem. Manifesti excessus, canonica semper moderatione premendi sunt: ut una res, & præteritorum correctio, & esse regula possit futurorum. *Ibid. l. 5 ind. 14 c. 103* Idem: Quoties contra Ecclesiasticam quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. *Idem l. 2 ind 11 c. 82* Idem; Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. *Ibid. ind. 10 c. 28 in prin.* Idem: Jurgantium controversias, celeri sententia terminare, & æquitati proculdubio convenit, & vigori. *Ibid. ind. 11 c. 68 in fin.* Idem: Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servemus. *Idem l. 19 Mor. c. 14 cir. fin.* Idem in Moralibus: Majora crimina, & tarde credenda sunt, cum audiuntur, & citius punienda sunt, cum veraciter agnoscuntur. *Ibid. l. 14 cap. 24* Idem: Superiores cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad suam noverint oculos revocare. *Idem Past. cu. p. 2 c. 10 in prin.* Idem in pastorali: Aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: aliquando etiam aperte cognita, mature toleranda, aliquando vero subtiliter & occulte perscrutanda: aliquando leniter arguenda, aliquando & vehementer increpanda. *Amb. ep. l. 6 ep. 48 ante med.* Ambrosius in Epistola: Hostem ferire victoria est, reum: æquitas, innocentem: homicidium. *tom. 5 Aug. de civ. Dei, l. 19 c. 13 post med.* August. de civitate Dei: Melior est animi æquitas, quam corporis sanitas. *tom. 5 Idem de unico Bap. c. 2 t. 7* Idem de baptismo parvulorum, Hoc justum est, ut cum mala hominum reprobamus, quæcumque in illis bona Dei reperimus, approbemus. Idem: Veritate manente, quod vitiosum, quod pravum, quod falsum,

sum, in unoquoque fuerit, curremus, corrigamus, emendemus, aut si non possumus, detestatum, damnatumque vitemus. Idem de ovibus; Disciplina exerceatur, judicium non præcipitetur. Idem: Pertinet ad innocentes. Supra de innocentia. Joannes Chrysostomus super Joannem: Sive inops, sive dives fuerit quis, non personas attendamus, sed res scrutemur. Bernardus in Epistola: Si quis susurro in populo diaboli sibi assumens vicem, jurgia seminare, & pacem turbare, velle reperiatur, quemadmodum ille discordiæ semper est amator & auctor huic rigidæ censuræ: remedio citius obvietur, eo quippe pessimæ, quo intimæ pesti. Idem: Malum si comprimas tuum, reputabitur tibi ad gloriam: si alienum, ad justiaiam. Idem: Melius est ut pereat unus, quam unitas.

Ber. Ep. 129 post med.
Ibid. Ep. 200 post med.
Ibid. ep. 101 in fin.

CAPUT XL.

De Quatuor Affectionibus.

Aug. de civ. Dei l. 14 c. 7 post med. t. 5

AUgustinus de civitate Dei: Recta voluntas est bonus amor: & voluntas perversa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, lætitia est: fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est: proinde mala sunt ista si malus est: amor bona, si bonus. Idem: Apud nos juxta scripturam, sanamque doctrinam cives sanctæ civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione, secundum Deum viventes, metuunt, capiuntque, dolent, gaudentque, & quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Idem de patientia: Voluntas bona idest, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni amoris accensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum, sive amore de quo respondet Apostolus Petrus: Domine tu scis, quia amo te: sive timore, de quo dicit Apostolus: In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: sive gaudio, de quo dicit idem: Spe gaudentes, in tribulatione patientes: sive tristitia, qualem idem Apostolus se dicit habuisse magnam pro fratribus suis quæcumque amara & aspera sufferat, charitas Dei est. Isidorus de Summo bono; Quatuor sunt qualitates affectionum, quibus mens justi tædio salubri compungitur, hoc est, memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis in hujus vitæ longinquitate, desiderium supernæ patriæ, quo quantocius ad eam valeat pervenire. Auctor de spiritu & anima. Habet anima affectiones, quibus exercetur ad virtutes. Dolor namque de peccatis, timor de pœnis, desiderium de promissis, gaudium de præmiis, quædam exercitia sunt virtutum. Idem; Affectus quadripartitus esse dignoscitur, dum de eo quod amamus jam gaudemus, vel gaudendum speramus, & de eo quod odimus, jam dolemus, vel dolendum metuimus; & ab hac concupiscibilitate gaudium & spes, de irascibilitate dolor & metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ, omnium sunt vitiorum, atque virtutum quasi quædam principia, & communis materia. Bern. super Cantica: Habent voces suas affectus, per quas se etiam cum volunt, produnt, timor verbi causa meticulosas; dolor, gemebundas: amor, jucundas. Idem in sermone, loquens de illo verbo Joel 2 Convertimini ad me in toto corde vestro: Convertatur amor tuus, ut omnino nihil diligas nisi Deum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus, est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & tristitia æque convertantur ad ipsum: hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas, aut læteris. Quid enim perversum mavis, quam lætari, cum malefeceris, & in rebus pessimis exultare? sed & ea quoque, quæ secundum sæculum est, tristitia mortem operatur.

Ibid. c. 9 fere in pr.
Idem de patient. c. 25 tom. 4
Isi. de sum. bon. l. 2 c. 12 sent. 4
Aust. de spir. & an. c. 4 ante med. apud Aug. t. 3
Ber. ser. 67 in Cant. ante med.
Idem ser. 2 in Quadr. cir. med.

CAPUT XLI.

De Timore.

Greg. l. 8 Mor. c. 24 cir. med.

GRegorius in Moralibus: Justo timendum non est, ne derisor

cum corripitur, contumelias inferat: sed ne tractus ad odium pejor fiat. *Ibid. l. 16 cap. 15.* Idem: Creator noster, qui ubique totus est, & cernens cuncta non cernitur, tanto metuendus est, quanto invisibilis permanens, de nostris actibus, quando & quid decernat ignoratur. *Idem ho. 38 in Ev. post med.* Idem in homiliis: Tanto de se unusquisque solicitus metuat, quanto ignorat quod restat. *Aug. de ver. & fals. pœn. c. 15 post me. t. 4.* Augustinus in libro de pœnitentia: Timeat anima jam corrupta, docta experimento quod ignorat virgo. *Idem de adul. conju. l. 2 c. 13 t. 6* Idem de conjugiis adulterinis: Si a conjugali vinculo immunis, minus appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum, & timore saltem frenetur concupiscentia, si non amore eligitur continentia. *Id. Ep. 144 ad Anast. cir. med. tom. 2* Idem in Epistola: Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennam odit. *Idem reg. 3 c. 21 t. 1* Idem in regula: Deo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminæ male videri. *Ist. in syn. c. 7 in pr.* Isidorus in synonymis: Timor expellit peccatum, timor reprimit vitium, timor cautum facit hominem atque solicitum: ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est: ubi timor non est, ibi desperatio est. *Id. de sum. bo. l. 2 c. 27 sent. 4.* Idem de Summo bono; Sæpe quæ apud hominum judicium bona patent, apud examen diligentissimi, & acutissimi judicis, reproba deteguntur. Ideoque omnis sanctus veretur, ne forte bonum quod agit, pro aliqua animi intentione, in oculis Dei reprobum sit. *Hier. Ep. 14 ad Maur. fil. cir. fi. t. 9* Hieronymus in Epistola: Ubi timor & tremor est, non ibi vocis elatio est, sed animi flebilis lacrymosa dejectio. *Ibid. adv. Vigil. ultra med. t. 2* Idem: Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit Basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore, & animo contremisco. *Idem comment. in Ioel. c. 2 tom. 5* Idem in originali super Joelem: Numquam tuta est humana fragilitas, sed quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus. *Ber. ser. 54 in Cant. post med.* Bernardus super Cantica: Beatus homo qui semper pavidus est. Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo re- A vertetur, & hoc est semper pavidum esse. Idem: In veritate didici. Supra lib. 2 de gratia. *Idem ser. 2 in Dom. 1 post oct. Epiph. post med.* Idem in sermone: Primus timor est, ne cruciemur a gehenna. Secundus, ne exclusi a visione Dei, privemur tam inæstimabili gloria. Tertius replet animam omni solicitudine, ne forte deseratur a gratia. *Ser. de don. Spir sanct. c. 2 post med.* Idem; Sicut securitas, vel desidia, causa & mater est omnium delictorum, sic timor Domini radix & custos omnium bonorum. Idem: Heu me. Supra lib. 2 de tentatione.

Caput XLII.

De Dolore.

B Gregorius in registro: *Greg. reg. l. 7 ind. 1 c. 15 in pr.* Quanto cordi nostro lætitiam, Ecclesiæ ordo inculpabiliter custoditus infundit, tanto resscissus tædium doloris imponit. *Ibid. l. 2 ind. 10 c. 24 in prin.* Idem: Credat mihi charitas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te injuriam ipse pertulissem. *Idem l. 5 Mor. c. 3 in prin.* Idem in Moralibus: In amaritudine animæ sunt omnes electi, quia vel punire flendo non desinunt quæ deliquerunt; vel gravi se mœrore afficiunt, quia longe hac a facie conditoris projecti, adhuc in æternæ patriæ gaudiis non sunt. *Ibid. l. 14 c. 12 non longe a prin.* Idem: Valde affligitur anima justorum, quando mali contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene vivere ignorant, & voce sibi justitiam vendicant, quam moribus im- C pugnant. *Ibid. l. 35 c. 9 post med.* Idem: Gravis mœror est, duris cordibus, infructuose prædicare: laborem in ostendenda veritate sumere, sed nullum de conversione audientium laboris fructum invenire. At contra, magna prædicatorum consolatio est, subsequens profectus auditorum. *Ibid. l. 5 c. 7 non longe a prin.* Idem: Anima sancta intus doloris sui gemitum tolerat: sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Joannes Chrysost. super Joannem: Cum quidam peccaverimus nos, vel alii, tunc solum tristari bonum est: cum autem in humanas circumstantias inciderimus, inutilis in nobis de reliquo tristitiæ usus. August. de verbis Domini: Geme ut columba, & tunde pectus, & tundendo correptus esto, ne

ne videaris non conscientiam cedere, A sed malam conscientiam pugnis pavimentare, solidiorem reddere non correptiorem. Idem in Epistola: Pia est ista tristitia, etsi dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere: dolore contrahi, non amore attrahi. Idem: Quid sic. Supra de zelo bono. Idem contra Julianum: Mentibus amicorum sanorum, fletum commovet risus freneticorum. Idem in meditationibus: Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lacrymarum, quem esurio super omnem copiam deliciarum. Idem: Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam meam, aut æterni cruciatus vexabunt, puniendam animam meam. Bernardus in sermonibus: Cum cœperis tristitia, implebit cor tuum, sed si perseveraveris, tristitia tua vertetur in gaudium. Cassiodorus: Lætus & lascivus spiritus obligat hominem peccato, sed spiritus contribulatus est sacrificium, quo peccatum solvitur.

Aug. Ep. 145 ad Seb. ante med. tom. 2

Idem cont. Juli. Pela. l. 4 c. 3 post med. t. 7

Ber. ser. 3 in ascens. Do. post med.

Cassiod. exp. in Ps. 50 post med.

CAPUT XLIII.

De Confidentia.

GRegorius in Moralibus: Tanto animus a laboris afflictione subtrahitur, quanto per spem ad summa sustollitur. Idem: Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit. Idem: Quia nunc per tribulationem seritur, ut post gaudii fructus metatur, tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Idem: Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit semper de interna spe gaudere. Idem: Cum jam pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, & sic perpetrata plangunutur, ut plangenda minime perpetrentur: magna menti fiducia nascitur, ad conspicienda supernæ retributionis gaudia, cordis nostri facies levatur. Idem super Ezechielem: Non in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus. Idem: Spes per desideria atque suspiria, introducit ad quietis gaudia. Ambrosius in Hexaemeron: In gravissimis passionibus spem deponimus, fractique animo resolvimur, improvidi & inertes jacemus, cum de divina miseratione tunc sperandum amplius sit, cum præsidia humana defecerint. Augustinus de confessionibus: Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriori melior, non fiat etiam ex meliore deterior: una spes, una fiducia, una firma promissio, Deus misericordia tua. Idem de verbis Apostoli: Ipsa spes peregrinationi necessaria est, quæ consolatur in via: tolle viatori spem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. Idem de verbis B Domini: Spes ad hoc nos hortatur, ut præsentia contemnamus, futura expectemus: ea quæ retro sunt obliviscentes, cum Apostolo in anteriora, nos extendamus. Nihil itaque tam inimicum spei, quam retro aspicere. Hieronymus in Epistola: Cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum omni fiducia palmam virginitatis expecta. Bernardus in sermonibus: Hæc est vera hominis fiducia, a se deficientis, & innitentis domino Deo suo.

Greg. l. 6 Mor. c. 7 circ. med.

Ibid. l. 1 c. 7 post med.

Ibid. l. 10 c. 12 post med.

Ibid. l. 13 c. 3 ante med.

Ib. l. 16 c. 9 circ. med.

Idem in Ezec. ho. 7 fere in fin.

Ibid. ho. 17 post med.

Aug. conf. l. 10 c. 32 tom. 1

Idem de ver. Apos. ser. 16 post med. t. 10

Idem de verb. Do. ser. 29 ante med. t. eod.

Hier. Ep. 14 ad Man. fil. paulo post med.

Ber. ser. 3 in Annunc. Dom. ante med.

C

CAPUT XLIV.

De Lætitia.

GRegorius in Moralibus: Sancti viri, cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis supernæ moderamine, exerceri, se etiam tentationibus exultant: quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius cognoscunt. Idem: Quo se interius gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. Idem in homiliis: Ille veraciter patientiam servat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & eadem retractans pertulisse se talia exultat. Idem:

Greg. l. 38 Mor. c. 16 post med.

Ibid. l. 10 c. 12 non longe a prin.

Idem ho. 35 in Ev. post med.

Idem: Si me participem: Supra de communitate. Idem in dialogis: Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur. Augustinus de verbis Domini: Quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo: vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo: gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in sæculo, semper minuatur, donec finiatur. Idem: Tu qui veram requiem. Supra de tranquillitate. Idem de confessionibus: Est gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colunt Domine, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est, & non est altera. Hieronymus in Epistola; Nihil solicitius providendum est, quam ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus: quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis. Bernardus in Epistola: Revera illud solum & verum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod eum possederis, nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo, quodcumque aliud delectare possit, molestum. Idem in sermone: Non est regnum Dei & esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium, in Spiritu sancto: Sic fatui filii Adam & præcipiti saltu, justitiam transilientes, & pacem rem finalem, in principium, convertere, & pervertere vultis. Nemo est, qui gaudere non velit, non stabit, & non erit istud: quia sicut non est pax, impiis, sic nec gaudere, dicit Dominus. Non sic impii, non sic, prius est justitiam facere, inquirere pacem, & persequi eam, & sic apprehendere gaudium immo a gaudio comprehendi. Seneca in Epistola: Ad verum gaudium specta, & de tuo gaude, quid autem est hoc de tuo, de teipso, & optima tui parte corpusculum quoque, & si nihil potest fieri sine ipso, magis necessariam rem evaderem, quam magnam.

Idem l. 1 Dia. c. 5 in fin. *Aug. de ver. Do. ser. 37 cir. pr. tom. 10* *Idem conf. l. 10 c. 22 tom. 1* *Hier. ep. 19 ad Eust. loc. post med. tom. 1* *Bern. Ep. 114 cir. prin.* *Idem ser. 2 de ver. Apost. Non est regnum Dei esca &c. ante med.*

Caput XLV.

De Connexione virtutum.

Gregorius in Moralibus: Omnes virtutes in conspectu conditoris, vicaria ope, se sublevant: ut quia una virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim sua conjunctione fulciantur. Idem: Valde singula quælibet destituitur, si non una virtus virtuti alii suffragetur. Ambrosius super Lucam: Connexæ sunt sibi concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur.

Greg. l. 22 Mor. c. 3 non longe a prin. *Ibid. l. 2 cap. 16* *Amb. in Luc. l. 5 c. 6 tom. 3.*

De timore, & spe.

Gregorius in Moralibus: In peccatoris pectore, incessanter debet spes & formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat: incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Idem: De statu suo David cadente nemo superbiat. De lapsu etiam suo David surgente nemo desperet. Idem: Viri sancti ita mœsti sunt ut confidant, atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant. Idem in dialogis: Oportet & de Dei nos semper miseratione confidere, & de nostra infirmitate formidare. Idem: Qui peccatori prædicat. Supra, de doctrina. Isidorus in synonymis: Nulla te securitas deceptum blandiatur: Nulla te securitas a pœnitentiæ intentione suspendat, incessanter in corde tuo, spes, & formido, persistat. Idem de summo bono: Omnis justus spe, & formidine nitet, quia nunc illum ad gaudium spes erigit, nunc illum ad formidinem timor gehennæ adducit. Augustinus de meditationibus: Respira peccator, respira ne desperes: spera in eo quem times, affuge ad eum a quo aufugisti, invoca importune, quem superbe provocasti.

Greg. l. 33 Mor. c. 1 non longe a prin. *Ibid. l. 33 c. 10 cir. fi.* *Ibid. l. 9 cap. 18* *Idem l. 3 Dial. c. 7 cir. fin.* *Isi. in syn. c. 4 in fi.* *Idem de sum. bo. l. 2 c. 4 sent. 2*

De

De timore, & gaudio.

Greg. lib. 9 Mor. c. 35 post med. GRegorius in Moralibus: Cum bona in aliis cernimus, valde necesse est ut exultationem nostræ formidini, & formidinem nostræ exultationi misceamus: quatenus & de alienis profectibus charitas gaudeat, & in suis infirmitatibus conscientia constricta contremescat. Ibid. lib. 5 cap. 17 post med. Idem: Sancti viri, cum de quibusdam se vitiis ereptos hilarescunt, magno se metu, etiam in ipsa exultatione concutiunt, quia etsi jam de cujuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse se tamen adhuc in incerti maris dubiis fluctibus sciunt. Ibidem. Idem: Sancti viri sic spe exultant ut pavore trepident, sic pavore timent, ut spei fiducia exultent.

De timore & amore.

Greg. li. 22 Mor. ca. 14 circa med. GRegorius in Moralibus: Cum plus ipsi, quod timeamus, agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur, quod amemus. Ibidem. Idem: Appositis quasi quibusdam gradibus, profectus nostri mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, & postmodum per charitatem ad alta amore levamus: ut ab eo, quo quisque timet, reprimatur, ut timeat: & ab eo, quod jam timuit, sublevetur, ut præsumat. Augustinus de virginitate: Ama Dei bonitatem time severitatem: utrumque te superbum esse non sinit. Amando enim times ne amantem & amatum graviter offendas. Idem de fide ad Petrum: Diligentes Dei misericordiam, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis. Idem de verbis Apostoli: Non intrat charitas incomitata, habet secum socium suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum permanentem in sæculum sæculi. Idem super primam canonicam Joannis: Exhorresce quod minatur omnipotens: ama quod pollicetur omnipotens, & vilescit omnis mundus sive promittens sive terrens.

Aug. de virg. sanct. ca. 38 to. 6

Idem de fide ad Pet. ca. 3 post med. tom. 3

Idem ser. 18 de ver. Apost. post med. to. 10

A Hieronymus in epistola: Vide ut omnia quæcumque bene facis, propter Deum facias, sciens ejus rei tantam te a Domino recepturum esse mercedem, quam ejus timoris & dilectionis causa perfeceris. Bernardus de consideratione: Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina: timor Domini sanctus, & sanctus amor, his perfecte anima affecta, veluti duobus quibusdam brachiis suis Deum amplectitur, stringit & tenet, & ait: Tenui eum nec dimittam. Idem in epistola: Mens quam semel affecerit charitas, sui juris esse non sinitur, metuit quod nescit, dolet quod non oportet, solicitatur plusquam voluerit, & unde noluerit. Idem in sermone: B Timeamus & amemus Christum Dominum: Timeamus, pro nostra indignitate: pro ipsius dignatione amemus: non dissimulemus, non excusemus, in medio est omnibus se offerens.

Bern. de consid. li. 5 multum post med.

Idem ep. 74

De abstinentia, & eleemosyna.

GRegorius in homiliis: Hoc quod tibi subtrahis alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Idem: Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Idem: Non Deo, sed sibi quisque C jejunat, si ea quæ ad tempus sibi subtrahit, inopibus non tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Si jejunaveris sine Eleemosyna, nihil jejunium tuum reputatur: sed ventrem implente & inebriante deterior est, qui talis est: & tanto deterior, quanto lasciva crudelitas est difficilior. Glossa: Deo jejunat, qui ejus amore se macerat, & quod sibi subtrahit, alii impendit.

Greg. ho. 1 in Evang. 9 circa fin.

Ibidem.

Ibidem.

Gl. Mat. 6

De abstinentia & ratione.

AUgustinus in epistola: In jejuniis, & vigiliis, & omni castigatione corporis, quam plurimum adiuvatur oratio. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Qui orat cum jeju-

Aug. epist. 121 ad Prob. ca. 16 circa fin. tom. 2

Chrys. ho. 59 in Mat. post med. tom. 9

jejunio, duplices habet alas, & ipsis ventis leviores. Neque enim oscitat & tenditur, & torpet orans, quod patiuntur mali: sed est igne vehementior, & terra superior. Ideoque maxime hic talis dæmonibus est inimicus & hostis. Nihil enim homine orante, proprie est potentius. Idem: Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite, sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. Isidorus de Summo bono: Hoc est perfectum & rationabile jejunium, quando noster homo exterior jejunat, interior orat. Facilius enim per jejunium oratio penetrat cœlum. Bernardus super Cantica: Abstinebo a vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum modico utar juxta consilium Apostoli: abstinebo & a carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, simulque & carnis nutriant vitia: panem etiam ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat. Idem in sermonibus: Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi: jejunium orationem roborat, oratio jejunium sanctificat, & Deo repræsentat. Idem: Quid nobis jejunium proderit, si relinquatur in terra? Sublevetur ergo penna quadam orationis. Glossa: Prius est mortificare concupiscentiam, postea offerre Deo placabilia vota cordis. Glossa: Sola oratio pinguescit, quam macies corporis pascit.

Idem ope. imperf. hom. 15 in Matt. ante med. tom. eod.
Isidor. de sum. bon. lib. 2 ca. 44 senten. 2
Ber. ser. 66 in Cant. ante med.
Idem ser. 4 in Cap. Jejun. ante med.
Ib. conseq.
Glos. Cant. ri. 3
Gl. Tob. 3

De misericordia & oratione.

JOannes Chrysostomus super Matthæum: In lege scriptum est: Ne in tres ante conspectum Domini vacuus. Vacuus intrat ante Deum, qui veniens ad orationem nullam facit Eleemosynam. Idem: Infirma est oratio, quæ Eleemosynarum largitate non est munita. S. Maximus in sermone. Oratio quæ castitatis, justitiæ, & Eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat ad ipsum summæ majestatis Angelo offerrente, conspectum.

Chrysost. oper. im p. ho 15 in Matt. ante med. to. 2

De misericordia & justitia.

GRegorius in registro: Ipsa in te dulcedo cauta sit non remissa, correctio vero diligens sit non severa: sed sic alterum condiatur ex altero, ut & boni habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod diligant. Idem: Boni te dulcem. Supra de æquitate, & ibidem alia plura. Idem in pastorali: Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Idem: Juxta Pauli vocem, in arca tabernaculi cum tabulis virga simul & manna est: quia scripturæ sacræ scientia in boni doctoris pectore, sicut est virga districtionis, sic est & manna dulcedinis. Ambrosius in epistola: Beatus qui & severitatem & mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia enim severitas, extorquet plerumque crudelitate mendacium. Idem: de officiis: Neque severitatem esse duram convenit, neque nimiam remissionem: ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur. Isidorus in synonymis: Impia justitia est, humanæ fragilitati non ignoscere: non ergo ama damnare, sed emendare potius & corrigere. Idem: Tene rigorem in discussione justitiæ: misericordiam in diffinitione sententiæ. Idem de summo bono: Omnis qui recte judicat, stateram in manu sua gestat, in utroque penso justitiam & misericordiam portat: sed per justitiam reddit peccato sententiam, & per misericordiam peccati temperat pœnam. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Justitia sine misericordia non est justitia, sed crudelitas: sic misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas. Bernardus super Cantica: Si interdum severitate opus est, paterna sit non tyrannica, matres vos fovendo, patres corripiendo exhibeatis. Idem de consideratione: Justitiæ, ut justitia sit, temperantia modum imponit. Noli nimis esse justus, ait sapiens, ostendens per hoc minime approbandam esse

Greg. reg. lib. 9 ind. 4 cap. 8
Idem Past. cu p. 2 c. 6 longe post med.
Ib. cir. fin.
Amb. epi. li. 5 ep. 42 ad Clem. prope fin. tom. 5
Idem de offi. lib. 2 cap. 24 circa prin. tom. 4
Isidor. in syn. ca. 17
Ib. conseq.
Idem de sum. bon. lib. 3 ca. 54 senten. 4
Chrys. ope. imp. ho. 46 in Mat. paulo ante med. to. 2
Ber. ser. 23 in Cant. longe ante med.
Idem de consid. li. 2 post med.

esse justitiam, quæ temperantiæ moderamine non frænatur. Beda in homiliis: Necesse est ut rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc solicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Idem dicit B. Gregorius in registro. Glossa: Vera virtus est, cum nec pietas sine justitia, nec sine pietate justitia exequitur: quæ separatæ ab invicem dilabuntur. *Gl. Mat. 1*

De continentia & abstinentia.

AMbrosius de virginibus: Cibus parsimoniæ, & potus abstinentiæ docent vitia nescire: quia docent causas nescire vitiorum. Causa peccandi etiam justos sæpe decipit: hinc populus Dei postquam sedit manducare & bibere, Deum negavit. Isidorus de Summo bono: Libidinis ignes fomentis ciborum increscunt, corpus autem quod abstinentia frangit, tentatio non exurit: unde & tres pueros abstinentes flamma Babylonii incendii etsi tetigit, non combussit. Idem: Quidam continentes sicut panem cum pondere edunt ita & aquam cum mensura sumunt, asserentes ad castimoniam carnis, etiam aquæ abstinentiam convenire. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Per jejunia cessat pugna carnis adversus animam, & animæ adversus carnem: nec ultra insurgit ancilla in dominam, nec serva superbit in liberam, sed universa hæc prælia jejuniorum præsentia conquiescunt.

Amb. de virg. lib. 1 mult. post med. to. 4

Isidor. de sum. bon. li. 2 ca. 42 sen. 7

Ibid. c. 53 sent. 8

De continentia & verecundia.

AMbrosius de virginibus: Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor, hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Idem de officiis: Verecundia est pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Hieronymus in sermone: Omnino pudor individuus virginitati esse debet, sine quo recte castitas servari non potest. Idem in epistola: Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, & in suo tempore proferendus. Bernardus super Cantica: Verecundia soror continentiæ est, nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatitis: & ideo omnino testis innocentiæ est, & lampas pudicitiæ mentis.

Amb. de Virgin. li. 2 ante med. tom. 4

Idem de offi. lib. 1 cap. 18 ante med. tom. eod.

Hieron. epist. 14 ad Maur. fil. ultra med. to. 9

Ber. ser. 86 in Cant. ante med.

De continentia & charitate.

GRegorius super Ezechielem: Antiquus inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit non timet: quia nec ipse carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Augustinus de virginitate: Si nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum. Vacare vobis liberum est conjugalibus vinculis, sed non vacare vobis liberum est a vinculo charitatis. Idem: Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera charitatis appendite, & quidquid amoris nuptiis vestris impendendum habebatis, illi rependite. Idem: Illa virgo conjugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini se amandam præponit, cum amorem unius ex multitudine inquirit: nec se uni componit, uno jam invento, cogitans quæ mundi sunt, quomodo placeat viro: sed speciosum forma præ filiis hominum sic amavit, ut quia eum sicut Maria concipere carnem non posset, ei corde concepto etiam carnem integram custodiret. Idem de bono conjugali: Quid inquiunt, si omnes velint ab omni concubitu continere, unde subsistet genus humanum? utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, ubi ait cum inde loqueretur: Vellem omnes homines esse sicut me. Bernardus in epistola: Castitas sine charitate, lampas

Greg. in Ezec. ho. 8 longe ante med.

August. de Virgi. San. ca. 54 to. 6

Ibidem.

Ibid. ca. 18

Idem de bon. conjug. cap. 10 in prin. to. 6

Ber. ep. 42 ante med.

pas sine oleo est: subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet. Sed o quam pulchra est, sapiens clamat, casta generatio cum charitate! Idem super Cantica: Quo modo claritas, ut ajunt, Lunæ non nisi a Sole est, sic absque charitate seu justitia, continentiæ meritum nullum est.

Idem ser. 27 in Cant. circa med.

De continentia & humilitate.

GRegorius in moralibus: Sic mentem necesse est per munditiam erigi, ut tamen solicite debeat in humilitate substerni. Idem: Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis: si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite sub per spiritum non levatur. Augustinus de virginitate: Sapientes virgines esse decet, ne lampades earum extinguantur: quo modo sapientes sed humilibus consentientes? Idem: Quia perpetua continentia, & maxime virginitas magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est, ne superbia corrumpatur. Idem: Facilius sequuntur agnum, & si non quocumque ierit, certe quousque potuerint, conjugati humiles quam superbientes virgines. Idem: Neque simulare debet virgo humilitatem, sed exhibere. Simulatio humilitatis major superbia est. Idem super Joannem: Melior est quidem virginalis sanctitas, quam pudicitia conjugalis, quis dubitet? tamen si tu tenueris superbiam, & tua mater humilitatem, melior mater erit quam filia; non dubito præferre humilem mulierem superbæ virgini. Ambrosius super Lucam: Decet ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus, sit magistra ejus humilitas, in qua est professio castitatis. Bernardus super Missus: Pulchra commixtio virginitatis & humilitatis nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Idem: Potes sine virginitate salvari, non potes sine humilitate: potest inquam placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam, sine humilitate autem, au- A deo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Idem super cantica: Continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Ideoque maxime opus est, etiam puritate intentionis, qua soli Deo mens nostra, & placere appetat, & valeat inhærere.

Greg. lib. 3 Mor. c. 17 in fine. *Ibid. li. 26 cap. 13 ante med.* *August. de virg. sanct. ca. 42 to. 6.* *Ibid. c. 52* *Ibid. c. 43* *Ambr. in Luc. lib. 2 ca. 1 to. 3* *Ber. ser. 1 sup. Missus est, in med.* *Ibid. paulo post.* *Idem ser. 7 in Cant. post med.*

De actione & contemplatione.

GRegorius super Ezechielem: Activa in necessitate, contemplativa in voluntate est: illa in servitute, ista in libertate. Idem: Sicut bonus est ordo vivendi, ut ab activa in contemplativam tendatur: ita plerumque, a contemplativa animus ad B activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Idem: Amor Dei ad contemplativam, amor vero proximi pertinet ad activam. Idem: Contemplativa major est supra de gustu. Idem in moralibus: Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur: quia magna sunt activæ merita, sed contemplativæ potiora. Unde nec auferri umquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. Idem: Humani generis. Supra libro 1. de prædicatoribus bonis. Idem: Qui culmen apprehendere perfectio- C nis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probant. Isidorus de summo bono: Activa vita mundanis bene utitur, contemplativa nec mundo renuncians, soli Deo vivere delectatur. Idem: Qui prius. Supra de ascensione. Augustinus de civitate Dei: Ex tribus illis vitæ generibus, scilicet otioso, actuoso, & ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire: interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec sic esse debet unusquisque otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi: nec sit actuosus, ut contemplationem non requirat Dei.

Greg. in Ezec. ho. 9 ante med. *Ibid. ho. 14 post med.* *Ibid. ho. 18 ante med.* *Idem lib. 6 Mor. ca. 18 ante med.* *Ibid. c. 17 post med.* *Isidor. de sum. bon. li. 3 ca. 15 sent. 2* *August. de civit. Dei li. 19 ca. 19 ante med. tom. 5*

Idem:

Ibid. post med. Idem: Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Bernardus in Apologia: Nec Jacob nisi cognita prius Lia, desideratos Rachelis amplexus meruit obtinere. Idem super cantica: Aliter sane afficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo: illic sollicitat necessitas proximi, hic invitat suavitas verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsa lætior, chara pignora filiorum sed oscula plus delectant. Idem: Ex bonis operibus in fide non ficta radicatis, recipit consolationem mens assueta quietis, quoties sibi lux ut assolet contemplationis subtrahitur. Idem in sermonibus: Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit proximo: forte meliorem, qui bene vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. Idem: Optimam partem elegit sibi Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ: sed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omnino quantum ad nos spectat, nobis eligenda, hæc vero si injungitur, patienter est toleranda. Idem: Absit ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Idem: Felix domus. Supra de religione.

(Ber. apolog. ad Guliel. abb. ante med. — Idem ser. 86 in cant. ver. fin. — Ibid. ser. 51 ante med. — Idem ser. 3 in Assum. B. Mariæ ante med. — Idem ser. de verb. Psal. Audiam quid, post med. — Idem ser. 3 in assum. B. Mariæ ante med.)

De scientia & humilitate.

GRegorius in Moralibus: Summa cura providendum est, ne accepta sapientia cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, ut jam sapientia esse nequeat. Quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine, cor loquentis obscurat. Idem supra de intelligentia, quare libro 2. Idem in homiliis: In omne quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis spargat. Idem: Sancti viri, ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare, quod nesciunt: ut dum ex parte alia

(Greg. li. 27 Mor. ca. 27 non multum a princ. — Idem ho. 7 in Evang. post med. — Ibidem.)

A infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfecti sunt, eorum se animus non extollat, scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. Isidorus in disputatione. Supra de studentibus libro 1. Ibidem: Disputare stude.

De scientia & charitate.

GRegorius in moralibus: Quem charitas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit. Idem super Ezechielem: Inter charitatem & scientiam, testis est bona operatio: quæ si fortasse defuerit, profecto certum est, nec cognovisse te Deum, nec diligere proximum. Idem: Sæpe dum quosdam. libro 3. de di-
B scordia. Augustinus super Joannem: Scientia cavenda est, ne inflet: ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem, quia charitas ædificat & non permittit inflati scientiam. Idem ad Hieronymum de sententia Jacobi: Sicut mors auram avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus huic subservit scientia, cum est utilis, nam sine illa inflat. Idem: Spiritalis homo. Supra de discussione. Bernardus de diligendo Deo. Liquet & absque scientia dignitatem esse omnino inutilem, & scientiam absque virtute damnabilem.
C Idem super cantica: Cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit: ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit. Idem: Sicut bonum. Supra de religione.

(Greg. li. 8 Mor. ca. 26 circa med. — Idem in Ezec. ho. 17 ante med. — Aug. ep. 29 ad Hieron. post med. tom. 2 — Ber. tract. de dilig. Deo multum ante med. — Idem ser. 36 in cant. circa med.)

De scientia & doctrina.

GRegorius super Ezechielem: Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. Idem in pastorali: Cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, valde est ignominiosum, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Idem: Plerique dum metiri se nesciunt, quæ non didicere, docere concupiscunt: qui pondus magisterii tanto levius existimant, quanto vim magni-

(Gregor. in Ezec. ho. 9 prope fin. — Idem Past. cu. p. 2 cap. 11 circa fin. — Ibid. prologo in Past. ad Joan. Epi. Raven.)

Aug. ep. 28 ad Hier. statim a prin. to. 2

gnitudinis illius ignorant. Augustinus in Epistola: ad discendum quod opus est, nulla ætas mihi sera videri potest: quia & si senes magis decet docere, quam discere, magis tamen volo discere, quam quod doceam, ignorare. Joannes Chrysostomus de compunctione cordis: Non confundamus divinas litteras, neque sancti Spiritus sententias, propriis sententiis pervertamus. Hieronymus in epistola: Multo tempore disce ut doceas, nec laudatoribus tuis immo derisoribus aurem libenter accommodes.

Chrys. de compunct. cord. lib. 2 ante med.

Hieronym. epist. 4 ad Rustic. monach. post med. tom. 1

De vita & doctrina.

Greg. lib. 6 Mor. ca. 16 post med.

GRegorius in moralibus: Cum a vitiis caro, restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisque doceat alios vitam, quam moribus servat. Idem: Spiritualis quisque prædicator studet summopere, contra maleficos rumores adversantium, & defendere loquendo quod vivit, & ornare vivendo quod dicit. Idem in pastorali: Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. Idem: Boni prædicatores prius propria crimina fletibus curent, & tunc, quæ aliorum sunt punienda, denuncient: & antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. Isidorus de summo bono: Tam vita quam doctrina clarere debet Ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Idem: Unusquisque doctor & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet studium: nam alterum sine altero non facit perfectum. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Adiicit doctrinæ auctoritatem bona vita doctoris. Ambrosius de officiis: Vir justus dictis & rebus probatur: nam si exercitatus sit sermonibus, desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit. Hieronymus in epistola. Prius faciamus & post doceamus, ne doctrinæ auctoritas cassis sermonibus destruatur. Augustinus de confessionibus: Surgunt indocti & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine. Bernardus in sermone: Est tantum lucere, vanum: tantum ardere, parum: ardere & lucere, perfectum.

Idem Past. cu. p. 2 c. 3 non longe a princ.

Ibid. ca. 6 in fin.

Isidor. de sum. bon. lib. 3 c. 36 sent. 1

Ib. sent. 3

Chrys. ho. de erudit. discipl. post med. tom. 5

Amb. de offic. lib. 2 ca. 2 post med. to. 4

Aug. Conf. lib. 8 ca. 8 tom. 1

Ber. ser. in Nativit. S. Joan. Bapt. ante med.

CAPUT XLVI.

De exemplo.

Greg. li. 4 Mor. ca. 22 circa med.

GRegorius in Moralibus: Multi in tenebris vitæ præsentis dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent. Idem: Qui plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur, quantum ipse deserto bono deformis est. Idem Qui vitam præcedentium patrum conspicit, quid in se gemere debeat, subtilius agnoscit. Idem: Sæpe cum nos. Supra de verecundia. Idem: In dialogis. Numquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla, quæ eorum mentem traherent. Idem in homiliis: De bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum. Idem: Ad amorem Dei & proximi plerumque corda audientium, plus exempla, quam verba excitant. Idem: *Qui sancto* viro. Supra de *societate*. Isidorus de summo bono: Propterea virtutes sanctorum ad exemplum nostrum Deus proposuit, ut quanto de imitatione eorum conferri possunt nobis justitiæ præmia, tanto de perseverantia mali sint graviora tormenta. Idem: Reprobi non attendunt documenta beatorum, quæ imitentur ad melius: sed proponunt sibi exempla pravorum, quæ ad suorum morum perversitatem imitantur in pejus. Ambrosius super Lucam: Unius exemplo plurimi corriguntur. Idem de Patriarchis: Sanctorum vita cæteris norma vivendi est. Idem de officiis: Sit nobis vita majorum disciplinæ speculum, non calliditatis commentarium. Bernardus in sermonibus: Sermo vivus & efficax exemplum est ope-

Ibid. li. 24 ca. 6 ante med.

Ibid. li. 9 cap. 35 in fin.

Idem li. 3 Dial. c. 37 in fin.

Idem ho. 11 in Evang. non longe a princ.

Ibid. ho. 38 post med.

Isidor. de sum. bon. li. 2 ca. 11 sen. 5

Ibi. sen. 2

Ambr. in Luc. lib. 5 ca. 7 to. 3 idem lib. Joseph. de Patriar. cap. 1 in prin. to. 5

Ber. ser. de S. Benedicto Abb. circa med.

operis, facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstratur factibile quod suadetur. *[Idem ser. 3 de adventu Domi. post med.]* Idem: Nullum consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri provocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo neque lingua, sed opere & veritate. *[Sen. ep. 83 ante med.]* Seneca in epistola: Instruenda est vita exemplis illustribus.

Caput XLVII.

De fama.

[Greg. Reg. li. 7 ind. 2 cap. 2] Gregorius in registro: Quidquid gravare potest aut opinionem tuam, aut animam omnino refugias, & te committere illud, nullius suasione, consentias. Idem: Ejus, quem videre me non licet, bona me pascit opinio. *[Idem li. 22 Mor. ca. 5 ante med.]* Idem in moralibus: Fama a bono opere vires accipit, & favoris gratiam, quasi claritatis lumen aspergit. *[Ibidem.]* Idem: Dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat. Cumque illius opinio clara cognoscitur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. *[Ibidem post med.]* Idem: Nonnumquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudent, cum per hanc ad meliora proficere, audientes, pensant. *[Ibid. li. 26 cap. 23 post med.]* Idem: Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat. Sed justos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. *[Ibid. li. 35 cap. 13 ante med.]* Idem: Virtutes proficientium in notitia ceterorum hominum, quasi suavitate fragrant odorum. *[Ibid. li. 22 cap. 5 ante med.]* Idem: Sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque, si laudibus famæ nostræ intendimus, a virtute vacuamur. *[Aug. ser. 53 ad fratres in eremo to. 10]* Augustinus de moribus & vita clericorum: Qui nos amant, quærunt, quid laudent in nobis: qui autem nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in medio constituti, adjuvante Domino Deo nostro, & vitam nostram, & famam sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus laudatores. *[Idem de bono vidu. cap. 22 in prin. to. 4]* Idem de viduitate: In omnibus spiritalibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio cauta etiam debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. *[Ibid. paulo post.]* Idem: Nobis est necessaria vita nostra, aliis fama nostra, & utique quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Idem: Multo misericordius. Supra de doctrina. *[Hierony. epist. 13 ad Ruff. in princ. tom. 3]* Hieronymus in epistola: Multa in utramque partem crebro fama mentitur, & tam de bonis mala, quam de malis bona falsorum ore concelebrat. *[Ibid. ep. 2 ad Nepotian. ante med. to. 2]* Idem: Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. *[Ibid. ad Ageruch. epi. 11 ultra med. tom. eod.]* Idem: Fuge personas, in quibus potest malæ conversationis esse suspicio: nec paratum habeas illud de trivio. Sufficit mihi conscientia mea: non curo, quid de me loquantur homines. Et certe Apostolus providebat bona, non solum coram Deo sed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus. *[Ibid. ep. 9 ad Salvi. post med.]* Idem: Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur. *[Bern. in cant. ser. 46 non longe a princ.]* Bernardus super cantica: Validos & constantes necesse est esse eos, qui super alios ordinantur, nec non & longanimes in spe, atque ad superna verticem mentis attollentes, qui & bonum fidei suæ, & conversationis ubique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. *[Ibid. ser. 71 circa princ.]* Idem: Erit quidem virtus contenta candore conscientiæ, ubi sequi non poterit odor famæ, ceterum odor famæ, nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris, providebit tamen semper quantum in se est homo virtutis bona, non tantum coram Deo, sed coram hominibus, ut vere sit lilium. Idem: Sufficit. Supra de tranquillitate. *[Idem de consid. li. 3 post med.]* Idem: de consideratione: Interest tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter species devitare: in altero conscientiæ, in altero famæ consulis. *[Ibid. paulo post.]* Idem: Esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fides conscientiæ est: & decor tuus splendor bonæ opinionis est.

Caput XLVIII.

De adversitate.

Greg. reg. lib. 9 ind. 4 ca. 25 non longe a princ.

GRegorius in registro: Pœna præsens si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis: si eum ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. *Ibid. lib. 8 ind. 3 c. 48 circa fin.* Idem: Inter flagella positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, & sævientes acrius iracundiam provocare. *Ibid. lib. 7 ind. 2 cap. 126 ante med.* Idem: Adversitas, quæ bonis votis obiicitur; probatio virtutis est, non indicium reprobationis. *Ibid. lib. 9 ind. 4 c. 39 ante med.* Idem: In omnipotenti Deo tunc certa fiducia est, quando pro bono opere, adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione servetur. *Ibidem.* Idem: Ipsa malorum societas purgatio bonorum est. Idem: Dubium non est. Supra de discordia libro 3. *Idem præfat. in exposit. Job, cap. 2* Idem in moralibus: Sicut aromata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur, expandunt: ita sancti viri omne, quod virtutibus redolet, in tribulatione innotescunt. *Idem li. 26 Mor. ca. 19* Idem: Flagella bonorum, aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari futura devitant. *Ibid. li 22 cap. 6 post med.* Idem: Cum perversum quemquam Deus omnipotens percutit, & condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum justitiæ judicis. *Ibid. li. 24 ca. 7 longe post med.* Idem: Electi uniuscujusque mens tribus vicibus, id est vel labore conversionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis atteritur, atque ipsa attritione purgata liberatur. *Idem præfat. in expos. Job. cap. 3* Idem: Pœna interrogat, si quietus quis veraciter amat. Idem: plura supra de certamine. Joannes Chrysostomus in sermonibus: Sicut pluvia in terram descendens elevat semina, sic & tribulatio animam intrans, erigit desiderium. Idem: Qui adversatur, virtutem suam destruit, nobis vero per patientiam coronas operabitur. *August. de pastorib. cap. 5 paulo post me. tom. 9* Augustinus de pastoribus: Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. *Idem ep. 48 ad Vincent. ante med. tom. 2* Idem in epistola: Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat justis, fortibus gloriosa probatio est, A infirmis periculosa tentatio. Idem super Genesim ad litteram: Ipse sibi homo in intentionibus certius innotescit, & juste salus illa perpetua quæ turpiter amissa est per voluntatem, fortiter recipitur per dolorem. *Isidor. in Synon. c. 9 ante med.* Isidorus in synonymis: Adversa corporis animæ remedia sunt, ægritudo carnem vulnerat, mentem curat: languor enim vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. *Idem de sum. bon. li. 3 ca. 62 sent. 2* Idem de summo bono: Viri sancti plus formidant prospera, quam adversa: quia Dei servos prospera deiciunt, adversa vero erudiunt. *Ber. ser. 17 in Psal. Qui habitat, post med.* Bernardus super Qui habitat: Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. B Bonum mihi in tribulatione, magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? Idem super cantica: In petra. Infra de Martyrio.

Caput XLIX.

De martyrio.

Greg. Reg. li. 2 ind. 10 ca. 36 non longe a princ.

GRegorius in registro: Sicut beatus Cyprianus, ait, martyrem non facit pœna, sed causa. *Idem ho. 35 in Evang. circa med.* Idem in homiliis: Mori a persequente, martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, & odientem diligere, C martyrium est in occulta cogitatione. *Ibid. ho. 3 in fin.* Idem: Habet pax nostra martyrium suum: quia & sic carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus. *Isidorus etym. li. 7 cap. 11* Isidorus in Etymologiis: Duo sunt genera martyrii, unum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, & cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, & pacis tempore martyres facti sunt. Joannes Chrysostomus in sermone: Habet paupertas martyrium suum, & egestas bene tolerata facit martyrium: sed egestas propter Christum, non propter necessitatem. *Hier. ep. 27 ad Eustoch. vers. fin. tom. 1* Hieronymus in legenda sanctæ Paulæ: Non solum effusio sangui-

guinis in confessione martyrium reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus, quotidianum martyrium est. *Ibid ep. 12 ad eand. vers. fin.* Idem: Hæc est sola digna retributio cum sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi pro redemptore libenter occumbimus. Quis sanctorum sine certamine, &c. Supra de certamine. *August. de civ. Dei, li. 13 ca. 7 in princ. tom. 5* Augustinus de civitate Dei: Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. *Ibid. li. 20 cap. 13 circa med.* Idem: Quarto erit acrior impetus belli, tanto major gloria non cedenti, tanto densior corona martyrii. *Ber. ser. 61 in cant. post med.* Bernardus super cantica: Stat martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore: & rimante latera ferro, non modo fert fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire sanguinem. Ubi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu. *Ib. consequ.* Idem: In petra habitans, quid mirum si in modum petræ diruerit? sed neque hoc mirum, si exul a corpore dolore non sentiat corporis: facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus non amittitur: non deest dolor, sed contemnitur. *Idem ser. 1 in die S. paschæ post med.* Idem in sermonibus: Est martyrii genus, & effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis afflictione: est etiam baptismus aliquis in compunctione cordis, & lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis, & pusillis corde necesse est, ut quem semel ponere pro Christo non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant: sic & baptismi sacramentum, quoniam iterari non licet his, qui sæpius in multis offendunt, frequentiori ablutione suppleri.

Caput L.

De gloria.

Greg. lib. 4 Mor. ca. 31 ante med. GRegorius in moralibus: Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum: ut secundum quod hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. *Ibid. lib. 8 cap. 31 circa med.* Idem super illud Job: Donec impleatur risu os tuum, &c. In illa æterna patria cum justorum mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur. *Ibid. li. 18 cap. 27 ante med.* Idem: Ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet: sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. *Ibid. li. 12 cap. 14 statim a princ.* Idem: Sicut hi, qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viventium post eos, qualiter disponatur, nesciunt. Quia & vita spiritus longe est a vita carnis: & sicut corporea, atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est. quia quæ intus omnipotentis Dei charitatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid, quod ignorent. *Ibid. li. 18 cap. 28 post med.* Idem: Quando ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul, atque satietas: Sed longe aberit a siti necessitas, longe a satietate fastidium: quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. *Ibid. li. 25 cap. 7 ante med.* Idem: Æterna contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo magis diligatur. *Ibid. li. 14 cap. 29 non longe a princ.* Idem: In illa resurrectionis gloria, erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Idem in homiliis: Credendum est, quod ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciant, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed de eorum bono crucientur. Justi vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat: quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt, tantoque ereptori suo majores gratias referunt, quanto vident in aliis, quod ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerunt. Idem in dialogis: Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. Augusti-

Aug. de civi. Dei, li. 22 ca. 30 circa med. tom. 5

nus de civitate Dei : Erit illius civitatis, & una in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indesinenter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum : nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit grata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem, memor erit præteritorum etiam malorum suorum, quantum autem ad experientis sensum prorsus immemor.

Ibid. li. 19 cap. 13 circ. princ.

Idem : Pax cælestis civitatis, est ordinatissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo.

Ibid. li. 22 cap. 30 in princ.

Idem: Quanta erit illa fœlicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum? vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, ubi neque ulla desidia cessabitur, neque ulla indigentia laborabitur? nescio.

Ibid. paulo post.

Idem : Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur : hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut in ipsa vita erit communis. Idem : In nobisipsis imaginem Dei contuentes tangamus, & ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.

Ibid. ca. 20 in fin.

Idem. Absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio : & si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis, & promissionis filii æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certe fœlicitate.

Ibid. ca. 29 in fin.

Idem : Ita Deus erit notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis: videatur ab altero in altero : videatur in seipso : videatur in cælo novo, & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura : videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi, acie perveniente directi, patebunt etiam cogitationes nostræ invicem nobis.

Idem de Trin. lib. 1 cap. 8 post med. to. 3

Idem de Trinitate : Contemplatio est merces fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est : Mundans fide corda eorum. Idem : Illud quod agit justitia. Supra libro 2. de quatuor virtutibus.

Idem de lib. arbi. lib. 3 ca. 25 vers. fin. tom. 1

Idem de libero arbitrio : Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, ut etiam si non liceret in ea amplius vivere, quam unius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur. Non enim falso, aut parvo affectu dictum est: Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia. Idem in sermonibus. Tunc non peccabimus non solum factis, sed nec concupiscentiis, cum illam faciem videbimus, quæ vincit omnes concupiscentias. Tam enim dulcis est fratres mei, tam pulchra, ut illa visa, nihil aliud possit delectare: satietas enim erit insatiabilis, nullum fastidium, semper esuriemus, semper saturi erimus.

Idem de confl. vitior. & virt. ca. 18 tom. 9

Idem de conflictu : Recedat amor præsentis sæculi, in quo omnes sic vivificantur, ut deinceps moriantur : & succedat amor futuri sæculi, in quo omnes sic vivificantur, ut deinceps non moriantur : ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat: sed perennis lætitia regnat. Joannes Chrysost. super Joannem, Beati, & ter beati, & multoties beati, qui beata illa potiuntur requie, quemadmodum miseri, & ter miseri, & infinite miseri, qui a beatitudine illa seipsos abiiciunt. Fulgentius in epistola : Sicut per speculum vitreum, trina nobis visio administratur, qua nosipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens adest videmus : sic per speculum divinæ charitatis, & ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum possibile erit creaturæ, & nosipsos & omnia alia, vera & certa scientia cognoscemus.

Ber. ser. 11 in cant. post med.

Bernardus super cantica : Qui replet in bonis desiderium animæ, & ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati plenitudo pacis, ipse memoriæ, continuatio æternitatis.

Ibid. post pauca.

Idem : Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me ? Spera in Deo : quoniam adhuc confitebor illi, cum error videlicet a ratione, a volun-

luntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit, & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Idem in sermonibus: Quedmadmodum circa rationale nostrum, & scientia, & ignorantia constat, tamquam habitus, & privatio: sic & circa concupiscibile, & desiderium, & contemptus, & circa id quod dicitur irascibile, & lætitia pariter, & ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ, ita ut penitus nobis nihil desit in ulla scientia: implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam, & ea penitus repleamur, sicut scriptum est: Beati qui esuriunt, & sitiunt injustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, per quam justitiam quidquid respuere debet anima, respuet: & quidquid concupiscere, concupiscet, & ex his omnibus magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Jam vero quod dicitur in nobis irascibile, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in summam jucunditatem, atque lætitiam replebimur pace divina. Idem: Sicut replebit animas nostras Deus cum fuerit perfecta in eis scientia, perfecta justitia, perfecta lætitia: sic replebitur majestate ejus omnis terra nostra, cum fuerit corpus immortale, agile, impassibile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Idem: Æterna omnium beatorum solemnitas est facie ad faciem Deum intueri, ejus dulcedine sine fastidio satiari, ut quem semper habent, semper habere velint, ac ejus visione sine defectu perfrui. Anselmus de similitudinibus: Partes beatitudinis sunt, pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longævitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, & gaudium. Ista, ut æstimo sunt, quæ propter se, & propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur. Et ita notandum, quod septem priores beatitudinis partes, ad corporis beatitudinem, septemque posteriores, ad animam pertinent. Idem: In illa vita pulchritudo justorum, solis pulchritudini, qui septempliciter quam modo sit, splendidior erit, adæquabitur. Idem: Velocitas nos tanta concomitabitur, ut ipsi Angelis Dei æque celeres simus, qui a cælo, ad terras, & econverso, dicto citius dilabuntur. Idem: In futuro sic justus fortis erit, ut etiam si velit terram commovere possit: & sic econverso injustus imbecillis, nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis. Idem: Gaudium erit justo, intus & extra, gaudium sursum atque deorsum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum. Idem: Tunc justi scient, cuncta quæ Deus facit, scienda, tam ea quæ præterita, quam ea quæ postmodum sunt. Ibi a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur: nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit. Si autem fueris malus, vera omnino sapientia privatus, tantis urgeberis doloribus, ut non solum insipiens, verumetiam omnino fias & amens. Idem: In illa vita si bonus fuerit, nihil patietur, quod nolit, sed agere permittetur, quodcumque voluerit: si vero fuerit malus, ad omnia quæ noluerit, cogetur, & ab omnibus, quæ voluerit, prohibebitur.

Idem ser. 4 in festo omn. sanct. post med.

Ibid. prope fin.

Ansel. de similit. ca. 48

Ibid. ca. 50

Ibid. ca. 51

Ibid. ca. 52

Ibid. ca. 71

Ibid. ca. 59

Ibid. ca. 53

FINIS TOMI SEPTIMI.

SERIES OPUSCULORUM, ET EXPOSITIONUM,

Quæ Tomo Septimo continentur.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ tomo hoc septimo
OPERUM S. BONAVENTURÆ CONTINENTUR.

A

B

C

D

Deus

E

Elias,

Fru-

Ima-

N

O

de

Scien-

Taci.

T

V

Finis Indicis verborum, & rerum, quæ tomo septimo operum S. Bonaventuræ continentur.